DE
CIVILI REGIMINE
LIBRI OCTO

In quibus pleraque PUBLICI JURIS capita explicantur.

AUTHORE

DIODORO TULDENO
J. U. DOCTORE,

In Acad. Lovanienſi Legum Anteceſſore Primario, & in magno Senatu Belgico apud Mechlinienſes Regio Conſiliario.

OPUS POSTHUMUM.

Quod pro Commentario in tres poſteriores libros Codicis Juſtinianæi eſſe poſſit.



LOVANII,
Typis & ſumptibus ÆGIDII DENIQUE Anno 1702.

Cum Gratia & Privilegio.

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM.

Liber Primus.

Liber Secundus.

16. An

Liber Tertius.

CAPUT I.

Liber Quartus.

CAPUT I.

Liber Quintus.

CAPUT I.

Liber Sextus.

CAPUT I.

Liber Septimus.

Liber Octavus.

FINIS INDICIS.

DIO.

DIODORI TULDENI
DE
CIVILI REGIMINE
LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Quid sit Politica: ejus in Philosophia locus, dignitas, utilitas.

POLITICA est Civitatum rectè constituendarum regendarumque Disciplina. Pars Philosophiæ totius jure princeps: quippe quæ artes scientiasque alias ad utilitatem civilem, cum ipsis earum Antistitibus, dirigit: unde & Architectonica dici solet. Etenim cùm *Philosophia* in tres distributa partes sit, *Naturalem*, quæ rerum naturam contemplatur, *Moralem*, quæ animum, mores, & vitæ officia ordinat, & *Rationalem*, quæ disserendi artificium omne monstrat: semper primas tenuit Moralis sive Ethica; adeò ut totius quoque nomen sibi vindicare soleat: præsertim cùm non defuerint, qui reliquas excluderent species, tamquam quæ vel supra nos essent, vel nihil ad nos facerent. Logicam certè instrumentum veriùs, quàm portionem plerique censuerunt. Variâ imagine alii atque alii partium harum ordinem ac decus expresserunt: quibusdam cum ovi vitello comparantibus Ethices vitalem utilitatem, cum albumine Physicam, quippe quæ illi alimentum sufficere debeat; denique cum testa Logices instrumentum munimentumque. Ego Logicen cum radice arboris compono, cum floribus Physicam, cum fructibus Ethicen: illa enim quasi succum & vigorem cæteris ministrat, facultate istâ verum examinandi; & unum colligendi ex alio: istius verò contemplationis florida amœnitas finis est: hæc denique utilitate uberrima. In Ethica eminet illa, de qua acturi sumus, Rerumpublicarum arbitra. Nam cùm multum sit, suos seorsim mores sapientiæ approbavisse, majus adhuc est, ad ejusdem pulchritudinis instar familiam instituere, quod OEconomicæ est. At Politica quantò latiùs hunc ordinem ornatumque diffundit, tantò præstantioris utiliorisque facultatis est. Xenophon. *lib. 1. cir. fin. De Inst. Cyr.* Quidam existimaverunt, Policicen ab Ethica separatam & exercitationem & materiam habere: quibus Seneca non assentitur, secutus, credo, Platonem in *Amatorib. & in Politic. in princ.* Et certè non animis tantùm omnium formandis, sed utilitatibus quoque dispiciendis illa vacat. Et hactenus illi rectè; sed quia utilitatum ferè omnium instar est, virtuti, societati, concordiæ, communi bono conciliavisse animos civium, ideo nec absurda altera sententia est. Adeóque Plato ipsum Periclem honore Politici fraudare videtur, in *Gorgia*: quia consilia sua ad amplitudinem opesque civitatis, non ad virtutem retulisset. Ad hæc Socrates apud *Xenop. lib. 3.* disserebat, Rerum privatarum procurationem à Reip. administratione non tam specie differre, quàm quantitate: utramque enim hominum, & quidem eorumdem, operâ, fide, benevolentiâ confici; & utriusque caput esse, peritiam utendi hominibus. Ut non omnino falsa, ita nec rigidè vera hæc sententia est.

CAPUT II.

Quis Politicus: & vindicata nominis dignitas à vanis similitudinem ejus simulantium officiis.

POliticus ille est, qui ex Fabii elogio, *fundare legibus urbes, emendare judiciis, regere consiliis potest.* Vulgò tam augusti nominis dignitatem dedecorant, vel vanis, vel pravis, illud attribuendo. Quidam enim Politicos appellant homines actuosos quidem, sed specie Reipub. præcipuè privatam rem augentes, quique in populo aut Principe colendo suum sibi genium propitiant; virtutesque omnes & officia utilitate dirigunt. Adeoque quidam in controversiam rapuerunt, An Politici professione Christianâ censendi sint? Quod ego de iis quos dedescripsi admiserim quidem, sed istis Politici nomen non concesserim: quod tueri nemo (si Platoni in *Protag.* & *Polit.* credimus) sine adflatu quodam divino, non modo sine prudentia, & alia illa quidem potest, quæ ipsa si à virtutum radicibus revellitur, emoriatur necesse est: instinctus enim in optimum finem consiliorum à virtute est, quo perveniendi semitam monstrat vel pandit prudentia. Sed non dissimili more Politicos vocant homines quosdam versatili ingenio, qui elegantiâ quadam habitus, & dexteritate morum, sermonisque plerumque falsi arguriâ, & frontis firmitate animique confidentiâ excitati, tamquam in comœdia quamlibet concionè personam sustinere videntur. Hi ab aliis illis hoc differunt, quod ferè otiosorum hoc genus sit, & à feriis curis se subducens; solis jocis, illecebris, blanditiis, prout res poscit, valentium. Hi verò, ut Fabii verbis dicam, non magis suffecerint in graviore aliquo actu, quàm parva quædam animalia, quæ in angustiis mobilia, in campo deprehenduntur. Nec negaverim inesse tali indoli aliquid quod Politico quoque conveniat. Nam & Tyberius specie inanium validus à Tacito celebratur. Etenim vultus habitusque venustas aut dignitas amorem vel auctoritatem conciliat: aliquando & improvisi dicterii jaculum validiùs quam longæ orationis prudentia accusat aut refutat: jam & frontis non contractæ aut submissæ timidâ verecundiâ robur efficax esse solet. Hæc tamen talia additamentum magis sunt, quàm summa Politicæ virtutis; & sine ipsa inutilia, quia ferè nimia & fallacia: & illi, quos vulgò hac dote celebrant, ut diximus, veræ severæque prudentiæ expertes, illam unam affectant coluntque.

CAPUT III.

Quibus efficiatur Politicus?

INgenium, doctrina, usus Politicum perficiunt: Et quidam hoc solo nituntur, & nudâ doctrinâ instructis antecellunt. Neque tamen ideo inefficaciorem doctrinam fatebor, quæ omnium seculorum ingeniis, consiliis, experimentis sapere potest; nec fortunâ solâ, sed ratione quoque cognitos eventus habet. Verùm cùm actio ad ultimam utique speciem pertineat; hanc magis usus quàm disciplina monstrat; non ut eo per singulas & omnes duce opus sit; sed tantùm ut in quibusdam præceptorum vim exemplo pandat, & successu fiduciam gignat. Enimverò doctrina civilis in universum, quibus Respub. continetur aut infestatur, usumque eorum & regimen ac remedia monstrat. Sed in hac aut illa Repub. versatus singula quà sensibus objiciuntur cognita habet; quorum vim in commune intellectu comprehendit eruditus. Itaque hic nobiliore scientia naturam illorum penetrat, ille rudiùs quidem perspecta habet, accommodatiùs tamen ad actionem: quippe quæ circa res singulas est & sensibus subjectas. Unde modico hominum, rerum & negotiorum usu levigatus ille quem doctrina instruxit, præstantior utique artifex erit illo qui in solis experimentis consenuerit. Plato 7. *De Rep.* Nec du-

dubitandum verò Socrates putabat, cùm rerum etiam minimarum artes sint, consentiente quodam ordine præceptorum constitutæ; regendi prudentiam, atque artium artem, decretis quoque suis regulisque obnoxiam, disci doceríque posse & debere. Nec alior sanè hodie causa, cur tam miserè jactentur Respub. quàm quòd scientia gubernandi connexa & cognata potentiæ putatur. Tanquam quos fortuna ad regimen, eosdem natura ad sapientiam subornaverit. Alii omnia usui vindicant. Hi modestiùs quidem, attamen delirant. Non enim ut cytharedi antequam artem suam prædiscunt, cytharas aliquas incondito adhuc pulsu obterunt: ita Reipub. administrandæ ratio solùm usu tam periculoso comprehendenda est. Quid enim de illo senti ret civitas, qui ab illa Medici munus ambiens, hac ureretur oratione: nullius quidem, Cives, qui se medicum profiteretur, disciplinâ usus sum: verumtamen medendi munus mihi mandate: per experimenta enim in morbis vestris, conjugumque aut liberorum vestrorum artem hanc mihi comparavero. Huic Socrates 4 apud *Xenoph.* comparabat illum qui Reipub. administrationi se ingereret, neque tamen ullum monstrare Doctorem posset quo circa Civile Regimen usus esset. Enimverò ut usus disciplinam illustrat, ita disciplinâ usum dirigit, ne noxius sit; imperitiâ, temeritate, confidentiâ fugatis. Socrates itaque cum Reipub. negotiis se non permisceret, docebat tamen Politicam: eoque nomine ab Antiphonte reprehensus, Utro, inquit, genere Reip. negotium magis agere tibi videor, an si solus in id incumbam, an si id agam ut plurimi ad id idonei evadant? Xenoph. *lib.* 1. *Memorab.*

CAPUT IV.

An Politicus simul Jureconsultus esse debeat: & uter eorum præcellat?

Descriptio Politici suprà posita, etiam Jurisprudentiæ instrumentum ei addicit, quæ legum interpretandarum, & judiciorum constituendorum scientiam continet: nam ipsam condendi leges facultatem Politicæ magis propriam intimamque puto. Jurisprudentia igitur ex Politices quasi fontibus profluit universa: & absurdè se publici auctorem consilii (is enim est Politicus) quis profiteatur, qui singulos de stillicidio aut aquâ pluviâ arcendâ contendentes componere consilio nequeat; tamquam in magnis negotiis quid æquum quid iniquum sit constituere possit, qui minutæ litis arbiter in quotidiano jure conniveat. Quamvis hoc fatendum est, quotidianas parvasque causas plus subtilitatis sæpè vel habere, vel altercantium nimio calore & calliditate accipere. Uter igitur præstantior, Politicus an Jureconsultus? Ego facultatem quidem Politici prætulerim: Nam & latiùs patet, & magnificentior est, & in publicum salutarior, atque etiam vividioris animi, quàm quidquid Jureconsultus præstat. Sed si ipsam Politicen ut præceptis decretisque suis censetur, componas Jurisprudentiæ; hujus operosioribus placitis, subtilioribusque regulis & ad ultimam speciem ferè descendentibus, ideoque ipsam propemodum facultatem continentibus, prærogativam detulerim.

CAPUT V.

De Societate Civili: Ejus origo; Usus, & necessitas.

Quoniam autem hæc disciplina in cœtibus societatibusque hominum constituendis & continendis cernitur: illud præsumendum est, naturam nos ad consociationem genuisse. *Nam ut aliarum nobis rerum*, inquit, Seneca *Ep.* 9. *innata dulcedo est, sic amicitiæ: quo modo solitudo in odio est, sic in dulcedine appetitio societatis. Quo modo hominem homini natura conciliat, sic inest huic quoque rei stimulus, qui nos amicitiarum appetentes faciat.* Quid Igitur? nunquid Vates de primis mortalium canit, quod

Solivago vitam vivebant more ferarum?

Sic enim Lucretius 5. *De Natura:*

Necdum res igni sciebant tractare, nec uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora atque cavos montes silvasque colebant.
Verbera ventorum vitare imbreisque coacti.
Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis
Moribus inter se sciebant nec legibus uti.
Quod cuique obtulerat præda fortuna, ferebat,
Sponte suâ sibi quisque valere & vivere doctus.

Unde quidam putant, ab egestatis stimulis & mutui auxilii necessitate cœpisse conventus hominum: quæ Platonis quoque opinio est, 2. *de Rep.* Si enim à natura hic instinctus esset, validissimè admonuisset recentes homines, qui necdum quicquam præter illam sapiebant aut spirabant. Igitur dicendum, inter primos rudesque homines societatem sanctissimè cultam fuisse; sed non ad civilem hunc modum, non mœnia, non fora, non ærarium, non theatra, non commune belli periculum, non nundinæ similiaque instituta civilia sui communione homines adhuc conjungebant: & hactenus Lucretius verè: sed charitate, consuetudine, curâ, & tutelâ mutuâ tantò arctiùs sociebantur, quantò integriores erant. Sic enim Seneca *Ep.* 90. *Quicquid natura protulerat, id non minùs invenisse, quàm inventum monstrare alteri, voluptas erat: nec aut ulli superare poterat aut deesse: inter concordes dividebatur. Nondum valentior imposuerat infirmiori manum, nondum avarus abscondendo quod sibi jaceret, alium necessariis quoque excluserat. Par erat alterius ac sui cura. Arma cessabant, incruentæque humano sanguine manus, odium omne in feras verterant.* Ex naturæ igitur instinctu societas hominum exorta, & paulatim per avaritiam ambitionemque cùm distraheretur, civilibus institutis conservanda fuit. Et hoc sensu admitti potest, quòd alii Eloquentiæ, alii Philosophiæ tribuunt, quod homines vagos & per nemora dispersos ex ferâ vita in convictum urbesque deduxit, & quasi compage quadam membrorum in unum corpus disposuit, junxit, devinxit. Ego id Politicæ tribuo: & finis ejus est, societatis civilis tutela atque cultura. Nam ut pulchrè eam describit Seneca 4. *De benef. cap.* 18. *Fac nos singulos, quid sumus? Præda animalium & victimæ, ac vilissimus & facillimus sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quæcumque vaga nascuntur, & actura vitam segregem armata sunt: hominem imbecillitas cingit; non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit: nudum & infirmum societas munit. Duas res natura dedit, quæ illum obnoxium ceteris, validissimum facerent, Rationem & Societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: Societas terris genitum in alienæ naturæ transmisit imperium, & dominari etiam in mari jussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit: hæc fortes nos facit, quòd licet contra fortunam advocare. Hanc tolle, & unitatem generis humani, quâ vita sustinetur, scindes.*

CAPUT VI.

De Fine Reipublicæ.

HÆc igitur Societas finis est Urbium, Civitatum, Imperiorum. Nec aliud validè dicunt, qui Justitiam aut commune bonum finem ponunt: namque & societatis coagulum Justitia est, & Justitiæ asylum societas. Neque enim cohærere homines animis saltem possunt, nisi injutiæ & offensiones vel cessent vel sarciantur; imò & societatem dissolvi necesse est, nisi singulos adversus vim & fraudem tueatur. Sed nec justitiæ cerni aut valere vis potest, nisi in societate hominum. Sic Plato libros suos 10. de Justitiâ, quàm de Repub. *lib.* 2. inscribi mavult. Eadem ratio de publico bono: nulla

nulla enim consociatio ibi est, ubi nulla communitas est, nec communitas esse potest, si quisque operam industriamque omnem suis vel cupiditatibus vel necessitatibus definit. Neque illorum reprehendenda pietas est, qui religionem finem esse volunt: si modò de nobilissimo atque ultimo fine id intelligas. Quomodo Plato 6. *De Rep.* hunc gubernationis finem ponit, Cives Deo similes amicosque reddere. Nam profectò Stoicorum sententia, quæ rerum naturam omnia hominum causâ, ipsos verò homines in gratiam hominum procreasse scribit, in parte posteriore rigidè intellecta à veritate abit. Perpetuus enim naturæ ordo atque series in usum præstantioris inferiora disponens, hominem Numinis causa conditum evincit; tamquam ejus in totius mundi hujus templo antistitem, in naturæ theatro contemplatorem, in choro rerum omnium in gloriam laudemque auctoris intentarum præcentorem, in Universi politiâ civem (ut Socrates & Imp. Antonin. sese indigitabant) mundanum, in fati & fortunæ distributione militem, in humanitatis denique familiâ tamquam ejus Patri & Principi Deo obsecuturum. Enimverò & Justitiæ præcipua pars est (Plato *in Euthyphrone*) quæ officium ei dependit, à quo omnis officiorum ordo & vivendi jura descripta sunt; quæ omnem naturæ partem tributum homini pendere jussit; cujus munus est quicquid Justitia dispensat, non minus quam ipsa; inter cujus munera maximum est, auctorem eorum agnoscere, unde iisdem dignitas est, quæque nos societate cum eo jungit, & à bestiis distinguit, non munerum exsortibus, sed dignitatis eorum, quia projectis extra notitiam auctoris & societatem, ut non ipsarum causâ ea largiri, sed ad usum hominis intelligatur. Nec longè (vide Plat. *in Polit.*) hinc abit, quæ in omnium reprehensionem incurrit opinio collocantium Reipub. finem in jucundissimâ pulcherrimarum contemplatione rerum, quæ ad prudentiam, quæque ad naturam, quæque ad Deum spectant. Intelligendum enim hoc quoque de supremo fine est, & quo vota generosissima felicium adspirent. Movetque illos, quia non alia universitatis, quàm singulorum felicitas esse videatur: quæ cùm in perfectissima functione præstantissimæ partis, nempe mentis, consistat; necesse sit, contemplationis æternarum divinarumque rerum quietem potiorem esse morali virtute cum cupiditatum turpium intemperie atque hydrâ luctante, ut eas rationi subjiciat. Nec enim impedit, quod utique in Reipubl. administratione prærogativa iis virtutibus quæ in opere sunt debeatur, quàm quæ contemplationi vacant. Etenim actio non propter se fatigatur, sed in spem otii quod suspirat: otium verò & suavissimè & fœcundissimè in contemplatione acquiescit. Præterea alternanda hæc sunt: Nam otium vires reficit, ut actioni variisque vitæ officiis pareamus alacriùs; & contemplatio agenda disponit, omnium consiliorum, legum, institutorum, virtutum, præclarorumque operum scaturigo. Illud tamen fatendum, hunc finem magis ad ideam aut figmentum perfectæ Reipub. quàm ad Romuli fœcem, ut Cicero ait, pertinere. Et quoniam populariùs loquendum est in materie hac Politica, id est populari, nec votis contemplatio dirigenda, sed ad id quod obtineri potest redigenda est: quos in principio diximus fines, magis instituto accommodati sunt. Nam ut nunc rerum se humanarum status habet, vix defendi illud potest, quòd eadem universorum quæ singulorum sit felicitas. Cùm enim in diversissimas occupationes civitatem ineluctabilis & assidua necessitas distringat: quomodo non extra spem projicitur speciosus ille finis, sublimissimæ contemplationis voluptas, & mentis in altum subvectæ, & rerum naturæ spectaculo se reficientis, serenitas? Nec verò quia inter corporis functiones excellit visus acrimonia: idcirco rectè sanitatis summam in perceptata

rata luminum acie posueris. Respublica quoque corpus est, singulorum civium ut membrorum compage coagmentatum: non quod in hoc aut illo perfectissimum, id etiam in omnibus est, quatenus ad implendam totius summam variis muniis officiisque describuntur.

CAPUT VII.

Quomodo Respub à sceleratorum factione distinguatur.

FInes hi discernunt Rempublicam à prædonum, latronum, piratarum, seditiosorum, rebellium cœtibus & conciliabulis: non enim Justitiæ proposito sociati videri possunt, qui Justitiam oppugnant. Unde cum istis nulla privatis fidei necessitudo: veluti si pactum pro capite pretium prædoni quis non attulerit, nullam fraudem committit: quamquam aliud circa hostes dicendum est: ii enim aliquâ juris communione censentur. Sed & cum illis, quos à Repub. sua distinguit immanitas, ut pacisci non est ex dignitate Principis aut Reipublicæ; ita fidem datam violare, multò magis dignitati repugnat. Quid igitur, si de titulo & Jure Reipub. non liqueat? In dubio quoscumque conventus hominum imperandi parendique ordine descriptos, & in sui tutelam non aliorum subversionem consentientes, legitimam Rempublicam censebimus.

CAPUT VIII.

Definitio Urbis, Civitatis, Reipublicæ: & circa hujus descriptionem plures quæstiunculæ.

URbs ipsum loci corpus est mœnibus terminatum. *Civitas* verò hominum multitudo, non utique unâ urbe conclusa, sed per unam connexa Rempublicam. *Respublica* denique ipsa cœtus forma, & quasi coagmentatio familiarum plurium rerumque communium per unius summi imperii compagen. Nisi malimus dicere, Rempublicam usque ad imperii fines; Civitatem usque ad legum communionem pertinere. Sic Plato: *Civitatem esse conjunctionem inter se hominum plurimorum: in quibus sunt Regentes, alii parentes, conjuncti inter se concordiâ, & invicem sibi opem atque auxilium deferentes, iisdem legibus, rectis tamen, officia sua temperantes.* Apuleius *De Philosophia.* Quanquam hæc nomina aliquando confunduntur; potissimùm posteriora duo. Civitas quasi chorus est, Respublica ut harmonia. Quid igitur de cœtu incertis sedibus vagantium, an Rempublicam constituat? Sic enim Hamoxobii, sic Schytæ sine domorum munimentis, sine urbium limitibus, per nemora pecudes pascebant, & liberos ac conjuges plaustris circumferebant. Et sanè jam diximus, civitatem ab ipsâ ædificiorum serie & mœnium ambitu distingui. Igitur si territorium obtinent aliquod, Respub. sunt; non etiam si meri errones sunt. Nam ut familiam habere dici nequeat, qui nusquam domicilium, id est rerum ac fortunarum summam collocavit: ita nec Rempub. tueri videntur, quibus nullum territorium tamquam illius sedes & receptaculum est. Etenim & ex familiarum plurium conjunctione coalescit Respub., & sine communione quarundam rerum existere nequit: & vix communitas hæc intelligi potest sine territorio: potissimum enim ad templa, fora, theatra, curiam, mœnia, propugnacula, portus, flumina, itineta, nemora, ærarium refertur. Planè quod quibusdam videtur, etiam trium familiarum supremo aliquo connexarum imperio cœtum posse nomen Reipub. sustinere: id rationi alienum videtur: cùm ea ferè multitudo secundum Platonem *lib 5. De legib. & 2. De R. P.* desideretur, quæ aliquatenus in tutelam sui sufficiat; Aristot. 9. *Ad Nicomach.* 10. Atqui cum familia tribus præter parentem fam. & matronam personis conflettur, cui non absurdum videtur, quindecim mortalium corpuscula

cula immortale animal Rempub. constituere? Ex adverso nimis diffusam civitatem vituperat Plato: modumque hunc probabilem putat, secundùm quem cives eidem Rectori noti esse possint, nec sibimet incogniti: sic enim fiet, ut omnes unâ mente sint, æquumque sibi factum velint. Apulei. *ubi sup.* Unam civitatem pluribus quandoque imperiis summis distringi contingit: an nihilominis una Respublica erit? Et hoc negandum est, si regionibus dividitur imperium. Aliud est, si per modum servitutis pluribus separatim imperium competit, sed locorum intervallis non divulsum, cæterum certis speciebus separatum. Id quod magnis incommodis non caret. Quod familias urbesque in Remp. colligit & conjungit, est imperii quo pariter continentur summa. Neque igitur ab ejus complexu legum privilegiorumque diversitas singulas divellit: quamvis longè melior est & ad concordiæ imperiique vinculum firmior communis æqualitas Juris. Adeóque & illustribus familiis aliquando sua esse jura privata & gentilitia solent, potissimum de successionibus. Planè plura regna licet ab uno administrentur summo imperio, non tamen unam Rempublicam constituunt: sed sæpe successu temporis, imperantis crescente potentiâ, conflari in unum solent. Sed & plures urbes aut provinciæ fœderibus connexæ, tantum abest, quòd propterea in unam coalescant Rempublicam, ut ipsum fœdus separati imperii sit indicium: quippe quod adventitio vinculo civitates conjungit, utique suâ naturâ solutas jurisque & imperii sui singulas.

CAPUT IX.

De Ortu Imperii Civilis: à naturali & divino, an civili & humano jure sit?

Urbem quasi corpus esse; *Civitatem* tamquam animam, sensibus affectibusque vigentem; *Rempublicam* denique animi, mentis, atque rationis instar obtinere, ex iis quæ supetà dicta sunt manifestum est. Hæc enim rato imperii obsequiique ordine ac nexu constat. Et imperia quidem utrum naturali an legitimo jure, humano tantùm an divino censeantur, quidam ambigunt. At divino jure nati, ne ambigatur, fecit D. Pauli auctoritas: qui non indignationis tantùm metu ad perfunctorium cultum, sed & conscientiæ religione ad sincerum obsequium Principibus suis Dominisque Christianos obstringit. Unde & Civiles leges non minùs cum animi noxa, quàm pœnæ metu violari, etiam Theologi consentiunt. Hinc jam promptius est; imperiorum majestatem ab ipsa Natura (quæ Instituto ac vi Numinis constat) arcessere. In quam sententiam Cicero 3. *De Rep.* apud Augustin. 4. *cont. Pelag.* *An non cernimus, optimo cuique dominatum ab ipsa Natura, cum summa utilitate inferiorum datum? Cur igitur Deus homini, Anima imperat corpori, Ratio libidini iracundiæque, & ceteris vitiosis ejusdem animi partibus?* Sed quosdam aliorsum movet, quòd destinatam datamque à Natura sibi dignitatem, si obsequio erga Numen custodivisset homo; in pari omnium excellentia, & indeclinabili aliorum in alios pietate, nullus imperii usus fuisset. Plato *in Politico.* Præterea quòd dominationis origo ab ambitione & violentia validiorum exstitisse, & proinde Naturæ bonitatem minimè respere videatur. Alii verò hanc sequuntur rationem, quòd communis ille Parens Deus, qui Geniorum minimè jam lubricæ rectitudinis gentem per certos præstantiæ, potentiæ, officiorumque gradus alios aliis submiserit; videatur eandem ordinis voluptatem secutus in humani generis descriptione fuisse, utcumque obsequio meliore divinæ voluntatis ideam indelebili charactere hausisset. Verius igitur est, quòd fuisset & tunc Imperium, sed quod excellentiâ & procuratione aliquâ, non etiam coërcitione constitisset. Atque ita

ita utraque sententia conciliatur. Neque verò hanc originis dignitatem labefactat violentia vel ambitio, unde Imperia sæpè promanârunt. Namque etiam ex sceleratorum fraudibus elicit non rarò salutaria Numen, non aliter ac Medicus etiam mixturâ veneni in salubrium compositione medicamentorum utitur.

CAPUT X.

De Publico bono, Imperantium fine.

IMperia non Imperantium splendori ac delitiis, sed civium tutelæ atque saluti comparata esse jam explicatis congruit. Finis igitur Imperanti debet esse Bonum Publicum, id est, non sibi vitiorum licentia, sed conformatio civium ad virtutem; non per Decreta tantùm judiciaque, sed exempla quoque; non voluptatum securitas, sed aliorum etiam luxu ignavo sopitorum per ipsius vigiliam tutela. Talem describit Cyrum Xenophon *lib.* 8. qui arbitrabatur, Principem legem suis esse oculis præditam, exemplumque moderationis. Nihil enim perinde homines ad modestiam inflectit, quàm si dominos arbitrosque rerum in illa fortunæ licentia, non dimoveri à recti tenore vident. Itaque finis Principibus hic propositus est, non suæ amplificatio fortunæ, sed Reipublicæ incrementum etiam cum privatæ rei dispendio. Sic Traianus Cæsar vota pro salute sua in hæc verba nuncupari volebat: ***Si benè Rempublicam & ex utilitate omnium rexerit.*** Ad quæ Plinius: ***Tibi***, inquit, ***salus tua invisa est, si non sit cum Reipublicæ salute conjuncta. Nihil pro te pateris optari nisi expediat optantibus: omnibusque annis in consilium de te Deos mittis; exigisque ut sententiam suam mutent, si talis esse desieris qualis electus es.*** Sic Pelopidas ad prælium accinctus uxori roganti, ut se servaret: Aliis, inquit, hoc consulendum; Imperatori autem ut cives servet. Plutar. *in Apb. Græc. c. ult.* Sic Epaminondas, Thebanis festum vino & epulis celebrantibus, cùm cuidam occurrisset ipse tristi & cogitabundo vultu, causam exquirenti respondit: Ut vobis securis festum diem agere & convivari liceat. Præclarè igitur Cyrus apud Xenophontem *lib.* 1. Assyrios irridet, quorum opinio Regem à subditis distinguebat magnificentiâ cœnarum, domûs, supellectilisque, securitate somni mollisque otii. Ego autem, inquit, Reges civibus præstare oportere existimo non abundantiâ otii & voluptatis, sed vigilantiâ ac vigore in consiliis laboribusque pro utilitate & salute omnium. Hâc enim lege populi libertatem suam in arbitrium moderationemque regentis contulerunt. Nec dixeris, id emeruisse eximiæ reverentiâ virtutis qui primi Imperiis admoti fuerunt; ideòque id præmium ad suam ipsos utilitatem voluptatemque jure merito dirigere. Etenim spectatæ virtuti populus in se arbitrium permisit, non ut eam fortunæ indulgentiâ, & licentiâ potestatis solverent; sed ut largiorem benefaciendi materiam ministrarent, confisi constantiæ. Ita dico: admirationem primò populi, indè reverentiam, mox fiduciæ æquabilem tenorem, & ab eo Imperium promeruit insitatæ fulgor virtutis; utique gratuitæ, & beneficentiæ experimentis latissimæ; quæ, incertum, majore animo sua commoda despiceret, an humanitate aliena procuraret. Aristot. 5. *Polit.* 10. Hisce contraria apud Platonem 1. *De Repub.* disserens Thrasymachus, Justitiamque adeò ipsam definiens utilitate potentioris sive imperantis, à Socrate fortiter refutatur, constituentis quamcumque artem intentam esse utilitati ejus circa quod occupatur. Sic enim Gubernator, quà talis, omnia refert ad salutem nautarum vectorumque. Sic Medicus omnem industriam ad sanitatem ægro restituendam intendit. Igitur ipsam artis perfectionem, usumque aliorum quibus ea imperat, propositam habent: nam mercedem non quà artifices,

ces, sed quà indigi spectant. Civilis igitur ars sibi sufficiens nec indiga cujusquam unicam spectat salutem sibi commissorum. Nec quicquam movet objectio Thrasymachi de Opilione & Bubulco, tanquam absurdum sit, eos pecudibus non sibi curare: nam his utique curant, quà pastores sunt. Non enim ipsorum utilitati, sed domini pecudes mancipantur. Neque verò his consequens est, populum antecellere Principi. Neque enim præcellentior idcircò Tutore pupillus est, quòd is hujus, non suâ utilitate administrationem tutelæ dirigit: sed ob hoc ipsum verecundiâ ei pupillus devinctus, hunc ut parentem colere atque observare debet.

CAPUT XI.

De Majestate: Et primò de ea quæ Reipublicæ ipsius est.

ENimverò non solùm Supremi Reipublicæ Præsides habent Majestatem (sic enim appellari increbuit Imperium summum, perpetuum, legibus solutum in cives & res eorum) quæ personalis dicitur; sed est sua & Reipub. Majestas eidem congenita. Neque otiosa hæc distinctio est. Alia enim est ipsa Imperii certis legibus fundata Institutio: alia est ejusdem Administratio Principi, Optimatibus, vel denique Populo competens. Namque etiam in Democratia discrimen hoc, quamvis tenuius, viget. Neque enim ipsæ leges Democratiæ à majore populi parte subverti convertique possunt: sed singulorum consensu opus fore dicunt. Sed hoc ad contemplationis subtilitatem liniatius, quàm ad usus opportunitatem accommodatius puto. Primores aut Principes quod attinet, exploratum est, hanc Reipublicæ Majestatem ipsis obnoxiam non esse. Veluti si legibus Regni cavetur, ut eligentium judicio deferatur, non poterunt statuere, ut successionis forte devolvatur in posterum. Hæc enim talia non regiminis instrumenta, sed ipsius fundamenta Regni sunt; ex quibus cùm Principis potestas constet, non potest in ea potestatem habere. Hinc quoque nec de Regni partibus diminuere vendendo, permutando, donando ipsi licet: idque ferè adacti jurejurando solent promittere, dum Imperium auspicantur.

CAPUT XII.

De Majestate Personali.

PErsonalis Majestas oritur & formatur ex Reipublicæ Majestate, prout illa arbitrium potestatemque in res & cives vel uni, vel pluribus veluti Nobilitati aut Senatui contulit, aut universis attribuit. Non enim soli Principatui Majestas competit; sed etiam Optimatum, aut populi universi, cui summa Reipublicæ competat, amplitudinem ac jus violando, læsæ Majestatis crimen contrahitur. Nec ideo tamen Principis Majestas à populo, non à Deo est. Providentia enim æterna, ut imperii effectrix; populi consensus ut instrumentum dumtaxat consideratur. Hinc igitur supremis demum Reipub. Moderatoribus propriè id competit, ut divinæ providentiæ auctoritatem suam inscribant; quippe ei directò eam referentes acceptam, eamque solam suâ in ditione supra se agnoscentes suspicientesque; in civili nimirum administratione. Adeóque & Auctores sunt, Principes augustiori, præ reliquis mortalium, Genio per Deum assignatos, eoque in generosiores conatus cupiditatesque & consilia agi atque impleti. Quod quibusdam displicet; quia externam hanc cujusque personam non æstimet Deus. Sed probati potest, cùm bonos Principes felices seculi instrumenta Deus paret. Quia enim major illi universitatis, quàm singulorum cura; eam, cùm populi id pietas meretur, per majorem Principis genium beat. Hinc Romani Imperatores in Codice Justiniani & leges suas sacratissimas oraculorum nomine decorant, & res etiam patrimonii sui sacras, & sua

sua jussa divinos afflatus appellant; & sibi ipsis aliquando æternitatis nomina tribuunt. Id quod aliqui excusant ex ratione jam dictâ, quia nimirum Dei in terris vices gerunt; alii verò damnant tanquam cum contumelia Numinis conjunctam superbiam. Et sanè si in Principibus commendatur modestia, etiam homines quod attinet; quæ non auctoritati detrahit, sed asperitatem jugi & invidiam mitigando, consensu benevolentiæ omnium imperium firmat: non poterit laudari ad ipsum Numen pertingens arrogantia. Rectiùs igitur Philippus Macedo, qui Regis esse dicebat, res pulcherrimas & divinas instituere, sermone autem humano uti. Proximè autem ad divinorum operum splendorem eos accedere, si beneficiis ornando, calamitatibus levando cives, experiantur potentiam suam, etiam proverbii consensu antiquitas testata est. Neque enim superba divinarum appellationum affectatio venerandam amplitudinis auget speciem. Quam quidam quoque Majestatem, nec imperitè vocant: hoc enim sensu de Majestate Valerius Maximus caput inscripsit; & sanè vel maximè exoritur ex summi dignatione imperii. Etenim appositè Tertullianus: *Ideò Imperator magnus est, quia cælo minor est.* At per cælestes illas appellationes Principem in comparationem quasi Numinis adductum, necesse est minorem apparere: eâdem prorsus ratione qua Plinius ad Traianum ait: *Accidit quidem, ut corpora quamlibet ardua & excelsa proceribus admota decrescant; item ut altissimæ civium dignitates, collatione fastigii tui, quasi deprimantur; quantoque propiùs ad magnitudinem tuam ascenderint, tantum etiam à sua descendisse videantur.*

CAPUT XIII.

De Magistratibus & Jurisdictionibus ad Majestatem relatis.

Enimverò Majestas separata longis intervallis à dignitatibus est: neque illâ instructi appellari propriè Magistratus possunt. Quemadmodum enim unitas non est numerus, nec stirps ipsa in gradibus cognatorum subducendis computatur, quamvis omnium origo graduum est: Ita Majestas altius quiddam est omni officio publico aut jurisdictione, quæ inde ut ex fonte profluunt, & in varias imperii partes dispensantur. Quid igitur de antiqua controversia dicemus, hinc merum imperium Majestati soli assentientium, inde Magistratibus quoque communicantium, quibus illi ejus tantum exercitionem permittunt? Et horum sententia pro Romanæ statu Reip. verissima est; sed aliorum hujus ævi moribus accommodatior: cùm feudi jure perpetuæ & hereditariæ Jurisdictiones constitutæ non minus patrimonii partem, quam Magistratus speciem constituant. Ex suprà positis illud consequitur, quod quorumcunque Magistratuum Jurisdictioni intervenire Princeps possit; causasque ab iis ad suam cognitionem avocare: Et quamvis amplissimis verbis plena jurisdictione aliquem instruxerit, sibi tamen inspectionem, supremæ auctoritatis jure, intelligitur retinere. Hæc igitur Majestatem satis à Magistratuum imperiis distinguunt.

CAPUT XIV.

Quomodo Majestas Imperium perpetuum sit.

Quid igitur? Nunquid Dictatores supremo imperio Romæ instruebantur? Nunquid Consulibus quoque summa rei committi solebat in hæc verba: *Viderent ne quid Respub. detrimenti caperet?* Nempe in gravissimis periculis, difficillimisque articulis, quorum perplexitati solennes juris officiique regulæ non congruunt. Quid cùm vacante regno, aut rege per ætatem aliudve impedimentum impari summæ rei, ea quibusdam ex proceribus administranda committitur? Sed hos omnes à Majestate distinguit perpetuitas,

petuitas, quâ summum ejus arbitrium definivimus. Planè ut perpetuitas imperii non patitur illud à populo revocari; ita eidem non repugnat eo se abdicandi arbitrium. Id quod & Pontifici confpetit, si privatæ vitæ quietem suspirat.

CAPUT XV.

Quatenus Majestas supra aut extra leges sit.

TErtia Majestatis nota est, quod legum vinculis imperium hoc non est obnoxium. At quo sensu aut limite? Nam iis legibus, quibus ut cardine imperium versatur; non magis derogare Principem posse, quam ipsum imperii jus delere, suprà diximus: Et nunc tantundem de naturali jure dicimus, non magis ejus religione exsolvi eum posse, quam ut conscientia ipsa ei evellatur. Sed nec gentium jus abolere aliter potest, quàm ut ab omni se populorum societate & commercio divellat. Civilia quoque instituta ex animi libidine si violat, pessimo exemplo & in se fortasse recasuro, ea rescindit vincula quibus civium concordia, non inter ipsos modò, sed & cum Principe continetur. Quid igitur est? Duplici majestas potestate vulgò, nec absurdè censetur, Ordinariâ & Anomalâ; illa quæ ex legibus institutisque, hæc quæ ipsis interim legibus & institutis imperat. Sed quemadmodum Sapientissimus & Justissimus universi temperator Deus, ex naturæ (quæ ordinaria ipsius potestas est) ratâ vi & tenore mundum agit; nec nisi raro & ex summis (utcumque nos lateant) causis, communem ordinem instinctumque rerum miraculis portentisve aut excedit aut turbat: ita, ut ad hoc respondeat exemplar Principis regimen, non debet (ex Taciti scito) vi illâ imperii uti, ubi jure agi potest. Tantùm igitur cum imago legis necessitas id exprimit, aut legum amussis publica salus suadet, aut juris fons justitiæ ratio dictat, legum tenorem flectit, aut etiam jus gentium temperat: Plato latè *in Polit.* aliàs iis obnoxius vel præcipuè, quia in exemplum ipse: nisi quà Privilegiis quibusdam (quæ Romano jure pleraque continentur) eximius appâret, veluti legibus ad solemnitatem pertinentibus solutus. Vide nostra. *C. de Legib.*

CAPUT XVI.

Suprà dicta consectariis illustrantur.

HInc igitur exoritur, si judicio disceptet Majestas ipsa, quòd uti ordinis nimis scrupulosi tricas negligere possit, & decoro tantæ auctoritati vigore in ipsam rei summam statim incumbere; ita quæ ad defensionis pertinent justitiam, probationisque fidem & excutiendi negotii diligentiam ea spernere nequear; si tamen præceps Reipublicæ periculum urget, veluti in seditione aut conjuratione deprehensa, satis erit eorum qui fontes demonstrari possunt cæde justitiæ & securitati omnium litasse, & si publici judicii conspicua forma non fuerit ulla observata. Porrò nec unius ejus testimonio, aliis adminiculis destituto, convinci reum putant. Hinc quoque neque contractus etiam cum subditis initi fidem dissolvere, vel invitum compellere ad commercium, neque re suâ fraudare potest, nisi ob publicam utilitatem (velut in annonæ penuria, vel circa fundum extruendo propugnaculo idoneum) & repensatâ æstimatione ex publico. Æquum enim, ut omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus erogatum est. Adeóque nec alium ad modum solenne rescindere testamentum, vel confirmare imperfectum, vel fideicommissum subvertere, vel in certum usum à testatore relictum in alium convertere, vel contra legem municipalem testandi sine arbitrio mariti potestatem uxori dare, aut filiæ successionis jura largiri aliàs incapaci potest.

CAPUT XVII.

Imperium & Sacerdotium distincta quidem esse, sed in auxilium alterum alterius consentire.

EXplicanda deinceps speciatim sunt prærogativæ Majestatis, sive summi imperii jura: quibus annumerant in primis quidam jus dirigendi sacra: adeò ut Reges ejus exsortes Majestate carere affirment. Sed hæc sententia illorum est, qui cùm à Pontificiæ Majestatis obsequio desciverint, sacra profanis confundunt, innixi Gentilium exemplis, penes quos imperia Sacerdotiis cumulabantur: Plato in *Politico.* tamquam Christus Successores sibi Principes constituerit, aut Principes Apostolis successerint. Nam illi qui Principibus in religionis negotia arbitrium deferunt, iidem sunt qui summum sacrorum Præsulem imperiis quoque civilibus excellere infensissimâ obtrectatione aversantur. Quæ sanè sententia conflictu quodam se ipsam elidit. Quid igitur, inquiunt, nunquid una civitas, in duas distrahetur Respublicas, si alio planeque distincto imperio sacri atque profani homines censebuntur? An potius dicemus Rempublicam in Ecclesia; non verò Ecclesiam in Republica esse? Imò verò dicemus, Imperium sacrum, & profanum sic diversum esse, (illud enim hujus, istud futuræ vitæ felicitati curat) ut mutuâ tamen ope conspirent. Nam Religionis unitas concordiâ devincit animos, & divinorum insinuatio eloquiorum magis obnoxios legibus Principibusque reddit, & futuri denuntiatio judicii efficacius quam omnium tribunalium terror cupiditates improbas frangit. Vicissim piorum Principum & Magistratuum auctoritas Religionem externâ vi tuetur, cùm oppugnatur. Sed illi ipsi (uti à vero diffidentes nusquam constare sibi possunt) hoc ipsum aversantur, contumaces contra sinceræ doctrinæ suadam vi compelli aut compesci: quia, inquiunt, hæc Apostolis inusitata fuerunt. Sed quàm ineptè idem per omnia in tutela Ecclesiæ adultæ & robustæ servari volunt, quod nascens primùm & obnoxia agebat vel patiebatur potius: tam absurdè jus sacrorum Regibus adscribunt aut Primoribus, quod solâ persuasione, ab omni coactione libera, vigere volunt. Quid? quod illi ipsi qui Jus sacrum Majestati adscribunt, reprehendunt eos, qui Reipublicæ finem constituunt religionem: quia alia virtus sit quæ saluti & felicitati Reipublicæ singulos attemperet: alia ex religione manantium vis virtutum, quæ ad æternam vitam adspirans, in mediis calamitatum undis fortiùs suspirat, & per fortunæ naufragia alacriùs concitatiùsque in illum supremæ beatitudinis portum provehitur. Itaque in tam contrariam rationi sententiam, nec convenire omnes potuerunt, qui contra Pontificis Majestatem conspirant. Aliis igitur placuit Ecclesiæ regimen Aristocraticum esse, & arbitrium sacrorum communiter Presulibus & Presbyteris deferre: tamquam non satis perspicuo elogio ac decreto prærogativam & regiminis summam Petro Christus injunxerit. Vide nostra *C. De summa Trinitate.*

CAPUT XVIII.

An ullo casu Imperium Civile ad res aut personas Ecclesiæ vim suam extendat?

ILlud igitur maneat immotum, unum à Christo constitutum ovile, unumq; sibi substitutum Pastorem Summum etiam Reges Principesque complecti: adeò ipsis Jus Sacrorum non competere. Non igitur de controversiis Religionis decernere, non in eum finem Concilium Provinciale Princeps; aut Generale Cæsar indicere possunt; non ei præsidere; non de Sacris leges ferre; non Judicia instituere, v. g. de Matrimonio, de Juramento: quamvis Gentiles Imperatores etiam juramenti religione solvendi, nuptiasque in gradibus prohibitis indulgendi auctoritatem

tem usurpabant. Quæ omnia in Jurisdictionem Pontificis collata sunt: quemadmodum & Ecclesiæ Ministros constituendi potestas ipsi Antistitibusque solùm competit. Quid igitur? numquid pleraque horum ab Orthodoxis quoque Imperatoribus usurpata legimus? Sanè Ecclesiæ nascentis, & vixdum ab impiorum oppressione respirantis, imbecilla ætas tutelam Principum admisit: sed non eadem conditio ad maturitatem viresque justas provectæ. Et de his quidem non est quod agam accuratiùs: sunt enim liquidissima, utique inter Orthodoxos. Sed quidam in controversiam traxerunt, utrùm personæ & bona Ecclesiasticorum ab omni jurisdictione civili sint exempta? Nam quamvis ex Pontificum Decretis id expeditum sit: mores tamen ad aliquid temperaverunt. Etenim in Galliis, si quando Ecclesiastici Judices fines suæ potestatis excedere videntur, recipitur querela ad Supremas Regis Curias appellantium: idemque in Republica Castellana contra vim & impressionem Potestatis Sacræ. Covar. *Pract. Quæst.* 35. *cap.* 3. Coras. *in Cent. SC. cap.* 51. Præterea Orthodoxi quoque Imperatores variè modum constituerunt opulentiæ Ecclesiarum: quemadmodum in his Provinciis Carolus V. Edicto suo vetuit, deinceps prædia Ecclesiis aut Monasteriis acquiri, absque Principis venia: æstimaturi, utrùm inopiæ solatium petant, quò expeditæ humilium curarum nexibus mentes alacriùs sublimiùsque remigio contemplationis in cœlum vehantur; an verò quorum necessitatibus consultum est, luxui, fastui, desidiæ, aut voluptati instrumenta quærant. Visa Principibus hæc necessaria cura fuit, refrigerato jam penes aliquos illo charitatis ardore, quo olim Ecclesiastici immensas opes promeruerunt: cùm stomachi instar omnia reciperent quidem, minimum verò sibi retinerent, sed quasi succum & sanguinem in reliqua membra, ita liberalitatem in inopes dispensarent. Adhæc Magistratus Civilis vindex est utriusque Tabulæ Decalogi: ideòque ad ejus Tribunal spectat coërcitio perjurii quoque, magiæ, blasphemiæ, atheismi, usuræ. Cognitio autem de hæresi Ecclesiasticis tantùm competit; cùm atrociore pœnâ opus est, subsidium severitatis à civili jurisdictione petentibus. Denique in Galliis & hoc Belgio ferè nominandi Antistites Jus Reges sibi vindicant.

CAPUT XIX.

De Juribus Majestatis: & primò circa leges.

EXplicemus igitur Civilis Majestatis Jura, quæ Interpretes Juris Regalia vocant, & reservata supremo Principi: quorum quædam majora faciunt, quæ ipsi soli in vim supremi competunt imperii; quædam minora, quæ in vim privilegii: illa ad regimen, ista verò ad utilitatem pertinent, & in feudum aliquando aliis conceduntur, ut vectigalia, mulctarum & confiscationum Jura. Sed minùs perplexa hæc erunt singulas species contemplanti. Primum igitur Majestatis Insigne, Jura aliis dare, à nemine accipere. Non tamen dignationem Majestatis minuit, sed auget per proclivitatem civium in obsequium, si ex consilio Sapientum ferantur leges. Quâ ratione Jureconsulti tradiderunt, legem ex solius animi sui impetu ferre Principem non posse, neglectâ prudentium consultatione: & Imperatores Romani generalia jura vix sine Senatus auctoritate condebant. Potest quoque Majestas alteri potestatem condendæ legis (ut olim Præfecto Prætorii) mandare. Vis enim nihilominus prima & ultima ejus juris ab illa est: quomodo & Collegiis societatibusq; approbatis hæc potestas conceditur, dummodo non ultrà quàm de suæ professionis negotiis edicant, nec publici juris tenorem infringant. Eadem ferè ratio juris consuetudine comparati: saltem enim ex tacito Principis consensu viget: ad quem etiam

perrit et Mores & Instituta urbium sua auctoritate stabilire, ut (utilissimo expediendarum controversiarum compendio) deinceps in judiciis allegari eas sufficiat, non desideratâ probatione, quæ aliàs ardua, perplexa & sumptuosa esse solet. Sed hoc in populari statu locum non invenit: in quo etiam salvâ Majestate solet populus auctoritatem juris quibusdam permittere: difficile enim fit, si singulorum suffragiis opus sit, discordiosum vulgus & turbulentam semper turbam consentire. Sed & sine Majestatis detrimento usurpantur aliquando alterius Reipublicæ leges: per vim enim, quam ab assumentis eas in usum suæ civitatis confirmatione, accipiunt novam, ipsæ novæ videntur. Interpretatio quoque Juris, quæ uno & perpetuo tenore omnium intellectui modum ponat, penes Majestatem est; etiam circa Privilegia. Nam & hæc largiri, communis juris rigore solvendo quosdam, Majestatis est: quæ sola quoque abrogare leges, iisdemve potest derogare.

CAPUT XX.

Jus Majestatis circa pœnas.

HInc quoque huic soli Clementiæ est arbitrium: ut asyla aperiat supplicibus; (quemadmodum olim Statuæ Principis servabant confugas) magis tamen contra vim injustam aut præcipitis judicii calorem, quàm justam vindicationem, ut pœnam condonet, etiam sententiam rescindendo (cujus mutandæ facultas ne quidem compertâ postea condemnati innocentiâ Magistratui est, sed ad Majestatem referre debet) ut infamiæ maculam deleat, ut exulibus commeatum det, eosve patriæ, bonis, ordini restituat, ut spurios natalibus reddat. Et quamvis nunquam speciosius Clementia refulgeat, quàm cum in ipsum Principem admissa, aut suarum id est politicarum legum violationem condonat: non tamen illorum probanda opinio est, qui circa naturali aut divino jure damnata crimina omnem indulgentiam aversantur, quia non habeat Princeps jus laxandi leges superioris. Etenim non interpretabitur Numen pertinere ad suarum legum violationem, quod ipsius exemplo fiet; pronioris ad Clementiæ benignitatem, quàm acerbitatem justitiæ: adeò ut in sacris eloquiis etiam specialiter denuntiata supplicia sæpe omisisse legatur; non utique inconstantiâ sententiæ, sed mutatione morum in iis quibus vindicta imminebat; terrore denuntiatæ pœnæ immutatis ante pœnam, & in locum innocentiæ succedente pœnitentiâ. Hoc igitur Princeps sequetur exemplum, nec crimen condonabit sontibus, nisi antè supplicationis humilitate errorem ipsi condemnent, & contumaciam frangant. Etenim Clementia in facilitatem dissoluta & sui pretium minuit, & legum judiciorumque auctoritatem labefactat, & licentiam audaciamque illecebra impunitatis irritat: legitimo autem fine coërcita dignationem sibi validiorem ab amore quàm à metu conciliat, & quicquid in legibus judiciisque asperitate quâdam odiosum est mitigat, & frœnum peccantibus injicit verecundiâ offendendi Principem tam dignum amore, atque odio quodam metuque cogendi tam tranquillæ serenitatis amœnitatem in nubila tempestatemque indignationis. In hunc sensum Plinius: *Nescio, an plus moribus conferat Princeps, qui bonos esse patitur, quàm qui cogit.* Nempe *constituit bonos mores civitati Princeps, & vitia ejus facilius compescit, si patiens eorum est: non tanquam probet, sed tanquam invitus, & cum magno tormento ad castigandum veniat.* Quæ igitur discriminis hujus, primâ fronte tenuis, sed vi & potestate ipsâ immensi, erit Regula? Multum interest, inciderit quis in facinus, an incurrerit. Hoc ex indole, & reliquæ vitæ tenore æstimandum. Bonam mentem si casus aut fervor in aliquod delictum impegerit, id cautiùs imposterum devitat. Ex adver-

so *moribus sævis familiare atque cognatum est, armare spiritus impunitatis exemplo. Cur enim secundum desperet effugium, qui laqueos criminis prioris evasit?* Et secundùm hanc Symachi *lib.* 10. *Ep.* 44 sententiam temperandum quod idem facundiùs quàm cautiùs ait *lib.* 9. *Ep.* 1. *Interest serenissimorum temporum gloriæ, ut sicut omnibus in hac vita positis communis est cæli spiritus, lux diei; ita clementiam maximi Principis sentiant vota & facta cunctorum.* Etiamne indole, voto, decreto, malefici? Hoc dementiæ fuerit, non clementiæ. Illi enim pudori ut amictui, quanto magis attrito (pulchrè hoc Apuleius) tanto minùs parcent. Nimirum non naturæ impetui oportet Principem hac in re indulgere, sed rationis ductum sequi: quæ hoc inprimis dictabit, non tam in rem ipsam, quàm in finem intuendum esse. Nam cum Justitia & Clementia ex æquo in Principe virtutes sint: ratio non patitur, ut una repugnet alteri: conjunguntur igitur fine, utcumque diversis semitis incedant. Utriusque propositum est, universis primùm, deinde singulis consulere; criminùm, non reorum odio impelli; in futurum magis quàm in præteritum respiecere; societati civili prospicere, odium in commune facere improsperæ, flagitiis tamquam morbis mederi. Hinc igitur eùm justitia factum æstimavit, & in præteritum respexit: Clementia & facientem æstimat & in futurum prospicit: an utilior Reip. industriâ suâ esse possit, quàm mortis & infelicis malitiæ exemplo; an indoles animi, anteactæ tenor vitæ, deprehensæ & periclitantis malitię odium plus spei in posterum, quàm criminis specimen metus prabeant. Ex hac æstimatione orietur illa Clementiæ suprema laus, *Ut nemo pereat, nisi quem periisse pereuntis quoque intersit*, quemadmodum pulcherrimè Seneca ait: quia malitia ut tabe ipsas medullas hauriente, & mortem magis quàm vitam extendente, haud aliter liberari queat. Vide nostra *C. Si advers. delict.* & *lib.* 3. *De Corrupt. Judic.* Sic igitur Princeps Justitiam miscere Clementiâ debet, ut legum severitatem, quantum sine noxa Reipublicæ potest, moderetur, odii autem crudelitatem in totum excludat: Memor dicterii quod Socrates apud *Xenop. li.* 1. in 30. illos Athenarum crudos rectores jecit: Non magis boni Principis esse cives è medio tollere aut perdere, quàm boni Pastoris commissum sibi gregem imminuere aut corrumpere. Sed aliquando servare, perdere est; cum impunitas audaciam incitat. Atque hac potissimùm contemplatione Majestati tribuitur jus vitæ & necis: quomodo apud Tacitum 3. *histor.* Vitellius imperio se abdicans exolutum à latere pugionem, velut jus necis vitæque civium, tradebat Consuli. Quemadmodum enim Clementiâ, ita & severitate excedere fines legis potest; sed restrictiùs, & cui liquidiùs ratio constare debet. Quod verò traditum est, Majestati licère etiam suis manibus occidere facinorosos: tam crudele imo vile jus vel potius ministerium ipsâ indignum puto. Cumque Augustus in cognitione in Reum adulterii cum filia ejus commissi, adeò exarsisset, ut violentis manibus ipsum invaderet: confidente impetu illo, vehementer eum pœnituit tam impotentis animi, & indecoræ Judici non tantum Principi ferociæ. Laudatur Titus Imperator quod etiam justis suppliciis inlacrymatus sit: augetur crudelitas Domitiani (quàm dissimile par fratrum!) quod spectaculo pœnarum paverit oculos, quos Nero subducebat, tanquam necessitate non voluptate cædes juberet.

CAPUT XXI.

Majestatis jus circa Magistratus & Judicia.

Majestatis quoque jus est, creare Magistratus, potissimùm majores, qui jura & leges tueantur & vindicent: illi enim imperii instrumentum

tum vel præcipuum sunt. Dignitates igitur illustres conferre, ut Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum sola potest Majestas,, qui instar Præsidum Provinciarum sunt, nisi quòd jurisdictione perpetuâ & hereditariâ (quæ pars patrimonii ob emolumenta mulctarum pœnarumque) instrui cœperunt, post dissolutionem aut translationem Imperii Romani. Hanc ego rem minùs amicam Justitiæ puto; Topatchis sæpe in prædam magis quàm emendationem fontium intentis. Nec aliud remedium superest, quàm ut illis districtè transactiones suas super maleficiis, commutationesque suppliciorum in pecuniarias pœnas inhibeantur. Nam, ut Cyprianus ait, *Quod redimi potest, non timetur*. Quemadmodum autem Majestas etiam invito injungere Magistratum potest: ita is, citra illius consensum imperio se abdicare nequit. *l. Legatus. ff. De Offic. Præsid.* Hinc igitur qui privatus sese pro Magistratu gesserit, quive successori de provincia non decesserit, læsæ Majestatis reus est. *l. 2. & 3. ff. Ad Leg. Jul. Majest.* Porro Judices constituere, nempe ordinarios, ad Majestatem pertinere ex jam dictis manifestum est: sed hoc amplius, ipsi soli competit instruere Judicem potestate exsolutâ ab appellationis remora, aut Judiciarii ordinis nexibus: quemadmodum ipsa Majestas expeditâ celeritate, absque metu eorum offensaculorum, decernit & pronuntiat. Majestatis quoque prærogativa est, quod omnium sententiarum ultimum examen sibi vindicet. Et paulatim quidem judicandi vel laboribus, vel offensis, subducere se Majestas cœpit, sive ne nimis se vulgaret, sive ob multitudinem legum & perplexitatem ex iis litium, sive quod illa exercita Cæsarum Romanorum educatio cesset, sive denique ut summam rei strictius amplecteretur ipsa, institutis passim quæ ejus vice & jure, sine appellationis metu, statuerent inter litigantes Conciliis. Sed non ideo Majestatis cognitioni supremæ præclusa via videri debet: salvo eidem semper jure illo, contra iniquitatem judicium implorantibus auxilium subveniendi, contra rem judicatam restituendi, ut ipsa de integro cognoscat: quemadmodum etiam ad suum evocare tribunal potest quascumque causas; & de iis cognoscere, vel aliis extra ordinem judicandas committere: sed nempe causas ad se non pertinentes; propriarum enim arbitrium conferre in alios solet, etiam in crimine læsæ Majestatis, nempe in supremas Curias. Extra ordinem enim deligere suæ causæ Judices, suspicione non caret, nisi ii sint in quos & adversarius consentiat. Qui sanè (si de læsa Majestate agatur) non utetur privilegio fori quocumque.

CAPUT XXII.

Majestatis jus circa bellum, pacem, fœdera, legatos.

UT hæc quidem Majestatis Jura ferè ad conformationem disciplinæ publicæ spectant: alia sunt quæ ad protectionem civium pertinent: hinc igitur belli pacisque arbitrium illi solum competit: adeò ut qui illud ejus injussu vel præparaverit, exercitum conscribendo, aut delectum habendo, imminutæ Majestatis reus sit: quemadmodum in legem Juliam de vi publicâ committit, qui armis rapinam, deprædationem, expugnationem villæ aut domus fecerit: quia hæc ad simulacrum aliquod belli accedant: ut & denuntiationes inimicitiarum intentatum in perniciem mutuam, quas diffidationes vocant, itemque duella, & comportatio telorum ultra necessarium itineris aut venationis usum: soli enim Majestati licet armamentaria vel officinas excudendi arma instituere aut habere: & in Codice Justiniani Usus armorum omnibus inconsulto Principe interdicitur. Hinc igitur & Repressalias, quas vocant, sola concedit Majestas. Porrò quemadmodum ejus solius est indicere bellum, ita & nemini alii licet illud

pace

pace vel transactione exstinguere aut sopire. Nam Ducibus belli inducias quidem pacisci licet, sed non nisi in paucos dies. Sic hostibus deditos à Romanis Duces legimus, qui cum illis, Senatus Populique injussu, transegissent: veluti cum C. Mancinus Consul cum Numantinis, cum S.P. Posthumus cum Sammitibus ignominiosam pacem inivissent. Idque ita est, quamvis Duci libera rerum omnium potestas data sit. Nam quod contrà aliqui sentiunt quia Procurator cum libera potestate constitutus transigere potest, *Arg. l. 56. ff. De Procur.* ii non rectè privati & publici juris rationes confundunt. Jus enim supremi imperii quantumvis amplis mandati verbis non intelligitur includi. *cap. Quod translatione* ✕ *De off. legat.* cum ne quidem possit propriè privatis communicari. Planè Dux cui libera potestas data, convenire possit de pace, sub conditione si approbatur. Fœdera quoque civitates aut Principes alteri subjecti non sine læsæ Majestatis crimine ferire possunt: nisi quod Imperialibus civitatibus id permittitur ad vim externam arcendam. Quemadmodum in Germaniâ quoque Status plerique imperii ex privilegio jus mittendi legatos habent: quod alioqui proprium quoque Majestatis est: quemadmodum & jus comitia indicendi, sive conventum Ordinum.

CAPUT XXIII.

Jus instituendi vectigalia, & Jura Fiscalia: item Jus monetæ, Nundinarum, condendi Oppida.

QUædam sunt Majestatis jura ad subsidium ejus pertinentia, circa impensas quà privatæ magnificentiæ, quà administrationis belli & pacis: ut Tributa, Vectigalia, aliaque fisci emolumenta, quæ quasi Principatus patrimonium constituunt, distinctum à re privatâ & patrimonio ipsius Principis. Ut sunt Ripatica, proventus piscationum, venationum, metallorum, salinarum, confiscationum, mulctarum, hereditatum vacantium, aut heredibus indignis ablatarum. Vide nostra *C. De his quib. ut indign.* agrorum desertorum. Eòdem pertinent Angariæ, Parangariæ & Metata. Itaque ipse fiscus agros, pascua, silvas, molendina habere solet: quæ sanè diligenter custodienda sunt, & prudenter illorum proventus frugaliterque dispensandi, imminutâ aulæ illâ pompâ ne tot homines otiosos alat, quos Constantinus tineas & sorices palatii appellabat. Ne aliàs necesse sit novis indictionibus ærario consulere, & animos populi (ut sæpe inde contingit) alienare. Etenim nova vectigalia instituere, vel antiqua ampliare, ut & minuere, aut quocunque modo reformare, jus Majestatis est: Vide nostra *C. Vectig. nova.* utcunque semel instituta beneficio supremi Principis aliquando pervenerint (in Germania maximè) ad recognoscentes superiorem. Quæ quamvis ab initio non valuerit liberalitas (neque enim alienare Princeps hæc jura potest) tempore tamen coaluit firmius, quàm ut convelli sine labefactione totius Imperii possint. Præsertim cum temporis memoriam hominum excedentis præscriptione solâ hujusmodi jura defendantur. Igitur Jura Fiscalia meritò diminuere Princeps nequit (quæ proinde multis quoque privilegiis munita sunt: Vide nostra *C. Ne rei dominic.*) quia hæc liberalitas in necem Reipub. & civium tenderet. Inde enim capitationes aut exactiones novæ & sæpe iniquæ veluti ex nundinatione dignitatum, ex nimis amara vindicatione venationis & piscationis, ex naufragii ut sic dicam spoliis: quæ auctoribus invidiam, sæpe & periculum conciliare solent; suasoribusque infamiam. Ut autem hæc patrimonii munera Majestas exigit, ita & sola immunitatem concedere potest: *tit. C. De his qui à Princip. immun.* sed ad id facilis esse non debet. Namque horum onerum odium novo stimulo exacerbat inæqualitatis invidia. *C. tit. Immunit. nem. conced.*

conced. Porro ex causa ingruentis subitò necessitatis immunitates cessare, traditur. Majestati quoque jus monetæ cudendæ proprium esse, etiam vulgo notum est: videturque illa inde accepisse nomen, quod effigie Principis quam exprimit subditos admoneat obsequii, etiam contributione ex bonis in subsidium illius exhibendi. Igitur sola Majestas nummos cudere, æstimationem iis & pondus, & proportionem mixturæ metalli definire potest, & aliquando mutare: qui ab illa alius id usurpaverit, crimen Majestatis committit; quemadmodum generaliter quæcunque Majestatis jura sibi vindicans, sine consensu Majestatis: solet enim interim illa quædam & cum aliis communicare, non quidem jure societatis imperii sed ut ipsa in iisdem majorem sibi potestatem reservasse, quam dedisse intelligatur. *cap. Dudum. de Præben. in 6.* Constituendorum Jus quoque Ponderum & Mensurarum Majestati attribuunt, nimiâ, ut mihi videtur, affectatione copiæ. Etenim in *l. 71. ff. De Contrab. emp.* Impp. Verus & Antoninus rescripserunt: *Quibus mensuris aut pretiis negotiatores vina compararent, in contrahentium potestate esse: neque enim quisquam cogitur vendere, si aut pretium aut mensura displiceat: præsertim si nihil contra consuetudinem regionis fiat.* Ut non immerito in hoc Belgio impeditum videatur consilium Caroli Quinti, pondera & mensuras, per singula sæpe opida, interdum & pagos variantes, ad unum & æquabilem tenorem revocandi. Planè ferias extra ordinem imperare, Nundinas totius provinciæ alicubi constituere, ad Majestatem spectat; quemadmodum & jus stapulæ concedere. Denique oppida condere, soli quoque Majestati competit.

CAPUT XXIV.

Minutiora Majestatis Jura.

Reliqua sunt Majestatis jura quæ ad potentiam beneficio exercendam pertinent: veluti benemeritis præmia tribuere; itemque nobilitatem & insignia gentilitia dare, quæ in locum successerunt imaginum, quarum serie & antiquitate in atrio dispositarum, repræsentantiumque illustres Majores nobilitas penes Romanos censebatur: nondum enim à Majestatis testimonio, sed à famæ claritudine pendebat. Unde qui nobilitatem accepit à Majestate, etiam extra ejus territorium illâ censeri debet: est enim (si modo rectè hoc jus dispensatur) nihil aliud quàm testimonium ejus de excellentia virtutis, ita scilicet fœcundæ, tam altis radicibus defixæ, ut transfundenda in posteros præsumatur. Hinc igitur Equites aut Comites Palatinos creare, adeoque & Tabelliones, Doctores sive scientiarum Mystas, quemadmodum & Academias erigere, ad Majestatem spectat: auspiciis & auctoritate Pontificis tantum ad divinorum oraculorum explicationem necessariâ.

FINIS LIBRI PRIMI.

DIODO-

DIODORI DULDENI
DE
CIVILI REGIMINE
LIBER SECUNDUS

CAPUT I.
Distinctio Imperiorum.

IN universum de Majestate diximus: nunc per species explicanda est: prout enim vel apud unum Principem vel apud plures Optimates, vel denique penes universum populum est, distinguit Imperium In Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam. De Reipublicæ igitur forma decernendum est ex Juribus Majestatis, cui scilicet, vel quibus competant; non utique ex regiminis tenore: secundùm quem contingit Monarchiam aliquando administrari aristocraticè, uti in Germania; aut Democratiæ regimen nobilitatis arbitrio temperari; uti Romæ usque ad legem Canuleiam, populo solis Patritiis Magistratus deferente. Multò minùs de Reipublicæ statu est statuendum ex Imperii simulacris: Etenim contingit aliquando Monarcham vim quidem Imperii sibi adstringere, sed Senatui auctoritatis, populo libertatis umbram relinquere, id quod consultissimum est ei iisve, in quos converso Reipub. statu, summa rei, plerisque invitis, devoluta est. Sic enim Augustus pristinæ Reip. & libertatis reliquiis populum & Proceres placabar, non aliter ut flentes Pueri crepundiis sedantur: priscorum Magistratuum nominibus magis, quàm muniis servatis; honore jam magis quàm potestate excellentibus: edoctus jam experimento improsperæ fiduciæ & caloris Julii Cæsaris, qui cùm omnem vim Legum, Magistratuum, Senatûs intempestivè sibi vindicaret, immoderatæ præcipitisque & nimis professæ potentiæ invidiâ conjurationem illam concitavit sibi exitialem. Etenim nimiâ superbiâ, quæ proloqueretur in stat legum excipienda atque observanda dictitabat; Tribunos sibi non assurgentes palam increpabat, Senatui adsurgere dedignatus ipse, neque ejus consilio sed suo utens. Multo minus dijudicanda Reip. forma ex Rectorum nominibus: namque etiam Ducis titulo sustineri Monarchia potest, ut in Etruria.

CAPUT II.
Monarchiæ definitio.

ITaque cum summa rei penes unum est, sive is Princeps vocetur, sive Rex, sive Imperator, sive Dominus, sive quocunque titulo, Monarchia existit. Quid igitur, si ad duos summa rei pertinet? Sanè Triumviratus aut Duumviratus Aristocratiæ species est: quia neque alteri in alterum est imperium, neque unus sine arbitrio alterius jura Majestatis exercet. Eo modo Rempublicam Romanam primi tenuerunt Marcus & Verus Antonini. Sed uti insociabilis ferè est potestas, multis incommodis infestus est Triumviratus: ut in Augusto, Antonio, Lepido concussione orbis terrarum probatum est. Periculosior adhuc Duumviratus: ut in Cæsare & Pompeio probat Lucanus,

canus, quorum discordias inhibuerat intermedius Crassus; haud aliter atque Isthmos suo interventu vetat hinc Ionii inde Ægæi maris undas collidi. Nec pro reliqua sanè calliditate sua ad Imperii successionem destinavit Antoninum & Getam filios. Hi enim discordias suas & privatim ad convictus mutui fugam, & molimina veneni extenderunt; & publicè in eligendis Magistratibus, aut litibus dirimendis ad perniciem æquitaris. Nec dissolvi dissidia potuêre, nisi Getæ fraternâ cæde. Marcus quidem Aurelius consortis sui L. Veri concordiam patientiâ Philosophicâ adstrinxit: sed tamen post mortem ejus, pulchrius regimen remoto æmulo spopondit, & in suspicionem veneficii quoque penes vulgus incurrit. Post cædem Maximini Senatus Balbino & Pupieno Maximo Imperium commiserat; dignissimus illo fastigio, nisi eo conjuncti, imò commissi ad mutuum exitium fuissent. Nam cùm Maximus contra vim à Prætorianis imminentem Germanica auxilia, quæ in urbe erant, acciret, restitit Balbinus; non contra imminentes Imperatoribus Prætorianos, sed pro Maximo, qui solus immineret Imperio, Germanos commoveri dictitans. Inter quas moras Prætoriani in Palatium irrumpentes diluere suspicionem, & dissolvere discordias, utroque Principe obtruncato. Quod si contingat Regnum in plures successores dividi, ut Alexandri Magni Regno accidit: fiunt plures Respublicæ, pluresque proinde Monarchæ. Planè penes populos ubi fœmina Sceptri capax est, fœminâ Regni hereditatem in dotem adferente marito, manet Monarchia, licet in ejus consortium maritus venit; idque propter intimam & individuam matrimonii societatem. Si tamen conjugii pactis cautum sit (ut sæpè solet) uti Majestas Reginæ in solidum esset: expers ejus maritus erit, nec administrare Regnum, nisi ejus auspiciis & arbitrio poterit: quamvis domesticæ potestatis jure imperare ipsi queat; sed nempe distinctæ toto genere ab Imperio Politico.

CAPUT III.

Monarchiæ divisio in Regnum & Dominationem. Et de Tyrannide.

MOnarchia distinguitur in Regnum & Dominatum: illud enim regimine continetur, istud ad Dominium quoque pertinet: (adeò ut tanquam servi patrimonia non nisi precario teneat) uti nominum origo insinuat. Etenim Regis est, Naturalia & Civilia Jura tueri, administrare, temperare: Domini verò solutior potestas arbitrium suum instar Juris Civilis exercet; Tyranni denique libido nec Naturalis quidem Juris finibus continetur. Sed hæc Reipublicæ species esse nequit, cùm ejus dissolutio sit, omnisque ordinis disturpatio: per quam (ut eum Cicerone dicam 3. *De Rep.*) non jam vitiosa sed omnino nulla Respublica est: quoniam non est res Populi, cùm Tyrannis eam Factiove capessit: nec ipse Populus jam Populus est, si sit injustus; quoniam non est Multitudo Juris consensu & utilitatis communione sociata. Ergo quod alii illos quoque Status Rerumpublicarum nominant, populari ratione, non subtilius veritate limatâ loqui intelligendi sunt. Socrates *lib.* 4 apud *Xenoph.* Regnum definiebat Imperium in volentes legibus consentaneum; Tyrannidem autem Imperium in invitos non ex legum Præscripto, sed ex animi libidine. Rex civibus ut Paterfam.; Dominus ut servis imperat: quali Dominatu hodie Moscovitarum, plerorumque Asiæ & Africæ & Peruanæ Americæ populorum vel ferocia dominatur, vel hebes & dejecta incapaxque sui arbitrii indoles manuducitur. De hac dissimilitudine Imperiorum pulchrè Cicero 3. *De Rep.* Ut Animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: sed corpori ut Rex civibus suis, aut Parens liberis suis; libidini autem ut servis Dominus,

quòd

quòd eam coërcet ac frangit. Sic Regum, sic Imperatorum, sic Magistratuum, sic Patrum, sic Populi Imperia civibus sociisque præsunt, ut corporibus Animus. Domini autem servos ita fatigant, ut optima pars Animi, id est Sapientia ejusdem Animi vitiosas imbecillesque partes, ut libidines, ut iracundiam, & perturbationes ceteras. Hâc igitur contemplatione & Dominationi ratio constare Justitiæ potest: dummodo qui dominatur id agit, ut cultu Legum, Judiciorum, Doctrinæ paulatim animi crudi & feroces mitescentes, vel rudes hebetesque levigati temperatiore imperio habeantur. Rex etenim à regendo dicitur; & ad humanitatem, justitiam, solertiam, magnitudinem animi expolire indoles suorum debet: sic enim Europam barbariei caligine demersam Romani Institutis Artibusque suis ad hunc nitorem excoluerunt: nec alio certè fine eorum Imperium Providentia tantâ felicitate provexit. Igitur ut Dominationis rigorem Justitiæ conciliat populi indoles barbara, quæ, ut Livius *lib.* 23. ait, aut serviat humiliter, aut intemperanter dominetur; libertatem, quæ media est, nec spernere modicè nec habere sciat: ita Dominanti non constabit Justitiæ ratio, nisi sensim cultiores inserere mores conetur, paratus tantùm de rigore Dominationis remittere quantum subditorum ingenia leviguntur: ut sic pedetentim Dominationem in Regnum transformet. Tantum abest, quòd illorum Regum probari institutum possit, qui, ut Salustius ait, eo munitiores se censent, quo illi quibus imperitant nequiores sunt: tanquam *patientiores servitutis sint* (ut acutè Plinius) *quos non deceat nisi servos esse.* Id quod tyrannorum est, qui vividos animos deprimere nituntur, quia aliena virtus ipsis formidulosa est: illustres viros perimunt aut premunt, aut pellunt quia illorum gloriâ anguntur: liberales artes in exilium & silentium compellunt, tanquam inde ad libertatis amorem scientiarumque & usum ingenia excitentur. At legitimus justusque Princeps tanquam paterfamilias suos habet, ad omnem præstantiam, inprimis animorum, educare atque erigere etiam rudes incultosque populos sollicitus: nec alio voto bonus dominus suos interim asperiùs & ut servos regit, quàm ut paulatim digni clementi imperio evadant. An sub Imperatoribus res Romana Regnum fuerit, an imperium quoddam medium, dissentiunt Auctores. Sed existimo verbis magis quàm reipsâ eos dissentire. Nam post exactos Reges Regni nomen invisum Romanis fuit, & in *Caligula* Tranquillus notat, quòd Principatum in speciem Regni transformare nixus fuerit: sed Regni nomine intelligunt quam dominationem appellamus; quod nos Regnum, ipsi Principatum vocabant. Quemadmodum igitur Caligulæ, Neronis, Domitiani aliorumque immanitas non efficit, ut Rempub. dominationem fuisse dicamus (neque enim ex injuria jus oriri potest:) ita ex adverso Augusti, Titi, Nervæ, Traiani aliorumque benignissimorum Principum lenitas civilitasque non officit, quo minùs Regnum appellemus. Senatus enim auctoritate suâ quasi precariò utebatur. Fuit sanè jus illud Imperatorum lubricæ & ambiguæ formæ, si eam tenore imperitantium metiaris. Nam ut Nerva & Traianus res olim dissociabiles Libertatem & Principatum, testante Tacito, miscuerunt: utque Marcus & Pertinax ad instar Aristocratiæ vim ditionemque suam temperavêre: ita Commodus, Caracalla, Heliogabalus similesq; ad tyrannicam impotentiam exasperavere dominatum. Auxit hujus varietatis occasionem ipse Senatus Populusque Rom. qui certis legibus Principatum non descripsit, dum conversionem Reipublicæ disertè approbare reformidaret. Excipio (si vera fama est) Legem Regiam, quæ generatim populi & in populum imperium transtulit. At multo salutarius fuisset consentire in fatalem conversionem sub certis legibus, quàm inter libertatem & domina-

tum adsiduè fluctuare. Frequentiorem tamen imperitantium usum si intuemur: fuit status civitatis Romanæ Regnum secundum intellectum ejus nominis nostrum, non fuit Regnum secundum intellectum & vim vocis penes Romanos. Stabilitur hæc sententia auctoritate Taciti 1. *histor.* qui Galbam Imperatorem in adoptione atque admonitione egregiâ sic loquentem introducit: *Neque hic, ut in ceteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & ceteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Denique eòdem, & ad ea quæ de dominatione moderanda diximus, pertinet Oratio Claudii, qui Parthorum legatis petentibus Regem Meherdatem concedens, eundem præceptis instruit: *ut non dominationem & servos, sed Rectorem & cives cogitaret; Clementiamq́ ac Justitiam, quanto ignoratiora barbaris, tanto tolerantiora capesseret.* Maximus quidem & Balbinus Impp. apud Herodianum in auspicali allocutione militum, Senatus Populique Romani non propriam unius possessionem esse Imperium, asserunt: ejus sibi tantùm & militibus administrationem committi. Sed hoc intelligo pro distinctione Majestatis aliàs explicata; vel etiam causæ illi inservierunt, quò sanctiores militibus essent, licet non ab iis, attamen ab illis electi Principes, quibus adeò eligendi jus, ut & ipsius Principatus dominium competat.

CAPUT IV.

De Electione Regis. Utrum hæc præstantior sit successione?

AD Regnum vel dominationem via regia & recta duplex est, Electio, & Successio. Nam quod aliqui dominationi nihil commune esse posse putant cum libertate Electionis; adeóque Electionem facere statum Aristocraticum: id utrumque rationi repugnat. Nam quod Galba apud Tacitum dicit, *Pars libertatis erit, si eligi cœperimus:* id de remissiore regimine, non de mutatione Regni accipiendum est. Etenim prima utique Regna ab Electione fuerunt, non à Regiorum natalium felicitate: & tamen Regna fuerunt. Id enim primum Imperii genus fuisse constat. Neque verò eligendi libertas præjudicat Juri dominationis: Electione enim (ut JC.ti verba usurpem) populus jus suum consumit, quia in Electum transscribit. Sed quæstio pervulgata est, Electionis Jus an Successionis melius sit? Illi enim hæc suffragantur: Imperare ars artium est, & disciplina disciplinarum: cur igitur fortuna nascendi imperaturum designet magis, quàm ut in navis regimen substituatur Gubernatoris filius, utcumque ejus artificii rudis? Sic Senator quidam apud Vopiscum adhortatur Tacitum: *Ne sic Rempublicam patresque conscriptos, & populum Romanum ut villulam tuam, ut colonos tuos, ut servos tuos relinquas.* Quid enim si Rex filium reliquerit vel ætate, vel ingenio imbecillem? an non interea dum ille ad incrementum perveniat, justamque ætatem, vires imperii atque juris ambitiosorum hominum improbitate, nullo sub vindice, licenter atque impune dissolventur? Deinde educatio illorum qui dominationi enutriuntur, necesse est, eos, omni severitate remotâ, in desidiam & luxum, quò sponte sua improvida ætas vergit, dissolvat; & per adulantium obsequia impotenti superbia, & indocili fastu inflet: cum ex adverso Regia soboles omnibus aliis accuratiore disciplina ad virtutes attolleretur, si per eas nitendum ad spem retinendi paterni fastigii esset, non utique familiæ adscripti. Præterea electionis jus ac meritum obstringit proceribus ac populo Regis moderationem atque gratiam: quomodo de primis Regibus (qui utique eligebantur) Seneca *Epist.* 90. ait: *Animo Rector eligebatur: ideòque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Tantum enim*

quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat posse. Addit deinde: *Hi Reges continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur: suadebant, dissuadebantque, & utilia atque inutilia monstrabant. Horum Prudentia, ne quid deesset suis, providebat; Fortitudo arcebat pericula; Beneficentia augebat, ornabatque subjectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset adversus eos experiebatur, per quos ceperat posse.* Sed alii Taciti verbis 2. *Histor. Minore discrimine sumi principem, quam quæri*, affirmant. Electionis enim licentia Proceres viribus, dotibus, aut saltem animis pares funestâ sæpe ambitione atque emulatione collidet; sive illos qui pariter ad fastigium hoc nituntur, sive etiam clientes, qui factionibus distracti, alii alios attollere conantur. Neque enim facilè in hac re speranda consensio omnium, tanquam in unum supremæ virtutis fastigium: suffragiis suis inclinantium: quasi non validius illa largitionibus, gratiâ, potentiâ rapiantur, quàm admiratione sapientiæ; aut quasi non rarissimè virtus & fortuna in unum conveniant. Consultò, ut nunc hominum indoles est, fugient virtutis vel severitatem, vel vigilantiam, sive primores illi qui sub ignavo Rege sibi regni vim despondent, sive populus, pronus semper in licentiam. Sic enim Tacitus 15. *Annal.* de Pisone principatui imminente: *Procul gravitas morum, aut voluptatum parsimonia, levitati ac magnificentiæ, & aliquando luxui indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine, summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt.* Itaque quod Juvenalis ait: *Libera si dentur populo suffragia, quis tam perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?* Id ego nequaquam verum puto. Ipse enim ait: *Mihi jam, quod argumentum est recti, contigit, displicere malis. lib. De vit. beat. c.* 24. Et in universum hanc sententiam profert *eod. lib. c.* 1. *Non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi, turba est.* Quid Neronis successor Galba? *Nero*, inquit, *à pessimo quoque semper desiderabitur.* Scribit quidem Tacitus, conjurationis Pisonianæ socios Centuriones agitasse de provehendo Senecam ad Imperium: sed unà cum conjuratione successus hoc consilium fefellit. Præterea ad Regnum nati educatique non ideò superbiores sunt: nam ipsâ consuetudine lætitiæ non se capientis impetus frangitur, & admiratio suæ fortis cum æstimatione sui nimia paulatim evanescit ut in re usitata. At electione, & sic repente ad summum fastigium elati, insuetæ magnitudinis, licentiæ, atque adulationis dulcedine tanquam ebrietate capiuntur, cum privatæ fortis contemptu atque odio ex stupore & cœca æstimatione præsentis. Adjice nunc, quòd eligentium beneficio in præteritum, & potentiæ in posterum obnoxius Rex, pari auctoritate imperitaturus non videatur, atque ille quem nascendi felicitas, quasi divinâ sorte Sceptris destinatum, ab omnium procerum non modò obligatione eximit, sed & fortunâ distinguit. Hinc igitur fortior & securior Majestas, suo jure Regni heredem educantis, & pluribus (ut Tacitus appellat) munimentis insistentis: cohibenturque, ut idem ait, aliorum spes pravæ; quia successor non in incerto est. Nam ut Rex proceribus Regnum debens, dignâ Justitiæ severitate, cùm res poscit, alienare eos metuit, ne fortè sibi successurum Regem familiæ suæ infensum reddat, cui potiùs ambitioso obsequio conciliare jam nunc suffragia conatur: ita ex adverso, non senectute, non facilitate, non imperitiâ Principis abuti perinde Optimates audent, ubi è sanguine ejus successorem suspiciunt, & etiam in posterum vindictam metuunt. Validior igitur & incorruptior talis Majestas Regis: sed & diligentior simulque sincerior Regni Administratio. Non enim divisis & plerumque contrariis

trariis curis privatæ rei & publicæ consulit; quemadmodum ille qui familiam privatam fortasse fore prospiciens, in eam Reipublicæ opes præcipiti avaritiâ cumulat. Qui hereditario jure Rempublicam tenet, ei ut suæ consulit: nec de suo tantùm seculo sollicitus, in posteros quoque disponit; jaciendo ingentium operum fundamenta, quorum ad illos demùm fructus perveniat, utcumque ipse non aliud inde speret, quàm labores & impensas. Et hujusmodi certè multa sunt publicæ salutis consilia & molimina: quæ ab iis ferè negliguntur, qui Regnum ignoto & fortasse inimico adornant; aut æmulatione gloriæ, semper penes auctorem præcipuæ, deserturo quæ publico bono inchoata fuere. Hæ igitur utrimque rationes minimè absurdæ: ideoque & sententia utrorumque suo fine probanda. Nam in populo moderato, tranquillo, composito Electio utilior; in turbulento, feroce, ambitioso Successio. Nam ipsa Electio, quoties sincera, & meliorem invenerit, & electus meliùs reget, quàm is quem nascendi sors obtruserit. Romanum si contempleris imperium, quotquot eo moderatè & industriè usi, electi fuere. Tolerabiles fuere Galba & Vespasianus; laudandi Nerva, Traianus, Hadrianus, Antoninus; supra omnem laudem Marcus & Tacitus. At omnes hi privatis innutriti penatibus: & proinde non despexêre Optimates, quos paulò antè in æquo adspexerant: imò suspexêre illos, ut tanti beneficii Auctores. Atqui nihil est quod supremos rerum Arbitros magis detorquet licentiâ, & suorum arbitrio affectuum permittit, quàm quòd non modò nullius verentur potestatem, sed nec cujusquam reverentur existimationem. Proclive sanè est omnes contemnere, qui neminem sibi unquam parem vidêre. Quod verò quibusdam placet, Electum Regem dignitate antecellere hereditario Regno instructum: id mihi non magis probabile est, quàm usumfructum dominio potiorem esse. Scio quidem plus esse ad honorem, proprium quippe virtutis, mereri Regnum, quàm habere: sed natum Regem & educatum regiis artibus, ac quasi fato destinatum Regno, capacem tantæ fortunæ animum quoque habere præsumimus.

CAPUT V.

De modo & forma electionis. Et qui eligendi?

Electionis triplex ratio est, vel enim libera prorsus est, vel ad certum genus hominum adstricta, vel etiam uni familiæ adscripta. Aliquando enim ex omni ordine, familia, natione deligere optimum licet, aliquando non nisi ex Optimatibus vel ex indigenis, ut in Imperio Germanico, vel ex adverso ex peregrinis, ut in Polonia. Quorum illud aliqui salubrius putant, ob ingeneratam illam patriæ charitatem, similitudinemque morum atque institutorum, peritiam quoque animorum populi, ob existimationem denique & dignitatem regionis, cui contrarium videtur, si aliunde Regem petant. Extraneus ille opes publicas in suæ gentis homines nempe in propinquos affinesque suos effundet, & sic Rempub. quam regit exhauriet. Hinc igitur Deus non nisi ex indigenis populo suo olim reges legi voluit. *Deuteronom.* 17. Sed aliâ contemplatione salubrius videtur exterum eligi, quò Procerum acerrimæ æmulationes tollantur: qui utique æqualis paulò ante imperium molestissimè ferunt: insitum enim, inquit Tacitus, mortalibus est, à nullis magis fortunæ modum exposcere, quàm quos in æquo paulò ante viderunt. Præterea exter ille, nullos beneficio aut injuriâ expertus, incorrupto affectu & æquabili curâ fovebit omnes. Ego de hac quæstione tantundem ferè dixero quod de ea quæ præcessit: electionem ex indigenis meliorem esse in populo æquitate & lenitate tranquillo; in alio aliam. Tertia electionis species unam familiam non egreditur, non longè

longè à successionis jure remota, ut apud Abyssinos, & olim penes Persas extremis temporibus. Planè etiam quibus libera electio est, solent ferè suffragiis inclinare in defuncti Regis liberos aut agnatos; ut in Dania: qui certè ægerrimis & infensissimis animis ad privatam fortunam redierint; & de principe loco alteri cesserint. Atque ita illud Taciti hic quoque obtinet: *Magnis conatibus opportuni transitus rerum*. Sed ita Regiæ familiæ ratio præ aliis haberi debet, ut præcipua tamen ratio sit virtutum Regiarum, itemque libertatis elegendi in posterum. Communiter enim verum Livii *lib*. 4. effatum, patetque latiùs: *Libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non finas*, & in una familia continuata, eidem coalescere tandem ut patrimonium atque hereditatem. Et quæri possit, utiliusne eligatur privatis penatibus innutritus, an Regius? Illud apud Herodianum Macrinus præfert, Marcum & Pertinacem in exempla citans. Et sanè qui privati fuerunt, magis sentiunt affectus, & vota civium circa imperantem, iisque proinde proclivius consentiunt. Ex affectu judicioque quo privati dum essent, alios metiebantur Principes, ipsi jam Principes acriùs liquidiusque officii admonentur. Idque Galba Pisoni, Plinius Traiano suggerebant. Quia tamen malitia fortunam magis reveretur, quàm virtutem: iterum hanc rem ex indole populi æstimandam puto, moderationis, an sequioris. In disquisitionem & illud venit, quoniam rarò militares civilesque artes concordant, ex iisne potius an ex illis eligendus Princeps? Tacitus quidem cetera omnia facilius obumbrari in Principe posse putat, quàm imbelliam. Proprium enim ejus, tueri contra vim cives. Si hoc munus alii delegat, sub ejus tutela ipse videtur, & contemnitur ac periclitatur. Ego inprimis discrimen esse puto in conditione ipsa regni, pacatum sit, an bellis infestum. Quin & pro hodiernis moribus potiores pacis, quàm belli artes puto. Principes enim rarò castris miscentur: auspiciis tantum & consiliis supersunt. Quid, quod regna non sæpius affliguntur fugâ bellorum, quam eorundem cupiditate: quâ bellicosi ferè Principes stimulantur? Alexander imbellis quidem, sed civilium plane virtutum Princeps haud dubiè minus rei Romanæ pœnitendus, quàm a quo cæsus est Maximinus expertissimus bellorum; vel Antoninus Caracalla militaris prorsus vir, sed alienus à pacis artibus, quibus familiarior frater ejus Geta erat. Hunc autem Getam, scribente Herodiano, studia & judicia Procerum Romanorum longè illi præferebant. Idemque auctor ostendit, optabilius fuisse Macrini Imperium, qui dignatione civilis industriæ substitutus Caracallæ fuit. Nescio quomodo bella, quæ ad tuendos cives suscipi dicuntur, eosdem crebrius affligant, quam sublevent. Nec immerito Plinius Traianum attollit, quod bellica fortitudo, conscia multorum clarorumque successuum, non excuteret illi moderationem animi, quâ paci studebat. Sed ille nempe utriusque particeps laudis erat; illudque temperamentum quod ex Vespasiano & Mutiano confici potuisse, tanquam perfecti Principatus instar, Tacitus censet. Alioqui naturale est, ut quâ quisque dote valet, censeri velit; & ut possit, eandem exercere optet. Inde militares Principes sæpè supervacua & ancipitia bella accersunt.

CAPUT VI.

De Electoribus.

NOn minor circa eligentes diversitas esse solet. Aliquando enim in suffragia totus populus mittitur: sic populus Romanus Senatu auctore eligebat Reges. Hæc suffragiorum promiscua licentia multis est incommodis infesta: quorum remedium esse aliquod poterit, si persuadeatur populus per compromissum (ut Pontifices appellant)

pellant) eligere; delectis nimirum ex suo corpore paucis & prudentibus qui electione fungantur, quàm ratam habere promittat. Major adhuc perturbatio rerum imminet, ubi exercitus (ut sæpè apud Romanos) hoc arbitrium sibi vindicat: nam copiarum dissensus, fiducia armorum atque insita ferocia, statim in bellum civile exardescit. Constat à Senatu Romano, id est parte meliore generis humani, electos ferè displicuisse militibus. Hi nempe Galbam, Pertinacem, Tacitum obtruncarunt. Horum scelere quandoque etiam venale pependit Imperium, licitantibus Sulpitiano & Juliano, qui & obtinuit. Quin & milites quos ipsi elegerant, levissimo momento sæpè prodidere; Aliquando etiam eam ob causam ut per successionem novi Principis potirentur Donativo, pertæsi diuturnum ac jam sterilem largitionis principatum: ut in Alexandro insinuat Herodianus. Melius igitur, hoc eligendi jus Senatui supremo, aut selectis proceribus esse. Sic Pontificem soli Cardinales eligunt, sub id tempus conclavi ad majorem consensionem conclusi, omniumque accessu vel interventu etiam per internuntios aut litterarum commercium prohibiti, ut ambitus omnis subornatio atque corruptela arceantur. *cap. 4. de Elect. in 6.* Imperatoris quoque Electio hodiè ad septem Principes pertinet, ex quibus tres antistites sunt: prævaletque, ut aliàs semper, in dissensu, numerus, dummodo omnes convocati ritè fuerunt; nam vel unius non citati absentia omnem electionis vim subverteret. In paritate suffragiorum, consentire eos oportet, aliàs Pontifex intervenit (quemadmodum & cum Electores contumaciter cessant) cum prærogativa suffragii sui. Quemadmodum eidem in universum est arbitrium confirmandi Electum, inungendi, consecrandi & coronandi; vel indignum rejiciendi. *cap. 34. ꝟ de Election.* Electores autem jurejurando adiguntur, suffragia deferre ex animi sententia præstantissimo, rescissis juramentis quibus privatim aliis adstricti sint. *d. c. 4.* Quid igitur, si quis se excellere credens, sibi suffragium suum dederit, tanquam jusjurandi religionem officio modestiæ antiquiorem sanctioremque habens? Sed dicendum est, *cap. Per nostras. 26. ꝟ de Jur. Patron.* id & justitiæ regugnare, testimonio vel arbitrio in sua quemque causa interdicenti, & rationi, *l. 22. § Si tibi. ff. Mand.* & *l. 34. in fin. De contr. empt.* Brixiensis *quæst. 25.* secundum quam nec intelligi quidem suffragium potest, nisi distinctis personis hinc merentis, inde de merito pronuntiantis. Copiosissimè hoc probat Seneca. *5 de Benef. c. 7. & seqq.* Et inter alia: *cap. 10. Quædam ad alios*, inquit, *pertinent, & sic formata sunt, ut tota significatio illorum discedat à nobis. Frater sum, sed alterius: nemo est enim suus frater. Par sum, sed alicui: quis est enim sibi par? Quod comparatur, sine altero non intelligitur: quod jungitur, sine altero non est. Sic & quod datur, sine altero non est: & beneficium sine altero non est. Nemo sibi bene facit, non magis quàm sibi favet, suarum partium est.* Si tamen ex septem Compromissariis tres ex iis unum eligant, is electioni consentiendo superabit extraneum quem residui tres elegerint. *cap. 33. de Elect.* Idem est, si Electorum pars extraneum, pars æqua unum ex suo corpore elegit: hic enim suo suffragio vincet, ut Costal. notat ad legem *4. ff. Quod cujus. univers.* quæ tamen hoc non tradit. Denique illud sciendum, Electionem irritam esse, tanquam dolo peractam, si suffragia largitionibus redempta probentur. Electus autem etiam eos quorum adversa suffragia expertus est, benignitate eximiâ complecti debet: eritque hoc primum moderati, & civilis animi specimen, quo etiam illos sibi conciliabit, deletâ omni formidine aut suspicione offensæ, non minus sæpe ad simultates validâ, quàm injuriâ.

CA-

CAPUT VII.

Distinctio Regni Successorii: ejusque distinctionis effectus.

DIcendum nunc est de successorio Regno: quod vel est hereditarium, vel legitimum: de illo etiam testamento (solennibus quoque destituto) valide in quemcumque disponet Rex, eligetque ex liberis qui affectum aut judicium ejus potissimum promeruerit: non verò omnes illos arcebit, familiamque egredietur, ut quidam volunt. Quibus ita demum assentior, si illi de familiâ exheredationis notam non meruerunt. Ceterum illis deficientibus adoptione successorem quærere poterit. Dispositione verò ejus cessante, ab intestato instar reliqui ferè patrimonii devolvetur ad proximum è sanguine. At verò hodiè pleraque legitima sunt Regna, successione ad certum modum lege aut institutis adstrictâ: succeditque non proximè defuncto utique regi proximus; sed regiæ stirpi conjunctissimus; nec ut illius hereditas cernitur, sed ut familiæ jus vindicatur. Quibus consequens est, ut in hereditario Regno successor ad omne æs alienum sui auctoris; in legitimo autem ad illud demum teneatur, quod in Regni causam contractum fuit. *Arg. cap.* 1. *x. De Solut.* Planè contractus quos antecessor quà Princeps, non ut quilibet gessit, etiam electione substitutum obstringunt, nisi Majestatem aut publicam salutem manifestò lædunt. Præterea in Regno legitimo omnis potestas Regis morte extinguitur: adeò ut nec atrocem contra se offensam ulcisci exheredatione possit; adeoque nec controversiæ de successione, quam emersuram prospicit, arbitros constituere: nequidem ex Ordinum consensu. Non magis enim hi, quam Rex ipse institutis quibus fundatur regnum, derogare possunt in necem ejus cui successionis fortuna suffragatur. Planè Ordinibus approbantibus arceri ultimo elogio Regis poterit, ob publicum bonum, quem fati infelicitas imbecillitate mentis à gubernandi facultate removit.

CAPUT VIII.

De Primogeniti jure in successione Regni.

AScendentium rara hîc successio: (& ubique ferè mater excluditur à principatu ex paterna stirpe ad filium profecto) si tamen alicui à majoribus regnum obvenerit, isque sine sobole moriatur, recurret ad originem. Porro jure quodam Gentium Primogenitus solus in regnum succedit; partim quia non magis quàm conjugium, ut ille ait, consortem patitur; imò non magis quam geminum solem mundus (ex responso Lydorum) ejus vi conflagraturus, qui nunc unius calore fovetur: partim quia regionibus dividi, & quasi membratim discerpi hoc corpus, non minori pernicie infestum est. *c. Imperialem. § Præterea. De prohib. alien. feu. per Freder.* Quid igitur fratribus agetur? Nam hæc inæqualitas insitam iis æmulationem ad odiorum funestam pervicaciam exasperabit. Et sanè aliquibus non nisi ipsorum ruinâ opprimi atque compesci hoc inimicitiarum incendium posse videtur. Sed abominanda securitas est, quæ scelere paratur. Igitur, quæ præter Regnum in patrimonio sunt, fratribus contribuenda; pensionesque idoneæ in alimenta congruentia cum splendore dignitatis. Sed & pars aliqua veluti oppidum, non imperii arbitrio, sed clientelaris obsequii jure concedi poterit: (morte ejus reditura ad regnum) adeoque & regnum unum, si plura seorsim Parens habuit. Aliàs si permixta pridem fuerunt, eodem jure censentur; quemadmodum & incrementum, quod regni viribus quæsitum est; eunt que longiùs, & thesauros quoque, ac bona mobilia comprehendunt: quod ita verum puto, ut instrumentum patrisfamilias omne ab instrumento Regis distinguamus. Denique Ecclesiastica Collegia, tantummodo illustrium aut

nobilium capacia, in subsidium quoque fratrum primogeniti instituta purantur. Etiam pluribus uno partu editis, distinguetur censebiturque suâ prærogativâ Primogenitus: nam ut non per intervalla lucem subierint, rerum natura non patitur. Quid tamen si ordinem nemo observavit, vel recordatur? Sorte dirimetur quæstio, tanquam indice fatorum, nunquam populorum hinc pendentis fortunæ incuriosorum. Etiam posthumo, aut mortuæ matri exciso successionis hoc jus servabitur. Neque verò primogeniti jus imminuet, quod post natalem ejus pater Regno potitus alios genuit: *Arg. l. 5. ff. De Senat. l. 2. §. 2. ff. De Decu.* nascendi enim ordine, non fortunæ vicibus jus hoc dirigitur. Idque etiamsi armis aut suffragiis quæsitum fuerit Regnum. Semper enim, quia hereditarium sit, instar aliorum bonorum sortietur heredem. In quibus utique nullum discrimen facit tempus obventionis bonorum. Et si aliter interpreteris, si pater post partum sibi Regnum non aliam susceperit sobolem, filio antè nato, contra fas omne, antepòsueris agnatos. Nec dici proinde debet, ambiguam publici juris quæstionem dirigendam esse utilitate publicâ, suffragante post Regnum nato, & proinde ad Regias artes educato atque instituto. Nam ex adverso alterum magis industriæ & moderationis opinione commendat severior in privata fortuna educatio. Quod si lex scripto prodita sit, verborum interpretatio quæstionem dirimet. Multum enim interest, primum Regis filium, an Regis Primogenitum lex vocet. Illa enim formula haud dubiè & ante Regnum genito convenit; non & altera: eum quippe designans, quem primum Rex genuit. Ille nempe ante Regnum editus, dici filius Regis potest, non etiam ex Rege natus. Hotomannus *Quæst. Ill. 2.* Gigni enim ad certum tempus refertur: filium esse, non tempus, sed personam respicit. Sed hæc Hotomanni distinctio scrupulosior æquo videtur. Nam & Primogenitus Regis rectè dici videtur ante Regnum natus; Regis appellatione ad patrem, de cujus Regni seccessione quæritur; non utique ad Regiam qualitatem relatâ. Nam si lex aliò, & ad propositam dubitationem inhibendam respexisset, utique non tam tenui atque obscuro verbi vestigio contenta, planiùs pronuntiasset. Quid igitur, si Primogenitus relicto ex se filio ante patrem moriatur, an is repræsentationis Jure patruo suo (Jure R. concurrerent: sed resistit ratio suprà dic[illegible] porior erit? Et exempla Auctorumque opiniones hoc magis affirmant. Neque enim primogenituræ jus unam personam respicit, sed irromnem ex ea stirpem manat. Cùm igitur huic juri nec pater derogare possit, (adeò Primogenito, etiam patre vivo, acquisitum hæret) cur non ante patrem mortuus primogenitus soboli suæ transfundat hoc jus; quippe surculo ex radicibus iisdem eandem arborem reparanti (Tiraquellus *De Jur. Primog. cap. 40.* Facit lex *Si plurib. ff. De Suis & legit. l. Is cui. De ob. & act. l. Cùm avus. ff. De Cond. & dem. l. Si arrogator. 22. ff. De Adoption. l. 1. §. 21. ff. De Collat.*) excluso fratre; quem utique soboles patri & priùs defuncto avo superstes exclusisset? Etenim Repræsentatio non modò gradum, sed gradûs prærogativam, tribuens efficit ut Primogeniti stirps etiam post ipsum eodem jure utatur: & demum liberis deficientibus cùm exarescit, ad secundogenitum ejusve stirpem successio respicit; adeò ut qui ex ea sunt præferantur etiam propinquioribus gradu in prosapia tertiogeniti. In Regno autem ex linea paterna orto, jus agnationis; si descendit ex stirpe materna, proximitas potior erit. Hæc ita, nisi singularis doceatur consuetudo quæ refragetur.

CAPUT IX.

An & quando spurii succedant in regnum?

Vagis extra matrimonium libidinibus quæsita soboles, à successione in

ne in regnum, dedecoratura regiam stirpem, & seculi verecundiam, arcetur: & Majestas frustra jus suum exercebit natalibus talem restituendo. Planè relinquere illi poterit provinciam suis auspiciis & industriâ, belli jure, quæsitam. Sed & legitimam efficiet prolem conjuncto postea eum matre ejus conjugio: si tamen ante id ex aliis nuptiis suscepit sobolem, ei primogenituræ jus semel quæsitum ex postfacto non auferetur. Sed neque matrimonio cum concubina in articulo mortis contracto eandem vim esse volunt: tanquam vel eum fraude, vel dicis causâ, consortium omnis vitæ constituatur à deserente vitam; & procreandæ sobolis jura quærantur ab effœto & morti dedito. Aliis tamen placuit, nec hoc matrimonium prohiberi, nec proinde effectu suo circa jus successionis frustrari. Neque fanè argumenta illa movere videntur: cùm tale matrimonium etiam in præteritum, adminiculo fictionis juris vim suam exerceat.

CAPUT X.

An & quatenus hujus successionis capax fœmina sit?

FOEminæ quoque plerarumque Institutis Gentium ab hac successione removentur; ut in Gallia per Legem Salicam. Quædam tamen Gentes & olim & hodie fœminarum imperium non sunt dedignatæ: neque enim Naturæ vel Divino Jure rejiciuntur. Cùm enim illas quoque communis Parens Deus mente & ratione insigniverit, non sunt utique sapientiæ & virtutis incapaces, quippe quæ mentis & rationis consummatione censentur. Unde & Plato eas omnibus virorum exercitiis putavit admovendas quoque; nec minus ad pacis bellique artes cultu ingenii promovere posse. Nec tamen dubitandum puto, quin natura cujus perpetuo ordine deteriora præstantioribus submittuntur, utcunque non repugnat fœminas interim patriæ ritu sceptris succedere, suadeat tamen commendetque Imperium virorum: quibus & mentem largita est expeditiorem in scientias & consilia, & cum corpore spiritum robustiorem, tolerantioremque laborum, & animum capaciorem virtutum, & judicium liquidius tenaciusque decretorum, & indolem erectiorem ad veram gloriam, sermonemque cum voce & vultu & gestu validiorem ad urgendum jussa seu terrore seu reverentiâ. Igitur non illorum placet sententia, qui fœminas in successionem regni admittunt, nisi ex adverso ostendantur prohibitæ; sed eorum potius, qui eas excludunt, nisi speciali lege aut instituto patriæ capaces se imperii doceant. Adeoque non favorabile in fœminis tale jus, ut etiam, cùm iis speciatim concessum est, intelligatur tantùm in subsidium deficientium masculorum; *c.* 1. *§. Filia. tit.* 8. *lib.* 1. *feud.* nempe filiorum (nam agnatis reliquis præferuntur: neque semel exclusæ interventu fratrum perpetuò exclusæ manent. Facit *tit.* 17. *lib.* 2. *feud*) Sed nec primogeniti ante patrem mortui filia excludet patruum: quamvis ipsas inter fœminas quoque primogenituræ jus obtinet; primogenitæ filiâ excludente materteram, adeoque secundogenitæ filium: is enim ex fœmina descendens potioris juris esse nequit, eum familiam ejus non sequatur sed patris. Unde dicunt, fœminis à successione regni per leges remotis, nec masculos ejus stirpis jure ad regnum niti posse; denique cùm ut Regnum electivum aliquando excipitur interregno, administrantibus vicariis; ita in hereditario Rege locum aliquando tutela obtineat: quæritur, an eo ipso quo fœminæ successione, etiam mater tutelâ prohibeatur? Et quamvis quibusdam videtur, nihil commune eum successione Regni habere tutela: probabilior tamen aliorum sententia: nam populi qui institutis suis prospexerunt, ne suo jure fœmina imperium caperet, censentur quoque ab earum gubernatione abhorruisse alieno jure exercendâ: quamvis aliter in Gallia obser-

observatum aliquando. Neque enim privati juris regulis matrem ad tutelam vel inprimis vocantis hæc res dirigitur.

CAPUT XI.

De Pactis successionis: & alia quædam circa eam jura.

ENimverò contrà communis juris tenorem hoc quoque receptum est, quod Illustres familiæ quibusdam gentilitiis pactis, quasi legibus, de successione invicem disponant, in casum deficientium legitimorum heredum. Hujusmodi pactis invicem tenentur Saxoniæ & Hassiæ Principes, aliique. Quæ pacta si non in universum concipiantur, sed in certas personas dirigantur, propter abominandam voti mortis occasionem, non valere nisi inter Supremos, quidam non temerè existimant. Valent igitur inter personas territorio & jurisdictione præditas plena, cùm totius familiæ fato volvuntur: nec aliàs consensu opus Supremi Principis, quàm si bona aut territoria feudi titulo ab eo teneantur. Quid igitur, an hæc pacta supremi Judicii libertatem impediant? Et sanè si valere dicuntur rectè, consequentium rerum series non patitur ut liberè rescindantur. Successionis ordine vicibusque quà ex lege, quà ex pacto, interitu generis consumptis; ad populum redit potestas, liberumque Ordinibus vel eligere Principem, vel aliam Reipublicæ instituere formam. Illud notandum, non semper successionem directò suâ vi Regem facere; sed interim & auctoritate Ordinum opus esse: neque enim id ad electionem spectat, sed custodiam earum legum pactorumque quibus antiquitùs instructum Regnum fuit. Vocatur id Inauguratio vulgò.

CAPUT XII.

De Polyarchia in genere.

SEquitur de Polyarchia, cùm summa Imperii penes plures: quos tamen Majestatis Jus individuum, neque à singulis vel in solidum vel per partes, sed pariter vel ex omnium consensu, vel suffragiorum prævalente numero exercendum, colligit in unius corporis compagem, uniusque personæ vicem: à quo distinguendi Magistratus, quippe illius non membra, sed instrumenta. Suntque illi non minus obnoxii, quàm in Monarchia Regi. Neque aliud longè existimandum de Duce, aut Dictatore, qui in Polyarchia esse consuevit, (si tamen ex imperantium numero eligitur, membrum est, & quasi caput) vel ad tempus eligi, potissimum ad expediendos perplexarum rerum nodos, maximè in bello: quod libero imperio nec relationibus ad senatum adstricto, sed in re præsenti decernente, & cum occasionibus deliberante indiget. Idem est circa Rempub. fundandam aut reformandam: hæc talia enim difficillimè plurium impetiis expediuntur. Quibusdam tamen periculum libertati imminere videtur ab eo cui summa administrationis committitur: sed remedium aut subsidium erit, si non unâ quasi Respub. anchorâ nitatur, sed diversis per vices temporum adminiculis in summa illa præfectura utatur; ejusque vires uni coalescere non patiatur diuturnitate. Polyarchia in duas species discedit, Aristocratiam, & Democratiam.

CAPUT XIII.

Quid Aristocratia, & quotuplex: qui in Optimates legendi; & à quibus.

ARistocratia est, cum minor civium pars, collecta ex præstantioribus, imperat: hinc Optimates, aut Primores, aut Nobilitas, aut Senatus appellari solent. Etenim vel virtutum & prudentiæ excellentia, vel rerum gestarum claritudine meritisque in Rempub. censentur; & ea propriè Aristocratia est; vel generis aut opum splendore, & ea distinctius Oligarchia dicitur: non utique enim (ut quibusdam visum) hæc aberratio est hujus status:

ſtatus: ea enim ſine magis, ex animi libidine, & ad privatas opes dirigentium imperium metienda eſt, quàm ex initio aut conſtitutione. Nihil autem vetat, ex nobilitate lectos, majorum gloriæ, per virtutis imitationem continuandæ, incumbere alacrius, & avitis opibus expletos aut ſubnixos & incorruptiùs abſtinentiúſque Rempublicam adminiſtrare, & tutelæ ejus ſollicitiùs ſtudere atque animoſius propugnare, quâ pereunte plurimum perderent. Eligendi Optimates Jus quandoque populo eſt: neque inde ſanè Democratia exiſtit, ſi modò ſemel lecti ſuo jure & in perpetuum præſunt. Sed quia vulgo, ut ille ait, non judicium, non dilectus, non conſilium, non diligentia, ſed (ut Tacitus) vile decus publicum: aliis perplacet Inſtitutum, quo ipſi Optimates vacantem locum morte collegæ ſupplent: vel quo virture præſtantiſſimus aliquis ſibi non dignationis magis quam (occultâ conſpiratione inſignium animorum) indolis quoque conſortem legit, iſque alium, & ſic deinceps, donec impleatur numerus. Quibuſdam probatur magis, Ephoros eſſe, ſelectos nempe ex populo prudentiâ, eumque repræſentantes, quibus electionis jus ſit. Denique numerus Optimatum definiri perpetua regula nequit: ſed rationem habendam puto & populi & nobilitatis: nam pro utriuſque ordinis vel copia vel paucitate, majorem quoque minoremve Optimatum numerum probaverim. Nam quod quibuſdam exiguior eorum cœtus tanto validior ad diuturnitatem, quanto facilior ad conſenſum & concordiam videtur; id hactenus quidem veri ſpeciem habet: ſed alia contemplatione iterum incommodis infeſtum eſt. Nam pauci & corrumpi facilius, & in errorem induci poſſunt; faciliuſque prævalere unus ambitione & opibus clarior. Maſſilienſium certè pulcherrima Reſpub. fuit: atqui ſexcenti præſidebant. Illud utiliſſimi inſtituti erit, quotannis Optimates cenſuram exercere in collegas; & ordine movere ſi quis ſimulatione virtutis obrepſerit, vel ab ea deflexerit inſolitæ potentiæ guſtu, tanquam Circes poculo, transformatus.

CAPUT XIV.

Deſcripta Democratia, & diſtincta. Deſcripta quoque populi indoles.

Supereſt Democratia, quæ interdum diſtinctè appellatur Reſpublica, tanquam ei hoc nomen conveniat maximè, ubi plurima ſunt omnibus communia & publica. Etenim Magiſtratus à populo & ex populo & conſtituuntur, & revocantur, & mulctantur, & cenſentur; appellatione ab eorum ſententiis integrâ ad populum; qui & leges, bella, fœdera ſuis ſuffragiis ſancit, utcunque ab illis proponantur, ſuadendo diſſuadendove. Unde hic ſtatus Eloquentiæ vim atque ubertatem ſemper aluit maximè: & inter alias, quibus infeſtatur, noxas, eſt Oratorum licentia, qui ſuo arbitrio in omnes affectus impellunt concionem temerariam, & auribus magis, quàm mente judicantem; cuique veriſſimum videtur, quod cupiditatibus præceptiſque opinionibus eorum blanditur; & conſultiſſimum factu, quod dictu ſpecioſiſſimum. Hinc ſeditiones, hinc temerè ſumpta bella, hinc clades. Nec tamen ex æquo his malis Reſpublicæ omnes divexantur, ſed prout magis minuſve ſpecie libertatis æquabilitatiſque Juris communionem poteſtatis licentiamque perſequuntur. Etenim diſtingui hic ſtatus poteſt in Democratiam adſtrictam, & alteram diſſolutam: illic populus & Judicia & deliberationes de Republica ſuis ſuffragiis ſervat; iſtic verò tantùm electionem Magiſtratuum correctionemque: ita ut non tam univerſa turba imperet, quàm alternatim ex ea delecti. Qualem hodie Rempublicam Genevenſes, Tigurini, Bernates & pleræque aliæ Helveticæ Civitates uſurpant: nam prioris ſpeciei exemplum Rhetivrani, Undervaldii putantur. Et quidem

quidem aliquando honores tantùm patritiis mandat populus (quam Aristoteles Timocratiam vocat) aliquando sine dilectu ullo; quod in Laocratriam vel Ochlocratriam incidit, æquè ac prima species: quæ temporibus Demosthenis & Periclis fatigabant Athenas. Et meritò Socrates apud *Xenoph. lib.* 1. stomachiabatur Magistratus fabâ creari: cum nemo fabario Gubernatori, aut Medico, aut fabro se fortunasve suas committere vellet: qui tamen minore discrimine hallucinantur. Romæ plerumque modestius populus egit: fuit enim reverà Democratia, cùm injussu populi de capite civis statui non posset, cùm is Tribunis suis niteretur sacrosanctis contra omnium vim Magistratuum, quorum jussu interim & Consules in Carcerem rapiebantur, cum tandem etiam à Dictatore ad illum provocaretur. Neque ambigendum valde est, quin dissoluta illa Democratia vitiosus status sit. Plato *in Polit.* Quòd enim mare, quæ tempestas inconstantior impetu populi? Levibus momentis à misericordia ad crudelitatem; à severitate ad remissionem transilit. Nihil in illo medium moderatumque, & ideò nihil in sententiis stabile. Quâ levitate quid magis contrarium auctoritati imperandi? Neque miranda est hæc in decretis tam indecora & insida fluctuatio: neque enim ratione & diligentiâ ducitur, sed affectuum temeritate impellitur: vel certè pecudum ritu, alius alium ut prudentiorem sequitur; sed maximè stolidissimum. Nam modestiam providentiamque circumspectorum ignaviam & timiditatem interpretatur: solosque viros putat, qui feroces & præcipites. Etenim ipsum vulgus turbis & novandis rebus deditum, quieti & præsenti statui infestum, cupidèque semper Auctores & Duces motuum amplectitur: quorum insidiis sua credulitate subjicitur. Adhæc viles illi & angusti animi publicæ dignitatis curam non capiunt: tantùm privatâ utilitate moventur; eam enim tantùm sentiunt, quia proximè ipsos contingit: nec tam longè progrediuntur ratione, ut publicum bonum ad se pertinere liquidò intelligant. Atque ut publicum bonum negligunt, ita excellentium felicitati infensissimâ invidiâ obtrectant; & plerumque non æstimatis causis affectu & studiis in infirmiores inclinant. Accedit malignarum suspicionum licentia atque temeritas. Hinc olim Ostracismus atque Petalismus, per quem in exilium pellebantur opibus, animis, famâ eminentes. Adeòque de hujus instituti æquitate etiamnum quæritur,

CAPUT XV.

An Ostracismus conveniat justitiæ?

Quidam enim eum defendunt, tanquam tuendæ Democratiæ conveniat, eos qui æquabilitatem (quæ illius finis est) excedentes, premere libertatem possint, maturè à societate removere: quippe cujus legibus obstrinxisse se cives censentur: Plato *in Critone* fusè. Nam quòd Lex dicitur communis Reipublicæ Sponsio, potissimùm de iis Legibus intelligendum est, quibus forma Reipublicæ continetur; ut in Democratia Æqualitate & Libertate communi. Majorque ratio habenda societatis quàm socii. *l. Actione.* 66. *§ Labeo. ff. Pro socio.* Aristoteles 3, *Polit.* 9. Quid? quod rigidus ille æqui bonique vindex Seneca stare ab hac parte videtur, *Ep.* 86. Aut Scipio, inquiens, Romæ deesse debebat; aut Roma libertati. *Nihil*, inquit, *volo derogare Legibus, nihil Institutis. Æquum inter omnes cives Jus sit. Utere sine me beneficio meo Patria. Causa tibi libertatis fui; ero & argumentum. Ex eo, si plus quàm tibi expedit crevi.* Eò perducta res erat (censente Seneca) ut aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret injuriam. Neutrum fas erat. Itaque dedit locum Legibus, & se liberum recepit; tam suum exilium Reipublicæ imputaturus, quàm Hannibalis. Aliis verò hæc popu-

popularis licentiæ iniquitas displicet. Est enim naturalis Æquitatis Regula, in *l. 6. C. De his quæ vi.* Nemini dignitatem nocere ad invidiam oportere. Neque utique leges democratiæ violat, qui vel indolis vel fortunæ vel industriæ adminiculis, famâ, fide, auctoritate, reliquis anteeminet, si ex Republica nihil sibi præ aliis præterque æquum usurpat: quod enim crimen continerit illa quæ vel Dei, vel Virtutis, vel Populi denique ipsius suffragio obtingunt? Ego existimo quicquid hoc inter Politicos controversiæ est sedari facilè posse. Neminem enim probaturum putem Ephesiorum decretum, quo Hermodorum virum sapientem fugaverunt, cum elogio: *Nemo unus apud nos excellat:* quos Heraclitus propterea meritos extrema supplicia affirmabat. Cui etiam Athenienses approbaverint exilium Aristidis, ob Justitiæ fidem famamque summam irrogatum? Aut eodem suffragio Tyrannorum arcana probent, illustres Sapientiæ antistites urbe pellentium, tanquam magistros aut exempla virtutis, dedignantis servitutem, quâ indigna est. Sic igitur existimo: sceleratissimum esse Ostracismum ex conjecturis potentiæ opprimendi libertatem; justum verò esse ex indiciis voluntatis: nam potestas nocendi sine voluntate nunquam criminosa est; voluntas verò etiam sine facultate sceleri sæpe sufficit. Ex conjecturis condemnari exilio quis potest; non etiam ex suspicionibus: ex potentia invadendi tyrannidem, vel virtute promerendæ principatum, vel favore populi honore eximio unum aliquem colentis augurari oppressionem Reipub. quid aliud est quam maligna suspicio? Sed & quod in Bataviæ oppidis dudum usitatum, ut Consul suspectos migrare jubeat, salvâ existimatione & bonis; non judicii ordine adhibito, non provocatione admissa, Grotius 2. *Apol.* id non nisi necessitas approbavit. Neque igitur Bruti factum probavero, Collegam suum Tarquinium Collatinum, ad cedendum consulatu ac urbe urgentis; de quo Livius *lib. 2. Nescio*, inquit, *an nimis undique libertatem minimis quoque rebus muniendo excesserint modum: Consulis enim alterius, cum nihil aliud offenderit, nomen invisum civitati fuit. Nimium Tarquinios regno assuesse: non placere nomen periculosum libertati.* Pulchrè Apollon. *lib. 5. ap. Philost.* non eminentes spicæ decutiendæ, sed spinæ evellendæ sunt.

CAPUT XVI.

An status Imperiorum misceantur? Unde hæc mixtura oriatur.

Status Rerumpub. explicati hactenus simplices sunt: sed contemperari invicem eos contingit, adeò ut existiment quidam vix in Europa tota purum putum inveniri statum: quibus alii contrario, sed pari subtilitatis rigore, nullum mixtum imperium agnoscunt: Majestatem enim individuam esse; nec summum imperium jam amplius esse quod cum aliis communicetur. Imò summum manet, sed in illis pariter quibus communicatur: ceterum enim nec Democratia, nec Aristocratia supremo imperio censerentur. Non aliud igitur illorum argumenta evincunt, quàm mutari Reip. statum, si Jura Majestatis cum aliis participentur: sed hæc mutatio mixturam efficit. Quo sensu Tacitus: *Eam esse conditionem imperandi, ut non aliter ratio constet, quàm si uni reddatur:* quamvis optimi Imperatores conabantur semper rationem Senatui reddere, ejusque auctoritate uti; sed civilitatis magis humanitatisque officio, quam juris necessitate. Sed non inde status evadit mixtus: jàm enim suprà administrationis tenorem ab imperii jure distinximus. Atque hujus distinctionis subtilitatem negligere videntur illi, qui nullum non imperium mixtum putant: cum tamen multum intersit, utrum imperii summi jura, an consilia cum aliis participentur. Hoc tamen fatendum est, gubernandi rationem remittentem aliquid de jure Majestatis, sæpe temporis progressu ad mixturam status invalescere; neque enim

ea semper ab origine imperii legibus instituta, vel manifesta Reipub. conversione introducta est, sed sæpius sensim & occultè subrepit: quemadmodum medici temperamenta corporis hominibus sæpe mutari aiunt nec animadvertentibus.

CAPUT XVII.

Quibus modis status Rerumpub. contemperentur.

OMnes ultro citroque misceri status possunt: mixtionisque vis tribus potissimum modis cernitur: vel enim dividuntur Majestatis jura, ut verbi gratiâ, quædam Princeps exerceat, quædam Senatus; vel eadem communicantur, cùm Rex quædam sine Nobilitatis vel populi arbitrio exequi nequit; vel denique summum Imperium certis conditionibus adstringitur. Primi generis exemplum Sparta exhibuit: ubi hoc modo omnes status contemperati fuerunt, potissimum cum Ephori fuerunt instituti. Adeoque Auctor est Justinus, Lycurgum infundandâ æquo jure Spartâ sic distribuisse vim Majestatis, ut Regibus esset belli gerendi auctoritas; Senatui tutela legum; Magistratibus judicia, & denique populo electio Magistratuum. Hunc ferè ad modum mixtum esse Germanici Imperii statum quidam putant. Secunda mixtionis species in Regno Poloniæ appâret, ubi sine arbitrio Nobilitatis jura condere, abrogare aut mutare Regi permissum non est: idemque ferè censendum de ceteris Imperiis ubi Ordines sunt, quos vulgò Status appellamus, maximè si suo jure convenire possunt. Et nescio cur tam operosè disputetur, utrum Ephori universi Rege majores sint? Habent enim intercedendi potestatem, si quid contra mores & instituta majorum, vel in detrimentum Reipublicæ tentetur: nam si suadendi dissuadendique tantùm precario jure censentur, non Ephori aut Ordines sunt, sed Consiliarii aut Senatus. Tertia species constituit Regnum legitimum: non quin & aliàs Rex non promiscuè legibus sit solutus, sed quia ne quidem potestas ex usu & ratione flectendi mutandique leges tunc soli Regi sit, sed pariter Ordinibus. Nam & hi ferè ut Assertores privilegiorum legumque, sub quibus Rex recipitur, constitui solent. Sic quibusdam in Rebuspublicis in hanc adigi legem novus Rex solet, ne sine populi consensu bellum aut fœdus faciat; nevè militiæ muniis (nisi pro defensione patriæ) invitos implicet. Adhuc usitatior lex est, non provehendi ad Reipubl. administrationem exteros, utilissima certè ubicunque ex peregrinis Rex eligitur. Variis quoque sanctionibus muniri hæ leges solent: aliquando enim (sed periculoso exemplo) subditis exuendi obsequium jus datur, si pactis legibusque non stetur: usitatissimum est, religione jurisjurandi eas adstringi; quod illos admoneat Poëtæ versus:

Si genus humanum & mortalia spernitis arma,
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.

Planè generale juramentum è Repub. & justitiâ gubernandi non efficit statum mixtum: (quæ enim, inquit Papin., dubitationis tollendæ causâ contractibus inseruntur, jus commune non lædunt) sed tunc demum cum certis capitulis modum finesque summæ potestati præscribit arctiores, quàm jure suo haberet. Hoc juramentum prior obire Princeps debet; antequam nempe subditi obsequium jurent: quia cum ad id sub conditione obligati sint, priùs conditio impleri debet juramento Principis. At verò diversum est circa commune illud Principis jusjurandum: antè enim cives suo juramento obstringere obsequii fidem debent. *Arg. l. 8. ff. de Probat.*

CAPUT XVIII.

De Imperiis subalternis.

PRæter summa illa Imperia, de quibus hactenus egi, alia sunt Fiduciaria, quæ Subalterna vocant, quæque superiorem aliquem respiciunt: distincta tamen prorsus à Magistratuum Imperiis, quippe ferè temporariis, saltem ad posteros non transmittendis:

tendis: cùm illa ad heredes transeant. Illa administratione ad præscriptum obeundâ; hæc liberiore dispositione & Autrocratiâ censentur. Enimverò hæc Fiduciaria Imperia contemplatione subditorum absoluta sunt, magis quippe suo domino adstrictorum, quàm ejus superiori: ratione verò ipsius domini minimè absoluta sunt, recognoscentis quippe supra se alium vel Principem vel Rempublicam, quibus jurisdictio in eum est, inspectioque regiminis & coërcitio potestatis si eâ abutatur: à quibus etiam electio aut successio confirmanda est, & controversiæ circa illas si quæ emergunt dirimendæ. Hi Fiduciarii Principes Jura territorii habent, quæ tantundem ferè illis præstant, atque supremo sua Majestas. Sed ut magis ad speciem, id est liquidiùs hæc Imperia describamus: talia imprimis sunt Tributaria, nempe cùm victo populo aut Regi Imperium quidem relinquitur, sed annuæ pensitationes indicuntur in symbolum subjectionis: idemque ferè est, cùm fœdere cavetur, ut alter alterius Majestatem comiter observet. Planè Jus Clientelare, quo libera Respublica potentioris patrocinium sibi assumit, nihil derogat Juri Majestatis, cùm ad ejus protectionem id pertineat; neque Patronus ille suo Jure indiœre pecuniam potest, utcunque pensio annua ei solvenda est: id enim hodie usu invaluit, imminutâ jam illâ generositate indolis Romanæ, cui magnificum hoc Patrocinii officium tantum amissurum de dignitate videbatur, quantum emolumenti adjiceret. Idem igitur dicendum de iis vel Principibus vel Rebuspublicis Supremis, quæ annuis pensitationibus sese à Turcarum aliorumque Barbarorum vi & excursionibus redimunt, & arma auro comprimunt, viribus impares. Porrò Fiduciaria Imperia vel præcipuè ex feudi Jure existunt: cujus ratione etiam supremos Principes interim superiorem recognoscere contingit. Sic Monarcha Hispaniarum adspectu Burgundiæ Status Imperii est; quemadmodum & Daniæ Rex ratione Holsatiæ. Gail. *De arr. resf. cap. 6. num.* 14. Sed feuda illa vel libera sunt, tantùm fidei obsequiique erga Patronum pignora; (id quod à subjectione diversum est) vel variis legibus adstricta. Hæc Fiduciaria Imperia in Germaniâ præcipuè cernuntur: ubi tres illi Ordines, nempe Septemviri Electores, ceteri Principes, & Civitates liberæ, in suis ditionibus eandem ferè jurisdictionem potestatemque exercent, quam Imperator, quem proinde superiorem recognoscunt.

CAPUT XIX.

De optima Reipublicæ forma: & primò pro Democratia.

Superest ut inquiramus, quæ ex recensitis hactenus Rerumpublicarum formis saluberrimâ existat. Quamvis enim exornare quisque Spartam debet quam sortitus est: eodem modo quo quisque corporis sui temperamentum tueatur necesse est: utilis tamen contemplatio est in optimam Reipublicæ formam tanquam ideam: præsertim cùm subinde converti illam contingat. Quidam igitur Democratiam extollunt, tanquam consentaneam maximè Instituto Propositoque Numinis 1. *Samuel. cap.* 8. & *Judic. cap.* 8. Tantùm abest quod Monarchia tanquam Providentiæ hoc universum regentis imago prædicanda sit. Quæ enim comparatio justa inter Regem non exsortem infirmitatis communis, & Numen compos omnis potentiæ quam in singula distribuit, & immenso ampliorem in ipso fonte continet? Igitur hæc Respublica, quam laudamus, convenit & Naturæ, quæ in summa æqualitate homines omnes libertati genuit; à qua minimè illa Respublica abest, quæ honorum communionem, quæ juris æquabilitatem præcipuè colit; nec tam hominem homini subjicit, quàm omnes legi, id id Rationi, Naturæ, Deo. Quibus vix sua vis constat sub Principibus, qui nisi suum arbitrium iis subinde præponant, non satis se dominari credunt. Quo sensu Tacitus; *Minui jura, ubi gliscat potestas*;

testas. Hæc consortio Reipublicæ inter omnes & fortiores ejus Propugnatores cives efficit; cùm reverà patriæ, non alienæ ambitioni sanguinem se impendere reputant: & ex adverso faciliùs se dedunt qui oppugnantur, dulcedine libertatis in cujus consortium pôscuntur. Hinc semper Resp. bellicis laudibus præcipuè floruerunt: itemque pacis artibus, ut eloquentia: quæ certè penes Romanos sub Cæsaribus consenescebant, cùm in libero paulo antè populo tanta se ubertate extulissent. Nec mirum: honos enim, ut inquit ille, alit artes. Præmia verò in populari imperio tam communia & exposita etiam infimæ conditionis hominibus, quàm ipsa Virtus; quæ non ordines, non natales, quibus se conjungat, discernit, cum suo jure claros magnosque faciat quos insedit. Ex adverso læta fortitudinis indoles quomodo in servitute efflorescat? Aut quę præmia sibi à dominantibus despondeat, quibus, ut Salustius ait, formidolosa est? An non talem Tiberium describit Tacitus, anxium semper eminentium virorum laudibus? An non talem Domitianum, acerbissima æmulatione militares artes in Julio Agricola premerirem, & otio, silentio tenebrisque damnantem? Porrò ut in præmiis, ita in pœnis quoque melius cum Repub. agitur. Hinc apud Livium dissolutissimi sodales Tarquiniorum de Regno in Democratiam converso in hunc modum conqueruntur: *Regem hominem esse, à quo impetres, ubi jus ubi injuria opus sit; esse gratiæ locum, esse beneficio; & irasci & ignoscere posse; inter amicum atque inimicum discrimen nosse. Leges, rem surdam, inexorabilem esse; salubriorem melioremque inopi, quàm potenti; nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris.* Enimverò in Dominantem utcunque per flagitiorum turpitudinem exemplo suo inficiat seculum; utcunque scelerum atrocitate Nobilitatem, plebem, virtutem exscindat, nullæ leges exercere vim suam possunt. Et in illo fastigio positus, nihil suspirat altius quo excitetur. Unde cum eum nec pœnarum metus coërceat, ne spes præmiorum vel instiget vel contineat: quid obest, quin tantâ licentiâ, tot vitiorum illecebris, tot fortunæ blandimentis in omne dedecus abripiatur? Præterea unus ille potissimùm in illa rerum omnium affluentiâ, sopitus voluptatibus, quomodo tot curis, tot negotiis, omnibus diffusissimi sæpe Imperii partibus par sit? Accedit imperitia rerum. Accedit ingentis fortunæ comes Assentatio; quæ dum gratiam sibi captat, suggetere grata quàm utilia mavult. Inde igitur administri Consiliariique etiam boni pro se quisque obsequuntur cupiditatibus Principis, ne quicquam de ejus sibi voluntate pereat: exequuntur decreta sævitiæ, ne in sese illam derivent. At mali Palatini ultro etiam incitant libidines domini, ut similitudine morum stabiliant societatem: exasperant iras, ut sublatis è medio præstantioribus emineant ipsi. Populus verò, utcunque singuli rudes, tamen plurium in unum conspirante prudentiâ, atque ex tot sententiis optimâ luce suâ emicante, meliùs faciliusque providere Reipublicæ potest.

CAPUT XX.

Pro Aristocratia.

Quidam verò recensitis hinc Democratiæ inde Monarchiæ incommodis, tanquam ab extremis, ut scylla & charybdi, refugientes ad auream mediocritatem, optimum censent regimen Optimatum. Ipsum Aristocratiæ nomen prærogativâ virtutis se commendat: & quamvis in Rege (ubi eligitur) ea quoque spectatur: validior tamen plurium in optima tendentium consensio. Ipsa natura hoc imperium asserit: quippe quæ neque tam effœta est, ut dotes suas omnes in uno consumat; neque tam prodiga suorum munerum, quibus pretium ipsâ raritate quoque conciliat, ut virtutem prudentiamque in sordidissimam quoque plebem spargat. Esset sanè Monarchia ad ideam regiminis in totam rerum natu-

naturam præstantissima, si is Rex existeret, qui tanto Sapientiæ intervallo reliquos cives, quanto Deus homines antecelleret. Sed hanc præstantiam in uno natura æquâ parens cùm adversetur atque abnuat, tanquam veritane ex mortali Numen faciat, aut reliquos saltem ejus comparatione ad pecudum vilitatem dejiciat: optimum est, Prudentiæ vim quam magnitudine & specie invenire nequimus, multitudine & mixturâ quâdam varietatis cumulare. Videtur itaque, Taciti verbis, in civitate multis inlustribus viris subnixâ, non ad unum omnia deferenda esse, plures faciliùs munia Reip. sociatis laboribus executuros.

CAPUT XXI.

Pro Monarchia.

AT verò Principatui suffragantur & Doctorum opiniones, & exempla populorum crebriora: namque & primum hoc & pervagatissimum Imperii genus est. Et natura ipsa in hujus universi atque adeo in microcosmi regimine, admonere nos videtur, Taciti verbis, *Unum esse Reipublicæ corpus, atque unius animo regendum.* Videturque hæc Reipublicæ forma faciliùs reliquis existere perfecta posse; & si desciverit à præstantia sua, proclivior spes remedii. Etenim omnibus naturæ ornamentis instructus faciliùs unus invenietur, quàm plures: uniusque ad exemplum sententiamque faciliùs se populus composuerit, quàm ad plurium Instituta moresque ut plurimùm discrepantes. Vita sanè Principis censura est, ut Plinius ait, eaque perpetua: imò cinosyra est, ad quam omnes respiciunt, & vitæ cursum dirigunt, cupientes quàm proximè similitudine indolis & studiorum accedere, ut ei se probent à quo solo præmia & honores, ac quasi fata singulorum, dispensantur. Sed etsi Princeps ad deteriora animum appulerit, remedium & instauratio rerum speratur simul ac ille brevissimum hoc vitæ stadium decurrerit: eò magis quod antecessoris offensiones, odium, & pericula derestatioque liberior mortui succedenti in cautionem sint. At verò corruptorum contagio procerum non certè unius aut alterius morte exstinguitur: collegium enim semel vitiis, tanquam tabe infectum non nisi sui similes in decedentium locum cooptabit. Sed ut meliùs eum morum disciplina agitur sub Principe, ita & sanctior justitiæ tutela, cujus causâ societates omnes institutæ sunt. Cùm Princeps enim sit, qui in reliquos fortunam dispenset, adeò largitioni singulorum non inhiet; minùs profectò corruptelis sub illo licet. Jam & Concordia firmior sub arbitrio unius: ille enim est, qui seditionum, factionumque tempestates sedare statim atque serenare potest. At in populo, in Optimatibus certamina assidua: æqualitas enim illa in æmulationem prona est, hæc in ambitionem excitatur: inde contentiones, quæ facilè in funestas factiones erumpunt, paratis utrimque clientum studiis, furorisque administris & instigatoribus, nullo imminente sat digno arbitro aut vindice. Hinc vix ullæ unquam diuturnæ Respublicæ fuerunt, certè ad ævum, quo Monarchiæ perennârunt, non pertingunt. Sed præter morum conformationem faciliorem, præter Judiciorum incorruptiorem disciplinam, præter concordiæ tranquillitatem securiorem & quæ ex iis pendet Imperii vivacioris diuturnitatem: etiam administratio belli sub Regibus expeditior, quàm in Republica. Insinuat id Livius *lib.* 9. opponens enim Romanos Duces Alexandro Magno: *Et quò*, inquit, *sint mirabiliores quàm Alexander aut quisquam alius Rex; denos vicenosque dies quidam dictaturam, nemo plus quàm annum Consulatum gessit. Ab Tribunis plebis dilectus impediti sunt, post tempus ad bella ierunt, ante tempus Comitiorum causâ revocati sunt, in ipso conatu rerum circumegit se annus: Collegæ nunc temeritas, nunc pravitas impedimento aut damno fuit: malè gestis rebus alterius successum est, tironem aut malâ disciplinâ institutum exercitum acceperunt.*

runt. At Hercule Reges non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque trahunt consiliis cuncta, non sequuntur. Eadem Taciti sententia Germanicum cum eodem Alexandro comparantis, existimantisque quod exsuperaturus etiam eum fuerit, *si solus arbiter rerum, si jure & nomine regio fuisset*. Quamvis enim Germanicus in statu Monarchico belli Dux erat, tamen quia Tyberius pro more & æmulatione Tyrannorum de præstantibus viris malè suspicabatur, ideò non diuturniorem liberioremve administrationem belli illi permittebat, quàm Populus rerum dominus solet.

CAPUT XXII.

Pro Statu mixto.

NOn temerè profectò Statum Reipub. mixtum quidam reliquis anteponunt: ejusque sententiæ est ille totius Græciæ sapientissimus vir longèque doctissimus Plato *lib.* 3. *De legat.* & *Epist.* 8. quam Apuleius sic expressit: Imperitandi modum eum esse utilem censet, qui ex tribus fuerit temperatus. Nec enim vel Optimatum, vel etiam popularis imperii solos & meros status utiles arbitratur: nec impunitas Rectorum culpas relinquit; sed magis censet his debere constare rationem qui sunt potiores potestate. Nec dissentire videtur Aristoteles, qui Regem unà cum lege imperare jubet. 3. *De Rep. ult.* Etenim cùm ut ferrum rubigine, ita suis quique vitiis status simplices, naturali quasi sequelâ, infestentur; remedium adversus ea à temperie est. Ne enim Rex vi dominationis, ut Tacitus ait, convellatur, & soluta illa potestas in Tyrannidem evagetur, opportunè limites intra suos ab Ordinibus aut Ephoris continebitur. Neve populare imperium nimio libertatis studio insolescat, seditionibus ferociat, eminentes per invidiam divexet, & in Anarchiam exerret, frænum à Senatu aut Principe erit. Ne denique Optimates suis factionibus Rempub. lacerent, congestisque in privatos lares inque clientes suos publicis opibus, plebem instar mancipiorum habeant: utiliter his quoque mixtus status repagula sua objiciet. Etenim ut corporis temperamentum optimum est in quo quatuor illi humores sic amanter conspirant, ut non unus aliquis excedat: ita Respub. præstantissima, ubi neque Principi, neque Primoribus, neque populo solis potestas summa est, & sic immensa, atque in superbiam injuriamque præceps; sed moderata, omnesque æquo jure fovens, quia per omnes ordines distributa. Et mediusfidius si diligenter statum rerum humanarum hominumque indolem expenderimus, dicemus de omnibus ferè in Europa populis quod de Romanis Galba Imp. *Quòd nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Corruptiores enim sunt, quàm ut solida libertate non luxurient; erectiores, quàm ut integra servitute non ferociant, & ad excutiendum hoc jugum instigentur. Nam ut dissolutis moribus non rectè plena libertas committitur; ita culta ingenia totam servitutem dedignantur. Mediocritas igitur optima, quàm mixtæ Respublicæ constituunt. Et hoc ferè sensu Tacitus *in Agricola* Nervam & Traianum Imperatores laudat, quod res olim dissociabiles, libertatem & imperium junxerint. Qui beatissimum Reipub. statum præceptis suis informant, sive Principatum elegerint, id primum atque ultimum monent, ut Princeps in arduis Reipubl. negotiis, non ex sui unius sententiâ decernendi superbiâ vel salutem vel certè animos civium offendat; sed quæ pro omnium utilitate se moliri credi cupit, ea si non ex omnium, certè ex potiorum consensu aggrediatur. Atqui hanc felicitatem non disputationibus eruditorum imaginariam, non monitis votivam, sed reipsâ repræsentat, instituitque suis ratam efficit Monarchia mixta. Jam qui Optimates vel votis vel decretis persectutus sit; quid prius posteriusve egerit, quàm ne se & clientes suos totam Rempub. reputent, ne plebem pro

servis

servis habeant? Atqui hoc non precariò, sed jure agit temperies status. Denique qui populare imperium salubribus præceptis temperaturus sit, hanc habebit doctrinæ summam, ne ut in fabulis Ixion falsa imagine & cupiditatis impetu deceptus, nubem pro Junone amplectitur; ita populus cæco & immoderato libertatis amore, ejus loco licentiam persequatur, quæ non rationem, non æquitatem, non leges revereatur; non prudentiæ, non consiliis, non auctoritati meliorum cedat atque obsequatur; denique ordinum, natalium, ingeniorum, meritorumque discrimen omne aspernetur. Ne verò in hoc monstrum Democratiâ transformetur, id mixtio Status effecturam se non vanè pollicetur.

CAPUT XXIII.

Quid de tota hac controversia statuendum?

Finis non sit argumentorum, si contentione circa hanc controversiam utamur: adeòque argumenta pleraque quæ recensuimus, à contentione aut calumnia non longè absunt. Facile enim est, sed cum cavillatione conjunctum, unum aliquem statum laudibus extollere, reliquos deprimere; si illum quà sincerum perfectumque, istos quà ad finitima vitia declinantes æstimes. Etenim tres illi Rerumpublicarum Status & naturâ suâ salutares singuli sunt, & pravitate vel imperantium vel parentium singulis vitia sua (Plutarchus appellat intentiones remissionesque quasi harmoniam turbantes) insidiantur, in quæ lubrico lapsu devolvantur. Itaque in universum eos contemplanti, & suis momentis ponderanti, nullo extrinsecùs adhibito, haud promptum est unum alteri præferre. Hinc ille acutissimæ vir prudentiæ Tacitus de hac re sententiam suam profert valdè ambiguam: *Cunctas, inquit, nationes & urbes, Populus, aut Primores, aut Singuli regunt. Dilecta ex his & constituta Reipublicæ forma facilius laudari quàm evenire; aut si evênit, haud diuturna esse potest.* Quæ enim illa dilecta & constituta Reipublicæ forma? An Democratia bene temporata? Hæc sanè peculiariter appellari Respublica solet; & non solere diurnare constat. An potius universè censet Tacitus, frustra de optima Reipubl. forma quæri, quia eruditorum disputationibus ut idea magis efformari, quàm reipsâ & bona fide existere possit? Neque diurnare posse si extiterit, quia fex ista hominum capax ejus non est? An denique hoc censet, quamcunque Reip. ex tribus istis formam difficulter vel adipisci vel tueri rectitudinem suam posse, ob vicina singulis, & vel statim similitudinis errore adhærentia vel paulatim subrepentia vitia? Quod si ita est, incipit Status mixtus, tanquam contra morbos illos munitus, reliquis optabilior esse. Quæ etiam Ciceronis fuisse sententia videtur, si non fallit fragmentum ex 2. *De Republ.* apud Nonium: *Statuo*, inquit, *esse optimè constitutam Remp. quæ ex tribus generibus illis, Regali, Optimatum, & Populari confusa modicè, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo licentiâ cives deteriores reddat.* Seneca 2. *de Benef.* 20. non minus perplexè sententiam dicere videtur. Reprehendit enim Brutum, qui occidendo Dictatorem Cæsarem, spiritum & formam pristinæ Reipub. reddere conabatur: quod *aut Regis*, inquit, *nomen extimuit, cùm optimus civitatis status sub Rege justo sit; aut ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum præmium erat imperandi & serviendi, aut existimavit civitatem in priorem formam posse revocari, amissis pristinis moribus; futuramque ibi æqualitatem civilis juris, & staturas suo loco leges, ubi viderat tot millia hominum pugnantia, non an servirent, sed utri.* Ita Seneca, satis, ut dixi, perplexè. Ait enim Optimam Reip. formam sub Rege Justo. Quin hoc ipsum est quod quærimus, cùm cœtus urbesque omnes, fruendæ Justitiæ causa sint constitutæ; utrùm ea securiorem portum sub Rege,

an

an sub Optimatibus, an sub Populo obtineat? Quanquam illud sanè concedendum Senecæ, & ex verbis ejus constituendum: Melius agi eum Rep. sub Rege Justo, quàm sub Primoribus justis: in paritate enim justitiæ, non dissipati per plures imperii major vis, & expedior usus. Eademque Platonis sententia *in Politico*. Nec enim dixeris, Optimates societate operarum consiliorumque prævalere uni: Ille enim quia Justus sui similes in consilium administrationisque consortium assumet. Itaque si justum ponas Regem, non dubitaverim cum Seneca sentire: Quid beatius enim, quàm summam potentiam conspirare cum summa virtute? Eadem est Plutarchi sententia *lib. de Monarch.* Sola, inquit, Monarchia potest rectum istum virtutis tonum & contentionem sustinere, & utilitatem neque necessitatis, neque gratiæ causâ inflectere. Reliquis in Rebuspublicis ferè is qui imperat sub imperio est; & qui gerit eas, ipse geritur serturque, quod non habet vim solidam atque stabilem. Quod si quæratur, utrum facilius obtingere Rex Justus, quàm Justi Optimates queant: & hoc quoque concesserim, facilius unum, quàm plures optimos inveniri posse: difficiliùs tamen Regem in illo rectitudinis tenore perseverare, quàm Optimates posse: & rationem reddere promptum sit ex iis quę suo loco disserui. Illud quoque firmi decreti instar ex Seneca colligas: Democratiam non convenire nisi populo integerrimo & moderatissimo: alioqui quis locus libertati, inter affectibus, vitiis, corruptelis servientes? Tales enim, istis indulgere, libertatem vocant. Aut quę ęquabilitati statio erit inter avaros ambitiososque, ubi alius alium opibus & honoribus anteire contendunt? Inter hos tales quam auctoritatem Leges, sine idoneo exactore ac vindice, obtinebunt? Atqui illa demum Democratia prospera esse potest, ubi (ut quidam egregiè dixit) omnes Legem instar tyranni metuunt; nempe odio ingenuo flagitii, detestatione turpitudinis penitus insitâ, liberali timiditate dedecoris. Atqui hæc non nisi in optimis sunt: reliquis ex metu pudor; non ex pudore metus est. Consentienter Senecæ Tacitus insinuat, corruptâ jam populi Romani vel indole, vel disciplinâ, *Non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quàm ut ab uno regeretur. Neque Provinciæ*, inquit, *illum rerum statum abnuebant, suspecto Senatus Populique imperio, ob certamina potentium, & avaritiam Magistratuum: invalido legum auxilio; quæ vi, ambitu, postremò pecuniâ turbabantur.* Enimverò corruptæ Democratiæ aut Aristocratiæ aliquando salutaris emendatio est à Monarchia: & quemadmodum non eadem pharmaca omnibus salubria sunt, ita non idem regimen omnibus ex æquo conducit; nec eidem populo semper unum idemque: per vices enim temporum mores & indolem mutat. Illud igitur tandem decerni posse videtur, Optimum esse civitatis statum sub Rege, si ipse optimus sit. Et si hujus rei securitas præstari difficulter potest: optima est Monarchia temperata, Optimatibus, aut dilectis populi in partem regiminis admissis, qui adsertores sint Legum: quæ si Regi præsideant, hunc statum omnium esse optimum, purat Plato; omnium verò deterrimum, si instar Juris arbitrium suum Rex exercet: nisi tamen, inquit, talis sit, qualis in apum examine statim corpore & animo eminet. Hunc enim non ex lege, sed ex scientia imperare jubet. Democratia certè pura non nisi populo optimo, & apud quem (cum Salustio) æquum & bonum non legibus magis quàm natura valeat, bona esse potest. Plato *in Polit.* existimat, Democratiam pessimam esse Statuum, si omnes rectos ponas; at optimam, si omnes vitiosos.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER

DIODORI TULDENI
DE
CIVILI REGIMINE
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Dicendorum series. De noscenda populorum indole, prout pro cæli, soli, seculi geniis & fortuna variat.

Respublica rato imperantium parentiumque ordine censetur: & quoniam de priore egimus, exequendum est de altero capite. Hic considerandi subditi, inprimis prout ex natalis soli Genio afficiuntur, mox per varias privatæ potestatis conditionisque species descripti. Igitur ut ante omnia Reipub status Politico, ita mox, Taciti verbis, *noscenda natura vulgi, & quibus modis temperanter habeatur.* Plato *in Amato.* Et quidem in universum plebis indolem strictim suprà descripsimus: sed variè ea temperatur pro diverso genitalis loci situ. Plato *lib. 5. De leg. in fin.* Nec curiosiùs inquirendum, utrum hæc vis in certos affectus mentes rapiens superstantium siderum influxui adscribenda sit, an superfuso terris spiritui, an denique qualitati alimentorum. Nihil enim vetat conspirare has caussas, imò nexas invicem esse; sideribus variè auram, quam ducimus, rempetantibus, quæ vi suâ etiam terram frugesque imbuit & aquas: idque propter coagmentationem partium universi contagionemque. Generatim igitur sciendum est, populos qui versus septentrionem & frigida per Europam loca incolunt, animi & corporis robore insignes, ob sanguinis copiam esse; sed ingeniis tardioribus minus prudentiæ artibusque litare: unde utcunque servitutem ferè à cervicibus suis propulsent, non tamen imperii præstantiâ excellunt. Ex adverso per Orientem & Asiam populi ut calidioris cœli subtilitate magis ad solertiam exacuuntur, ita exhaustis corporibus mollitie & imbecillitate animi respondent, & servitute ferè & olim & hodie premuntur. Utrumque hoc pulchrè Herodianus notat; primum, ubi describit Severum Illyricis copiis, quibus præerat, persuadentem subdolè, quod Pertinacis (cujus apud illas sacra memoria) ulcisci cædem properaret, cùm non intelligerent ipsum eâ viâ ad Imperium grassari. Alterum notat in quodam Saturnino Tribuno militum, Syro: exponens ejus astutiam, genti nativam, qua elusit Præfecti sui Plautiani exitialia mandata. Porrò medio terræ tractu melior temperatura spirituum, nec tenuitate nimiâ debilium, nec gravitate torpentium: qui proinde imperiis ante alios floruerunt. Ita Aristoteles *7 Polit. 7* qui tales Græcos dicit; & imperio orbis terrarum pares, nisi plures per Respublicas divulsi, vires suas dissipando debilitarent. Eadem est Vegetii sententia *lib. 1. cap. 2.* itemque Senecæ *2. De Ira cap. 15. Omnes*, inquit, *istæ feritate liberæ gentes, leonum luporumque ritu, ut servire non possunt, ita nec imperare. Non enim humani vim ingenii, sed feri & intractabilis habent. Nemo autem regere potest; nisi qui & regi. Ferè itaque Imperia penes eos fuêre populos, qui*

 mitiore

mitiore cœlo utuntur: in frigora Septentrionemque vergentibus immansueta ingenia sunt, ut ait Poëta,

...... Suoque simillima cœlo.

Sunt, ut verbo dicam, ferè barbari; quibus pro ratione impetus est, pro fortitudine temeritas. De quibus Seneca 3. *De Ira cap.* 3. pulchrè: *Hic barbaris fortè ruentibus in bella exitus est. Cùm mobiles animos species injuriæ perculit, aguntur statim: & quà dolor traxit, ruinæ modo regionibus incidunt incompositi, interriti, incauti, pericula appetentes sua: gaudent feriri, & instare ferro, & tela corpore urgere, & per suum vulnus exire.* Cùm ex adverso ratione temperata audacia, antè securitati, ut Tacitus ait, quàm vindictæ consulat. Igitur Barbari prodigi vitæ: partim vilitate sui, & quia minimum vitæ delinimentis assueverunt; (sicuti ex adverso *quanto populi pecuniâ dites & voluptatibus opulenti, tanto magis imbelles* Tacito 3. *Annal.* sunt) partim quia ingentibus irarum flammis stimulantur, & pericula despiciunt quæ perturbationis caligine pleni nec adspiciunt. Hinc, ut Tacitus ait, *Barbaris cunctatio servilis, statim exequi regium videtur:* atque ut alibi ait 1. *Annal.* 12. *Barbaris quanto quis audaciâ promptus, tanto magis fidus, rebus commotis potior habetur.* Sed quemadmodum, eodem Auctore 3. *Histor. Omnia inconsulti impetus cepta, initiis valida, spatio languescunt:* ita *Barbarorum impetus acres, cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari*, idem observat. *Annal.* Est enim prorsus iis *fluxa fides.* Tac. 3. *Histor.* Sed ne omnia siderum vi attribuamus: inspicienda quoque ipsius soli diversitas. Nam ut Curtius ait *lib.* 7. *Locorum asperitas hominum quoque ingenia durat.* Hinc Montani rigiditate animorum censentur; at Campestres, multòque magis Convalles, mollitie atque desidiâ. Quæ causa? Nisi quam Tacitus exprimit 6. *Annal.* quòd *saltuosos locos incolentes, duritiæ patientiæque magis insuevêre?* Hinc Persas cupientes regionem suam montosam & asperam commutare cum plana & molli, inhibuit Cyrus Rex; dictitans & stirpium semina, & incolarum indolem ad similitudinem terræ formari. Plutarch. *in Apoph. Reg. cap.* 3. Quod de stirpibus ait, usurpat & Seneca *De Provid.* Fragiles, inquiens, quæ in aprica valle creverunt; solidiores Aquilonibus exercitatas. Magis etiam ad rem *Ep.* 51. Quamlibet viam jumenta pariuntur, quorum durata in aspero ungula est: in molli palustrique pascuo saginata citò subteruntur. Sic Homerus Ithacam asperam & saxosam quidem, sed bonam Juvenum educatricem celebrat. Fortior miles (ait Seneca) ex confragoso venit: segnis est urbanus & verna. Maritimi invidi & turbidi censentur, Insulani corrupti, quia mercatoribus maximè frequentantur; *qui*, ut Cæsar ait, *ea quæ ad effœminandos animos pertinent, important.* Hinc Lycurgi lege à re nautica & bello navali prohibebantur Spartani. Postea tamen, neglectâ lege, navali prælio imperium in mare quæsiverunt: sed hinc civibus corruptela morum subrepere cœpit. Plutarch. in *Institut. Lacon. cap.* 10. Aristoteles pariter ipsos Græciæ populos longè inter se differre indole testatur. Pertinet huc illa apud Livium *lib.* 45. sententia cujusdam legati Rhodii: *Tam civitatum, inquit, quàm singulorum hominum mores sunt. Gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in venerem proniores aliæ sunt. Atheniensium populum fama est, celerem & supra vires audacem esse ad conandum; Lacedæmoniorum, cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem. Non negaverim, & totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia; & nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas civitates videamur:* imò quia felicitate terræ animi luxuriant. Etenim in universum

versum verè Seneca decernit *De Provident. cap.* 4. *Cùm omnia*, inquiens, *quæ excesserunt modum noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est: movet cerebrum, in vanas mentem imagines evocat, multum inter falsum ac verum mediæ caliginis fundit.* Hinc Plato Cyrenæis industriam suam negavit, quam ad constituendam legibus disciplinam Reipub. suæ implorabant; dictitans illos veræ severæque institutionis incapaces, in tanta fortunæ indulgentia: nihil quippe tam esse petulans, ferox indomitumque, atque hominem dulci fortuna ebrium. Plutarch. *lib. ad Principem indoct.* sic enim Seneca appellat *enervantem felicitatem, qua animi permadescunt; nisi aliquid intervenerit quod humanæ sortis admoneat, perpetuâ ebrietate sopiti.* Exempla in potentibus populis obvia; inprimis in Romano. De quo Tacitus 2. *Histor. Vetus*, inquit, *ac jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque. Nam rebus modicis æqualitas facilè habebatur: sed ubi subacto orbe, & æmulis urbibus Regibusque excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. Modò turbulenti Tribuni, modò Consules prævalidi, & in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Mox è plebe infimâ C. Marius, & nobilium sævissimus L. Sylla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Cn. Pompeius occultior non melior: & nunquam postea nisi de principatu quæsitum.* Uberius etiam Florus *lib.* 3. *cap.* 12. *Quæ res alia*, inquit, *furores civiles peperit, quàm nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni Regis, hereditas. Illæ opes atque divitiæ afflixêre seculi mores mersamque vitiis suis quasi sentinâ Rempub. pessundedêre. Unde enim populus Romanus agros & cibaria flagitaret, nisi per famem quam luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana & prima & secunda & illa tertia Apuleiana seditio. Unde ut regnaret de judiciariis legibus divisus à Senatu Eques, nisi ex avaritia, ut vectigalia Reipub. atque ipsa judicia in quæstu haberentur? Hinc rursus & promissa civitas Latio, & per hoc arma Sociorum. Quid autem bella servilia? unde nobis, nisi ex abundantia familiarum? Unde gladiatorii adversus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis favorem effusa largitio? Cum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit. Jam ut speciosiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab iisdem divitiis incitatus? Atqui inde Mariana, inde Syllana tempestas. Aut magnificus apparatus conviviorum, & sumptuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egestatem? Hæc Catilinam hostem patriæ suæ impegit. Denique illa ipsa principatus & dominandi cupido, unde nisi ex nimiis opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompeium furialibus in exitium Reipub. facibus armavit.* In eandem sententiam strictim Seneca *Ep.* 87. Paupertatem ut fundamentum ac causam Imperii Populo Romano laudandam putat; divitias verò timendas, quippe quas apud victos reperit. Hinc ambitum & largitiones & tumultus in Urbem sanctissimam temperatissimamque irrupisse: nimis luxuriosè ostentari gentium spolia: quod unus populus eripuerit omnibus, faciliùs uni ab omnibus eripi posse. Quod ultimum vaticinium esse apparuit ex irruptione Barbarorum in Italiam, qui totum Imperium lacerârunt. Sic Alexandri & Macedonici exercitus nimiâ felicitate mutatam indolem Livius *lib.* 9. arguens: *Si*, inquit, *ex habitu novæ fortunæ, novique (ut ita dicam) ingenii, quod sibi victor induerat, spectetur: Dario magis similis, quàm Alexandro in Italiam venisset, & exercitum Macedoniæ oblitum degenerantem-*

nerantemque jam in Persarum mores adduxisset. Itaque ut reliqua felicitas, ita, quemadmodum & antè insinuavimus, terræ quoque *amœnitas nimia effœminat animos*, ut Seneca disserit *Epist.* 51. *Nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio;* etiam non nativa, sed peregrina. Exemplum in Hannibale, qui exercitum adversùs omnia humana mala sæpe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum, in Hybernis Capuæ majorem partem hiemis habuit. *Itaque*, inquit Livius *lib.* 23. *quos nulla mali vicerat vis, perdidêre nimia bona ac voluptates immodicæ: etenim eo impensiùs quo avidiùs ex insolentia in eas se immerserant. Somnus enim & vinum & epulæ & scorta balneaque & otium consuetudine indies blandiùs ita enervaverunt corpora animosque, ut magis deinde præteritæ eos victoriæ, quàm præsentes tutarentur vires. Itaque hercule velut si cum alio exercitu à Capua exiret, nihil usquam pristinæ disciplinæ tenuit. Nam & redierunt plerique scortis impliciti: & ubi primùm sub pellibus haberi cepti sunt, viaque & alius militaris labor excepit, tironum modo corporibus animisque deficiebant: & deinde per omne æstivorum tempus, magna pars sine commeatibus ab signis dilabebantur, neque aliæ latebræ quàm Capua desertoribus erant.* Unde illud quoque constat, non potentiùs cœli aut soli natalis habitum, quàm ipsam disciplinam consuetudinemque in animos & mores influere; cum etiam in rigiditatem & duritiem natæ gentes adventitiis locorum illecebris molliantur. Itaque Moderatoribus populorum noscendi mores quos iis patriæ genius inspirat, non tam in hoc ut iis cedat interim, sed ut paulatim ad virtutem eos fingat, alendo quæ in iis salubria, moderando quæ immodica, & quæ cruda molliendo, reprimendoque noxia. Sic Romani asperis, quas devicerant, gentibus ultro voluptatum instrumenta ingerebant; ut per earum avocamenta, armorum oblitis, perque illecebras ferociâ indolis domitâ, materiem iis rebellandi subducerent. Tacitus in *Agricol.* Ex adverso ad ipsius soli fertilioris & quasi luxuriantis æmulationem naturaliter molles animi institutione severâ aliquatenus adstringi possunt: non tam enim terræ illius spiritus in luxum desidiamque mentes dissolvit; quàm occasionem copiamque suggerit: neque magis sanè temperantiæ vis atque indoles exstinguitur, quàm largior, in qua se experiatur, materia exhibetur; verumtamen ob hoc difficilior, & proinde pulchrior quidem, sed rarior. Sic Tyberius apud Tac. 3. *Ann.* sui seculi luxum indomitum increpans: *Cur ergo*, inquit, *olim parsimonia pollebat? Quia sibi quisque moderabatur; quia unius urbis cives eramus: ne irritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus. Externis victoriis aliena; civilibus etiam nostra consumere didicimus.* Igitur per disciplinæ publicæ aut cultæ aut neglectæ, fortunæque vices, variant quoque in populis mores; ut paulò antè in Romanis ostendimus. Quibus quid olim ad libertatem capessendam excitatius, ad custodiendam sollicitius, ad propugnandam animosius? Iisdem verò sub Tyberio & insecutis Principibus quid ad omne servitium dejectius, aut in adulationem dominantium effusius? Græcos sua tempestate Imperio Orbis terrarùm dignos censebat Aristoteles; & iis comparatæ Gentes aliæ Barbaræ censebantur: nunc verò adeò consenuisse indoles illa videtur, ut propius à servitute, quàm Imperio in alios absint. Ex adverso Germani olim rudes & horridi, nunc vel in exemplum institutis, judiciis, artificiis, scientiis, urbibus, opibus, commerciis, elegantiâ enituerunt. Quàm dissimiles illis quos Seneca describit *lib.* 2. *De Providen.* & 1. *De Ira c.* 11. *Germanis*, inquit, *quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque; quorum unica illis*

cura

cura est, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffragia adversus perpetuum cœli rigorem. Hos tamen Hispani Gallique, & Asiæ Syriæque molles bello viri, antequam legio visatur cædunt: ob nullam rem aliam opportunos, quam obiracundiam, & disciplinæ inopiam. *Agedum illis corporibus, illis animis delicias luxum & opes ignorantibus, da rationem, da disciplinam: ut nihil amplius dicam*, inquit Seneca, *necesse erit nobis certè mores Romanos repetere.* Mutatio igitur indolis in populis evenire à disciplina solet; sæpe etiam à peregrinarum confusione gentium: de qua pulchrè disserit Seneca. *cap. 6. ad Helviam.* Sed est & alia altiorque & occultior causa: videtur enim Rerum Natura, ne omnes artificii sui copias consumpsisse videatur in molitione mundi, quem tam versicolore ornatu distinxit, in eodem gubernando parem varietatis speciem, ad explicandas inexhaustæ sapientiæ suæ opes, affectare, vel vicissitudinem certè rebus omnibus indidisse, quæ & fluxæ conditionis mortales, & eximiæ conditoris rectorisque fortis admoneat, qui solus nullâ vice mutabilis est, & ut Poeta ait,

.... *Stabilisque manens dat cuncta moveri.*

Hinc singula ferè secula peculiari Genio distingui videntur, in alia atque alia studia mortalium animos dispensante. Barclaius *in Icone animorum cap.* 2. Sic ferè Tacitus inter causas sine vi legum aboliti luxus sub Vespasiano, exemplum ponens ipsius Principis, moribus severi, & cultu modici: *nisi fortè*, addit, *rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur. Nec omnia apud priores meliora: sed nostra quoque ætas multa laudis & artium imitanda posteris tulit.* 3. *Annal.* Nec absimili sententia Seneca *lib.* 1. *De Benef.* 3. improbat existimantes continuò

.... *Omnia fatis*

In peius ruere, & retrò sublapsa referri, tanquam senescente mundo, & vitiis morbisque paulatim ingravescentibus ad interitum vergente; dicit, stare ferè eodem loco mores, nisi quod interim licentiùs in hanc aut illam partem per vices procumbant; non aliter quàm fluctus maris, quos excurrens æstus longiùs provehit, resfluus verò citeriùs continet. *Nunc*, inquit, *in adulteria magis, quàm in alia peccabitur; abrumpetque frænos pudicitia: nunc conviviorum vigebit furor, & fœdissimum patrimoniorum exitium culina: nunc cultus corporis nimius, & formæ cura præ se ferens animi deformitatem: nunc in petulantiam & audaciam erumpet malè dispensata libertas: nunc in crudelitatem privatam ac publicam ibitur, bellorumque civilium insaniam, quâ omne sanctum ac sacrum profanetur. Habebitur aliquando ebrietati honos; & plurimum meri cepisse, virtus erit. Non exspectant uno loco vitia: sed mobilia & inter se dissidentia tumultuantur; pellunt invicem fugantùrque.* Tantundem de Virtutibus Artibusque censendum; per certas temporum periodos hæ aut illæ vigent, aut marcescunt. Romæ in Republica libera, potissimùmque Ciceronis seculo ingens Oratorum proventus; sub Principibus verò labi cœpit, succrescente paulatim Jurisprudentiâ: quæ sub Alexandro Severo finitimisque Cæsaribus uberrimâ se copiâ extulit, & ad maturitatem exsurrexit, usque dum denuò senescere cœpit, tandem etiam planè emortua, donec à Justiniano Cæsare rursus excitaretur. Idem de Philosophiæ & cujusque Professionis proceribus observavit Velleius; convenisse eos ferè in ejusdem ætatis septa, tandemque uno quasi ubique fato exstinctos deliruisse. Et (ut seculi cujusque proprium Genium omittam) causam ille non improbabilem reddit. Primò enim eminentis alicujus gloria æmulatione parem aut majorem etiam aliorum industriam exstimulat;

mulat; & inde ille copiosissimus lętissimorum ingeniorum hanc aut illam scientiam exornantium proventus. Unde necesse est mox ad fastigium perveniri; inde rursus, tanquam consummatâ imò consumptâ laudis materiâ, remittere paulatim se illa contentio, tandemque torpente omni diligentiâ deseri illa studia, emori illæ artes. Deterrent enim insequentium industriam priores, qui supremam jam operi manum imposuerunt: nam cùm cupiditatem faciunt imitandi, spem auferunt, ut ait Seneca *epist.* 100. Plurimum verò ad excitandos hominum animos in hæc aut illa studia valet (ut Tacitus quoque censet) inclinatio Principis aut Primorum: & quod idem ait: *Virtutes iisdem temporibus optimè æstimari, quibus facillimè gignuntur*, Tacit. *in Agric.* id invertere licet, ut dicamus, virtutes artesque feliciſſimè nasci, ubi candidiſſimè agnoscuntur, & benigniſſimè foventur. Id quod à Principum (ut dixi) aut Optimatum judicio affectuque pendet. Præterea pro Reip. statu hominum studia in has aut illas sententiarum partes impensius incumbunt & in liberis civitatibus, tanquam in suis pascuis, maximè nutriri Eloquentiam, alibi exposuimus: sub Principibus verò justis efflorescit magis Jurisprudentia; eademque sub tyrannis marcescit: illi enim arbitria sua legum instar esse volunt: quomodo Caligula, de extinguenda Jurisconsultorum professione agitasse legitur. Tantundem dixero de fortuna publica: laxa enim & læta præcipuè amœnioribus artibus ingenia conciliat; & ubi feliciras excessit modum; Syrenes pro Musis coluntur: at eadem illa angusta iis maximè scientiis animos mancipat, quæ ad lucrum faciunt: soletque tunc Barbaries succrescere. Eodem modo alii affectus, aliæ vel virtutes vel vitia populorum felicium, aut cum fortuna luctantium: magis tamen illi vitiis opportuni, ut suprà explicui, si modò immoderata felicitas est. Sic Seneca 3. *cap. de Tranquil.* Socratis exemplo ostendit, & in afflicta Repub. Sapienti occasionem esse se proferendi, & in florenti ac beata pecuniam, invidiam, mille alia viria inermia regnare. Adeoque annotatum est, aliam atque aliam Eloquentiæ formam non tantum pro genio locorum diversis populis, sed & eidem pro varietate fortunæ placuisse. De priore Fabius *lib.* 12. *orat. Inst. c.* 10. *Antiqua*, inquit; *divisio inter Atticos atque Asianos fuit: cum ii pressi & integri, contrà inflati illi & inanes haberentur; in his nihil superflueret, illis judicium maximè ac modus deesset.* Et addit: *Hanc orationis differentiam fecisse & dicentium & audientium naturæ videntur, quod Attici limati quidem & emuncti nihil inane aut redundans ferebant: Asiana gens tumidior alioqui & jactantior, vaniore etiam dicendi gloriâ inflata est.* Deinde tertium adjicit Genus Rhodium, medium; quippe quod aliquid gentis habet, aliquid auctoris Æschinis, qui Athenis pulsus Rhodum exilio delegit, eoque patriæ studia intulit, *quæ velut sata quædam cælo terraque degenerant saporem illum Atticum peregrino miscuerunt.* At verò quomodo Romæ corrupto dicencendi genere quasi lascivire eloquentia unà cùm cetero luxu ceperit, pulchrè explicat Seneca *epist.* 114. *Ubi luxuriam*, inquit, *latè felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit: deinde supellectili laboratur: deinde in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor: deinde ad cœnas lautitia transfertur, & illic commendatio ex novitate, & soliti ordinis commutatione captatur.* Concludit mox: *Cum assuevit animus fastidire quæ ex more sunt, & illi pro sordidis solita sunt: etiam in oratione quod novum est quærit*, ut latius edisserit. Sed causam proximam hujus mutationis quoque exprimit: *Hæc vitia unus aliquis*

aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: ceteri imitantur, & alter alteri tradunt. Sed non ad unam hoc speciem adstringendum est: latiùs enim patet ad artes reliquas itemque vitia, in quæ nunc hæc nunc illa conspirare seculum videtur. Appositè idem Sophus *cap.* 1. *De Vita Beata: Nulla res nos majoribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur; optima rati ea quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt; nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus.* Idemque *Ep.* 81. *Cum singulorum*, inquit, *error publicum fecerit, singulorum errorem facit publicus.* Pax quoque vel Bellum diversis imbuere moribus populos solent. Nam Diuturna Pacis securitas inclinare ad inertiam luxumque, aliquando & seditiones solet: at otii vitia negotio discuti, constat; & intestinis certaminibus divulsos conjungere rursus ingruentis belli commune periculum solet. Judiciis, artibus etiamque artificiis & Agriculturæ & commerciis applicare studia pax solet: quæ per bellum (potissimùm civile) elanguescunt, moresque in ferociam improbitatemque & fraudes indurescunt. Quod verò quibusdam placet, bellis exacui ingenia populorum, Lipsius *de Constant. lib.* 2. *cap.* 11. id de artibus militaribus concesserim (quo adspectu leges Lycurgi vetabant, diu cum eodem populo bellare;) de alio ingenii doctrinæque cultu negaverim. Per bellum enim, ut Ennius ait,

> *Pellitur è medio Sapientia, vi geritur res.*
> *Spernitur Orator bonus, horridus miles amatur.*
> *Haud doctu dictu certantes, sed maledictis*
> *Miscent inter sese inimicitias agitantes.*
> *Non ex jure manu consertum, sed mage ferro*
> *Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solidâ vi.*

Præter vim igitur cœli solique peculiarem ad figurandas populorum mentes in certos affectus, multum fortuna valet prospera vel adversa; multum Reipub. tempora, pacatæ aut bellicæ; multum ipsius status, Democraticus, Aristocraticus, vel Monarchicus; plurimum ei præsidentium exempla, judicium, inclinatio in has illasve artes. In quam sententiam egregiè Plinius ad Traianum: *Flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe, atque (ut ita dicam) sequaces sumus: huic enim chari, huic probati esse cupimus, quod frustra speraverint dissimiles: eòque obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus.* Plat. 4. *De leg.* Sic Livius *lib.* 4. Cujus rei præmium sit in civitate, eam maximis semper auctibus crescere; sic pace bonos, sic bello fieri. Jam & gratiosi apud Principem viri, aut in Republica potentes proximam vim habent ad imbuendum exemplis suis seculum. Has igitur causas existimem nunc in hæc nunc in alia studia nitentis seculi: quanquam nec in totum abnuerim, quod quibusdam placuit de Genio seculis ferè singulis proprio: præsertim cùm destinatas vices ille dispenset ferè per illas quas dixi causas, potissimùm incitando Principem in admirationem earum artium morumque, quos vigère tunc fato placuit, aut sinendo labi in ea dedecora, quibus laborare & succumbere seculum meruit. Etenim verissimè & consentienter Plinio Lucanus *lib.* 5.

> *... Procerum motus hæc cuncta sequuntur.*
> *Humanum paucis vivit genus.....*

Ex quibus omnibus illud tandem efficitur, potissimum momentum temperandorum populi morum esse in ipsa institutione atque administratione Reipublicæ, cujus rectæ summa est, ut honoribus & præmiis excitentur commendenturque virtutes, vitia verò ignominiæ & pœnarum metu comprimantur & emendentur. Itaque Seneca *Ep.* 51. postquam differuit quantum voluptuaria loca ad dissolvendum animi vigorem possint, addit; *Severior loci disciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit.* Et postquam *Ep.* 97. de seculis in hæc aut illa vitia & flagitia projectis loquutus

quutus est, concludit: *Et fiunt & facta sunt ista: & licentia urbium aliquando disciplinâ metuque, nunquam sponte considet.*

CAPUT II.

De Societate Conjugali.

ORigo Societatis omnis ex matrimonio est; inde enim Familia, quæ affinitatibus propinquitatibusque deinde latiùs manat. Hinc vincula prima charitatis inter cives, fundamentumque discretionis ordinum, & imago quædam immortalitatis. Plato 4 *De legib. in fin.*

Sic rerum series, mundique renascitur ætas.

Itaque Legislatori cura de Matrimoniis esse debet, ne deserantur aut corrumpantur. An igitur arceri cœlibatu, compellique ad nuptias lege Cives poterint? Quidam negant: cum ex Christi & Apostoli lege ad cœlibatus castimoniam, cælestis gratiæ arduum opus, i hortandi potius homines sint: matrimonium verò satis naturæ instinctu promoveatur, procreationis fœcunditate lætissimæ. Alii verò cum Platone affirmant: quid enim si exhaustâ bellis civilibus Republicâ, cives tamen ab educandæ sobolis labore & sollicitudine, per infelicitatem sæculi refugiant? Sanè Lex Papia quæ præmia quædam parentibus dabat, quæque orbos solidum ex testamento capere vetabat, pro ratione temporum, non injustè aliquando reduci potest. Præterea justissimè concubinatus, omniaque vagæ libidinis flagitia comprimuntur; imprimisque adulteria: per illa enim matrimonia spernuntur, per ista pervertuntur turpissimâ labe atque gravissimâ injuriâ. Unde Jure Romano flagitium hoc capitale esse cepit, donec Justin. imbecilliori sexui mitigaret pœnam: quæ hodie ferè tantum pecuniaria esse solet. De qua consuetudine quæritur, an valeat? Et sanè Jus divinum furtum (quod hodie sæpe capite luitur, & à stimulis egestatis ferè irritatur) longè infra fœditatem adulteri censet, voluptuariæ & inexplebilis cupiditatis inopiâ atque hiatu ad contumeliam, detrimentum, & infamiam alterius incitati. Itaque dicendum, Consuetudinem illam sic valere, ut in Judicis tamen arbitrio sit ex causa exasperare pœnam. Consequenter polygamiâ quoque coërcitâ nuptiis consulitur: quippe quarum vis est in amore summo, qualis is esse nequit in plures dissipatus. Vide nostra *C. de Concub.* Idemque dicendum de inhibita jure divino licentia divortiorum: adeò ut Ecclesia divino instinctu spiritu interpretata sit, etiam ob adulterii perfidiam tantum convictus fidem, non etiam matrimonii religionem solvi posse, ut superstite adulterâ ducatur alia: id enim diligentiam præcavendi adulterium ejusque occasiones in marito excitat, & etiam commisso adulterio incitamentum reconciliationis continet. Vide nostra *C. De Repud.* Antiquis Romanorum Institutis eò usque se extendebat potestas mariti, ut is, adhibitis propinquis, judicare de quocunque crimine uxoris posset; & si enormitas ejus veluti in adulterio exigeret, exilium aut mortem infligere: id quod quibusdam salubriter reduci posse videtur. Verùm abominandum in civitate Legibus & Judiciis subnixa puto, tantum domesticæ potestati licere. Nam cùm Leges sollicitissimè prospexerint, ne quis sui doloris ultor esset: *C. Ne quis in sua caus.* & ibi Nos & *C. De Emendat. propin.* lubricum certè esset, marito, quem sæpe vel fastidium satiatarum libidinum, vel Zelotypiæ irritamenta odio suspicionibusque transversum rapiunt, capitale arbitrium impudicitiæ uxoris permittere. Et sanè qui tam atrox esse possit in partem animæ dimidiam suæ: certè etiam injustus esse sustineret. Potestas igitur divino & civili jure marito in uxorem est, sed moderata: & qualem (ut pulchrè Plutarchus) anima in corpus habet, quod ut sollicitissimè & amantissimè tuetur & fovet, ita cupiditatibus & illecebris ejus

jus moderatur, sine vi, nempe aut arto-citate. Estque præceptum æquissimum æquissimi Principis M. Aurelii in *lib. de vit. su.* Uxor, inquit, sæpe monenda, rarò reprehendenda, nunquam violentis manibus offendenda. Namque id Cato ille Censorius, quamvis minimè uxorius vir, sacrilegii instar esse dicebat. Plutar. *in ejus vitâ.* Porrò cælibatum sacris ordinibus & votis annexum nimis impiè quidam damnant. Cum enim Deus mens quædam sit soluta & libera, segregata ab omni concretione mortali, ut divinè Cicero ait: similes aliquatenus sibi ministros desiderat; subducentes nempe sese à consortio atque indulgentiâ corporis, solusque humilibus curis tuendæ amplificandæque posteritatis. Igitur politicus ille frequentandarum nuptiarum favor nullâ vi impedire sacrum cælibatum debet; neque tamen hujus venerationi derogabitur, si ut in lege Papia præcipua in hereditatibus & legatis maritorum parentumque sit ratio: justè enim impensius iis consulitur, quibus graviora onera incumbunt. Vide nost. *C. De indict. viduit.* Illud minus temerè controvertitur, an justa & utilis fuerit lex decemviralis, connubia inter patricios & plebeios interdicens? Gravissimâ enim contentione Canuleius Tribunus plebis eam expugnavit apud Liv. *lib.* 4. clamitans, insigniorem quam quæ tolerari debeat, contumeliam plebis esse, quod tanquam contaminata, à nuptiis patritiorum arceatur: quæ cum peregrinis quoque concedantur, quid aliud eam legem, quàm in eadem civitate quasi exilia plebi irrogare, aut ex una duas civitates efficere? Ex adverso patres fremebant, confusionem ordinum gentiumque tentari, ut nihil sinceri aut impoluti maneat, ut nec se nec suos quis agnoscat, ut prope ferarum ritu concubitus vulgentur. Ego existimo, non immeritò, in civitate populari, & æquam libertatem professâ, abolitam fuisse superbiam legis, rem penes omnes libertimam suo imperio prementis. In optimatum statu magis sit quò ambigas: nisi dicamus, nullâ inde colluvione amplissimum ordinem inquinandum. Sive enim patritia plebeio nubat: non magis adimere ipsa jus ordinis liberis, (quippe qui maternâ stirpe non censentur) quam plebeius misceri optimatum collegio videtur. Sive patritius plebeiam ducat: integrâ dignitate ordinis, consuli concordiæ, nexu affinitatis videtur: si modò plebeia placeat indole non degeneri. Plato sanè æqualitatis, & sic charitatis publicæ interesse putat, ut luculentioris fortunæ homines tenuium nuptiis socientur indolis quam fortunæ ratione habitâ. Tantùm sanè animo degenerum aut vitâ probrosarum nuptiæ detrimentum inferre Optimatum Majestati possint; ob similitudinem spiritus, quam soboles non rarius ferè à matre quàm genitore trahit. Lycurgi leges vetabant dotes: partim ut naturæ dotibus non fortunæ sponsam quisque eligeret, partim ut obsequentior tanto esset, quanto obstrictior marito, cujus neque amor conciliaretur, neque auctoritas devinciretur auctoramento illo dotis. Hanc quoque legem revocari quibusdam Politicorum placet, potissimum ne amplitudine dotium exhaustæ illustres familiæ deficiant. Denique Plato in *Polit. versus fin.* in copulandis nuptiis hanc exigendam temperiem putavit, ut sedatior vir concitatiori mulieri jungatur; & vicissim animosior lenio-ri: id enim pertinere ad indolem procreandæ sobolis. Si uterque moribus æquè vehemens & acer, in prolem non fortitudinem sed audaciam propagatum iri: sin uterque mentibus placidis sunt, metuendum ne indoles sobolis non tam lenis quàm lenta, nec tam quieta quàm ignava existat.

CAPUT III.

De Ævo nuptiis maturo.

Denique de ætate nuptiis idoneâ quibusdam Lycurgi institutum præ Romano jure placet. Ille enim non

à duodecimo ætatis anno sed provectiores demum virgines ad matrimonii jugum admittit: partim quia naturâ tum veneris admonente, ut desiderio & voluptati erit majori conjugalis consuetudo, sicquoque amore & amicitiâ fideliore coalescet: partim quia maturitas corporum ad validitatem fœtus facit. Nec tamen Romanæ leges ratione non adjuvantur: teneri enim ævi flexibiles adhuc atque incorrupti animi facilius coalescere videntur & conspirare, ad convictum jucundiorem, quem concordia & congruentia morum facit. Atque ita de hac quæstione Plutarchus *in comparat. Lycurgi & Numæ* censet. Ego non dubito Lycurgi illud Jus continere præcepta honestiora salubrioraque; verùm Romana Lex ad æquitatem accommodatior est, quia naturam magis sequitur, ejusque instinctui obsequitur, statim à pubertate plerosque imperiosè in venerem impellenti; quem quidem moderari, magisque prudentiæ quam geniturae facultate tempus nuptiarum definire, singulis pulchrum honestumque est; sed id sub legis vinculum conjicere, multis durum sit & lubricum. Planè ætates nimio intervallo discretæ, ut reliqua quoque inæqualitas, concordiam turbant. Aristoteles 7. *Polit.* mari trigesimum octavum annum, fœminæ octavum & decimum assignat, ut æquali spatio, procreandæ soboli sufficiant; & septuagesimus viri excipiat quinquagesimum fœminæ annum, tanto citerius elanguescentis. Sed uni ille procreationi inspectionem alligavit, cum multa alia sint quorum ratio habeatur. Primò enim ætas octo & triginta annorum in quibusdam jam inclinat, non diu proinde attollendæ soboli superfuturis. Sed & minùs ex voto conditionem invenerint, lapso jam flore illo & illecebrâ juventutis: cujus æstuans cupiditatum tempestatibus fretum quotusquisque integer evaserit? Quid ergo? Rectè quidem Aristoteles, ætate antecedere marem cupit, tum ob causam ab eo designatam, tum ob prudentiam auctoritati congruentem. Unde idem Hesiodi versum, & commendatam co virginalem puellaremque in sponsa modestiam simplicitatemque laudat: nondum enim suo judicio institutisque suis constituta mens pronius mariti moribus se applicat. Vide Apulei. 2. *Apolog.* Ego arbitror quod Aristoteles rectè ab eodem Hesiodo mutuaturus pariter fuerit tricennalem in viro metam: tum enim & corpus & mores & ferè vitæ status spes atque destinatio suo tenore constant: & proinde certiore judicio totius vitæ consors eligitur. Etenim adolescentiæ cupiditates ferè ad maturitatem provectis mutantur: major tunc prudentiæ lux, aliud judicium, alia longè existimatio de rebus & personis: alia quoque tunc sæpe nitentibus industriâ esse fortuna incipit. Unde sæpe qui hunc ætatis terminum prævertunt, imparium aut incongruentium nuptiarum tædia devorare per reliquam omnem vitam coguntur. Hæc igitur consuli quidem, non tamen lege adstringi utiliter possunt, ob rationem quam suprà explicui. Et consuli in universum possunt: mutare enim singulis aliquid occasio potest, per omnia humana valens; mutare quoque cujusque corporis temperatura: quædam enim vetustatem ferunt, diu vigoris amœni tenacia: aliis citò decus viresque occidunt, ut ferè præcocibus. Denique vieta jam ætas & senescens sobolem imbecillem progignit: sanè cum puellari flore & calore marcentis ævi frigus infidâ societate junxeris. Sed neque hoc perpetuum est. Senecæ enim jam seni Paulina nupserat juvencula; fuitque ejus in exemplum fidei & constantiæ amans. Ait enim de ea *Epist.* 104. Cùm sciam spiritum illius in meo verti: incipio ut illi consulam, mihi consulere: & cum me fortiorem senectus ad multa reddiderit, hoc beneficium ætatis amitto. Venit enim mihi in mentem, in hoc sene & adolescentem esse, cui parcitur. Similiter Plinius jam senex Caphurniam duxerat

rat admodum juvenem, & concordissimam tamen: Non enim, inquit *Epist.* 19. *lib.* 4. ætatem meam aut corpus, sed gloriam diligit. Verum hæc generosæ sed raræ indolis sunt.

CAPUT IV.

De societate inter parentes & liberos, eorumque mutuis officiis.

PRoxima societas est parentes inter liberosque. Illorum officium in educatione, institutione, & defensione cernitur. Et Aristoteles quidem itemque Plato *lib.* 5. *de Rep.* permisère abortuum interim machinationem, ne nimiâ multitudine sobolis familiæ atque civitas laborent: id quod divino atque naturali juri repugnat: secundum quod, ut Tertulliani verbis dicam, *in Apologet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci: nihil interest, natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem.* Vide nostra *C. Ad Leg. Corn. de Sicar.* Erat quoque tunc temporis tam usitata impietas abjicientium partus superfluos aut debiles, ut penes Germanos itemque Judæos Tacitus notet, tanquam peculiari instituto, id nefas fuisse. *lib. ult. Histor. & de Morib. German.* At perpetuò id atque immutabili lege naturæ damnatur: extra quam in monstris, in totum à figura humani corporis desciscentibus. Alioqui etiam ex adulterio aut incesto nati à parentibus enutriri, contra rigorem Juris civilis (à quo non longe Platonis constitutio abscedit 5. *de Rep.*) Pontificum Decretis jubentur. Porrò non nutricum, sed ipsius matris lacte nutriendum esse partum eleganter apud Agellium *lib. Noct.* 12. *cap.* 1. disserit Phavorinus Philosophus: *Sicuti enim*, inquit, *valet ad fingendas animi atque corporis similitudines vis & natura seminis: non secus ad eandem rem lactis quoque ingenia & proprietates valent.* Probatque id exemplo ceterorum animalium. *Nam*, inquit, *si ovium lacte hædi, aut caprarum agni aluntur; compertum est, fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam & frugibus, major plerumque vis & potestas est, ad earum indolem vel detractandam vel augendam, aquarum atque terrarum quæ alunt, quàm ipsius quod jacitur seminis.* Additque hinc evenire, quod sæpe optimorum parentum soboles degeneret, infecta nimirum contagione spiritus nutricum, quæ ferè viles sunt. Præterea naturalem quoque prolis amorem hinc imminui; atque *obliteratis & abolitis nativæ pietatis elementis*, tantum ferè existere *civilem atque opinabilem affectum.* Vicissim autem liberi ad reverentiam obsequiumque à cultu numinis proximum parentibus obstringuntur, tanquam simulacris veris vivisque Dei. Hinc leges, inquit Socrates apud *Xenoph. lib.* 2. *Memor.* cum aliam ingratitudinem insuper habeant, eam tamen quæ in parentes admittitur mulctant, ejusque convictos ab honoribus arcent ut profanos & Deo exosos: adeoque in Magistratuum examine inquirebant quales in parentum manes & sepulchra essent. Cùm autem quædam honesta sint, quædam turpia, quædam media sive indifferentia: honesta quidem suâ sponte atque momento exequi liberos oportet; in jubentium tamen parentum honorem alacriùs. Turpium verò atque illicitorum ministerium jure deprecabuntur: deprecabuntur, inquam: nam in his quoque non acerbâ exprobratione refutare parentum vota, sed *leniter ac verecundè & sine detestatione nimia declinanda sensim* & comitate obsequii in alia omnia parati utcunque placanda esse Sapientes decernunt apud Agel. *lib* 2. *c.* 7. Sic Agesilaus patri cujusdam causam planè injustam ipsi commendanti, sententiamque secundum eam (erat enim Judex) flagitanti: à te, inquit, Pater ab ineunte ætate jussus sum atque institutus legibus parêre: itaque etiam nunc tibi obsequar non offendendo leges. Plutar. *De vitios. pudore cap.* 19. Si-

milis Muſonii ſententia, inſtruentis adoleſcentem quem philoſophari pater vetabat apud Stobæ. *ſerm.* 79. Sed addit: Pater vetat philoſophari: at communis hominum Deorumq; pater Jupiter jubet & hortatur; eo ipſo quod lex ejus eſt, juſtum, probum, beneficum, temperantem, magnanimum eſſe. Deum igitur, inquit, ſequere potiùs, quàm hominem. *Quæ verò in medio ſunt*, inquit Agel., *& à Græcis tum* ἀδιάφορα *tum* μέσα *appellantur, ut in militiam ire, rus colere, honores capeſſere, cauſas defendere, uxorem ducere, uti juſſum proficiſci, ut accerſitum venire: in ejuſmodi rerum generibus patri parendum cenſent* (Philoſophi). Cùm enim ſuâpte naturâ indifferentia ſint, honeſtatem decuſque ab obſequentis officio mutuantur. *Sed enim*, inquit, *ſi imperet uxorem ducere infamem, propudioſam, criminoſam; pro Reo Catilinâ aliquo, aut P. Codio cauſam dicere, non ſcilicet parendum: quoniam accedente aliquo turpitudinis numero deſinunt eſſe per ſeſe hæc media.* Hactenus Agell. qui inter alia quod de uxore ducenda propoſuit, id examinandum eſt. Sanè Jus Romanum ut non obſtringit filium ad ducendam uxorem quam pater jubet; ita non permittit contra ejus voluntatem uxorem ducere. *l. 2. ff. De rit. nupt. l. Paulus. ff. De ſtat. hom. l. Si ut proponis. C. De nupt.* Sed Pontificii Juris indulgentia validum legitimumque eſſe juſſit matrimonium invito patre contractum: quamvis graviter filius in pietatem delinquit, ſi ei ratio non conſtat ſui conſilii: & conſtare ſæpiſſimè poteſt. Quid enim ſi pater avaritiâ impulſus in cœlibatu liberos retinere cupit, vel Monaſterio mancipare? Quid ſi aliam quidem uxorem filio monſtrat, ſed degenerem, ſed moribus ejus minimè congruentem, ſolis opibus commendatam? quemadmodum plerumque triparci vileſque ſenes judicant,

Quod benè nummatam decorat ſuadela Venuſque.

Sanè extra culpam eſſe filius poterit, qui non libidini, non temeritati, ſed Genio ſuo & concordiæ conjugali inſervire maluit, quàm moroſitati patris: Genio, inquam, qui occultè homines vel conciliat vel alienat: ſive ea animorum quædam cognatio aut peregrinitas eſt, quæ hâc vi pollet; ſive ſidus temperamentumque corporis congruens aut diſſidens. Utcunque occulta quædam vis naturæ eſt, quâ cum aliis conſpiramus in amorem, ab aliis abhorremus. Quid, quod ipſe Summus Legiſlator Deus *Matthæ. cap.* 10. Conjugalem concordiam omnium neceſſitudinum Juri anteponit? Itaque non video, cur Politici quidam commendent Conſtitutiones, quibus alicubi Conjugia invitis parentibus contracta damnantur: quæ ſanè iniquæ ſunt, niſi temperentur: veluti ne liceat filiæ infra xxv. annum diſſentiente patre nubere: præterea ut examinetur, an juſtam diſſentiendi cauſam pater habeat? *Arg. l. Qui liberis. ff. De rit. nup. Nov.* 115. Illa quoque huc pertinet quæſtio, ſi pater privatus, filius Magiſtratus ſit, uter utri cedere debeat? Quam pulchrâ diſtinctione explicat Philoſophus Taurus apud Agel. *lib. 2. cap. 2. In publicis locis atque muneribus atque actionibus patrum Jura cum filiorum qui in Magiſtratu ſunt poteſtatibus collata interquieſcere paulùlum & connivere. Sed cùm extra Rempublicam in domeſtica re atque vita ſedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari diſcumbatur, tum inter filium Magiſtratum & patrem privatum publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri.* Contrarium exemplum Agellius refert Quinti Fabii maximi Conſulis: qui patri in equo vehenti occurrens, per lictores eum deſcendere juſſit in honorem ipſius: patre laudante hanc indolem filii in tuenda Majeſtate publici Imperii. Verùm reprehendendum id eſt: in privato enim omni commercio, conſuetudine, officio poteſtati publicæ prævalent Jura pietatis: ut rectiſſimè

Taurus

Taurus distinguebat: cui & Leges Romanæ consentiunt. *l. Nam quod. ff. Ad Trebell.* Quæ in publicis demùm negotiis Jus patriæ potestatis conticescere jubent. Herodiano notante, non aliud vel Alexandrum perdidit, vel imperium ejus dehonestavit, quàm superstitiosa illius in matrem Mammæam æquo ambitiosiorem pietas: dum scilicet auscultat collocanti præsidia salutis in timiditate & fuga matris; Imperii verò in avaritia atque ingentibus nummorum acervis. Denique officium pietatis vicissim liberos obstringit, ut parentes valetudine aut senio fessos benignissimè curent, & ad inopiam redactos alant; ipsâ naturâ ciconiarum exemplo in id adhortante: quam Jus Romanum imperio suo subsequitur. *C. De alend. lib.* ubi dixi. Ipsis quoque parentibus summum olim imperium in liberos erat, jus vitæ necisque ex Romuli lege continens: quod deinde abrogatum, sive quod cultioribus ingeniis visum, Jus potestatis magis in pietate quàm atrocitate consistere; sive quod corruptioribus animis non sine periculo tanta potestas committi potuit. Utcunque: non assentior iis, qui id perperam abrogatum contendunt, & cum detrimento reverentiæ parentibus debitæ: hinc enim hodie in ipsis Judiciis calcatæ pietatis exempla existere, liberis per improbissimas lites fatigantibus parentes. Quo nihil iniquius, nihil Judiciis indignius esse potest. Nec absurdè Pittacus filium ne adversus patrem consisteret: Si, inquit, iniquiora patre dixeris, condemnaberis; sin æquiora, vel ob istud damnari dignus es. Rectèque Socrates patri duriori, non secus tamen quàm legi severæ rigiditatis obsequendum esse. apud Strobæ. *serm.* 79. At videmus hodie non sine infamia seculi, liberos cum parentibus passim in Judiciis confligentes. Verùm hujus luis aliud remedium esse poterit: nempe ut non perfunctoriè Edictum Prætoris eam in rem proditum observetur: nec liberi promiscuè in hoc certamen admittantur, sed causâ prius summatim cognitâ, an satis gravis sit, deinde ut sine omni contumeliæ aut atrocitatis specie verecundè à liberis explicetur; denique ut celeriter à Judice definiatur: coërceaturque filius eâdem sententiâ, si ei ratio pietatis in lite non constiterit. Vide *ff. De obsequiis par. l. 9. §. De plano. 3. ff. De off. Proconf.* Enimverò Jus Romanum quo utimur satis abundèque patriæ potestati reliquit, dum jubet ad querelam patris justam veramque eam pœnam filio Judicem constituere, quam parens ipse dictavit: *l. 3. C. De patr. pot.* nec immeritò; cùm etiam penes Deum imprecationes parentum in liberos ratas esse solere, Plato eum Sacris Litteris congruens tradat.

CAPUT V.

De potestate Domini in servos. An prisca servitus utilis & probanda & justa?

Admirandum sanè est, quanto olim Gentium consensu & arcano quasi fœdere captivitatis atque servitutis rigiditas viguerit; quantâque deinde consensione circa annum Christi 1250. fuerit abolita. Existimandum sanè est, hanc fuisse vim Christianæ Religionis, tunc ubique ferè efflorescentis; quæ æquabilitatem lenitatemque summam præscribit, cum quibus non valdè convenire dominationi & servituti videtur. Quamvis illud constat, Christianam Disciplinam non prorsus damnare servitutis jura. Quin & Aristot. eam non abhorrere à natura existimat, quosdam ad libertatem, alios ad servitutem gignente: *1. Polit. c. 1.* & 3. cui dissentire JC. videntur, qui servitutem Juri naturæ contrariam adfirmant: quippe quæ omnes homines æquales, ab uno Deo ex iisdem elementis genitos produxit; & libertate arbitrii in dirigendo vitæ cursu donavit, tantâ intelligendi luce completos. Certè cùm natura reliqua omnia in honorem atque obsequium hominis, materni

terni affectus indiscretâ benignitate, procreaverit: non potest videri voluisse, quosdam homines in partem munerum, & accessionem vilium subjecturarumque homini rerum computari: *l. In pecudum, ff. De Usuris* id quod in servis contingit, qui jure patrimonii possidentur: cumque captivitatis calamitas tam virtute insignes, quàm perditos, tam sapientes quàm imperitos involvat: rationi & proinde naturæ alienum est, stulto & intemperanti dominio sapientem servum obedire: quemadmodum Epaphrodito Neronis liberto, & aulæ mancipio servivisse Epictetum legimus, nobilissimum illum sapientiæ antistitem, quæ sola verè liberos facit. Quibus nihil officit Aristotelis sententia, evincentis quosdam amplioribus animis imperio, alios angustiori indole servituti à fatis destinari: ea enim dominationem atque servitutem justitiæ conciliat & naturæ inter eos demum, quorum unus prudentia antecellit alterum non minus quàm anima corpus, quàm homo bestiam. Etenim cum ut Horatius ait,

Vis consilii expers mole ruat sua;

expedit viribus corporis stolidè, ut Tacitus ait, ferocibus servire mente pollentibus. Non evertunt, inquam, ista sententiam Jureconsultorum, cum in servitute & dominatione ejusmodi discrimen prorsus confundatur. Itaque manifestum est, quid existimen de eo quod quidam controvertunt, utrum reduci utiliter prisca illa servitus possit: Vide Senec. *Epist.* 47. Nisi quod iidem rectè censent, homines nullius frugi, & viribus corporis inutiles sibi aliisque ac otiosa mendicitate vagantes vel etiam in audaciam criminum impulsos, non injustè posse operibus publicis mancipari. Aliàs optimè comparatum puto, ut quæ humanitatis ratio, cognationisque mutuæ veneratio, olim Græcis inter ipsos, itemque Hebræis, servitutis jura remiserat; ea vel præcipuè inter Christianos vigeat, longè sanctiore societate sacræ legis & mysteriorum devinctos; adeò ut etiam capti ex barbaris, nempe hostibus religionis nostræ (contra quos adhuc servitutis jura usurpantur) si forte in Galliam ducantur, proclamare ad libertatem possint. Extant enim placita Curiæ Parisiensis, tales servitute liberantis.

CAPUT VI.

De quibusdam servitutis in Europa cultiore reliquiis aut simulacris.

Sunt nihilominus in orbe Christiano servitutis pristinæ vestigia quædam vel imagines. Sic in Gallia rustici sunt quibus sine Domini consensu domicilium originis mutare non licet, quibusque sine sobole morientibus succedit. Sic in Germania ii quos proprios homines appellant, agricolæ simillimi iis qui in Codice Justiniani Adscriptitii appellantur, certis fundis in perpetuum cum posteris sic addicti, ut accessionis vice unà cum iis permutentur, obnoxii Dominis ad pensionem pecuniæ annuam, vel exhibitionem operarum: sive origo eorum ex veteris Germaniæ ritu, cùm servis non, ut apud Romanos per familiam descriptis ministeriis uterentur, suam sed quisque sedem, suos penates haberet, frumenti modum, aut pecoris, aut vestis domino injungente; Tacit. *De mor. Germ.* sive ad exemplum dedititiorum, quibus Romani terras sub vectigalibus colendas relinquebant, ea servitus introducta fuit. 7
Utcumque: melioris illi conditionis esse debent quàm Servi Romani: quibus ipsis implorare auxilium legum licuit adversus nimiam dominorum vel duritiam vel sævitiam. Adscriptitii ergo illi non ultra modum operarum, vel conventione, vel consuetudine definitum, onerari debent: atque indefinita operarum obligatio Magistratus arbitrio ad probabilem modum redigenda.

CA-

CAPUT VII.

Descriptio Civis: & circa eam quæstio. Distinctio ejusdem in universalem & particularem; in urbicum & rusticum, in plenum & non plenum, in imperantes & subjectos, in nativos, adlectos, honorarios.

DEinceps considerandi subditi quà Cives, & quà non Cives: illud enim nomen latius patet, & incolas quoque, aliquatenus & advenas comprehendit. Nec certè facile est unâ & perpetuâ notâ Civem describere: variat enim sæpe hujus conditionis jus pro forma Reip. & consuetudine cujusque civitatis. Utcunque tamen definire Civem possumus, qui summi imperii vinculo civiliumque rerum communione cum ceteris connexus est: multisque in locis æstimatur jurejurando in leges tutelamq; societatis obstringente: Homagium vulgo vocant: quod etiam longo intermissum temporis intervallo exigi potest, sed non extra formulam antiquitus usitatam, ne innovatio novum invehat onus. Variare autem solet pro Reipub. formâ: aliquando enim ad perpetuum consortium obstringit, adempta domicilii mutandi facultate. Aristoteles eum describit suæ Reip. Civem, cui potestas sit capescendi Magistratum. Id quod quidam non immeritò reprehendunt. Etenim pulchrè Plato Civitatem ad effigiem animi humani expressam dispositamque esse dicit. Quemadmodum enim animus distributus est in Rationem, penes quam imperium est; in Animositatem, quæ partim paret partim imperat; & denique in Cupiditatem soli obsequio destinatam: ita in Civitate mentem repræsentare Principes, Senatores, Sacerdotes; animositati respondere milites & custodes; denique cupiditati plebem. Nimirum quia Civitas multitudo est, imperandi parendique ordine descripta: necessariò Cives quoque sunt, qui imperii exsortes. Etenim in quos Civitas imperium habet, nisi in Cives? Quomodo igitur omnes imperii participes? Nam sine distinctâ parentium sorte, ne quidem intelligi imperantes possunt. At, inquiunt, non utique qui imperant, sed quibus potestas est imperandi, cives sunt. Sed quæro: utrum potestas illa in plerisque otiosa erit, an ad effectum deducetur? Si hoc dicunt, in idem revolvimur: nam saltem necesse est, auctoritatem & dignationem exolescere magistratus in Cives, si alternâ imperandi vice singuli fere eo excelluerunt. Quod si dicunt potestatem illam in plerisque citra actum substitutam: hæc materia discordiarum erit; nam ut indignari vix potest quisquam se magistratum non gerere cujus incapax est: ita injuriam interpretatur eo nunquam potiri, cujus jus gerendi habet. Sed democratiæ, inquiunt, rationem Aristoteles secutus est. Non dicam eo modo vitiosam esse Generis definitionem complexam modò speciem unam: sed hoc quæro cur ab exemplari democratiæ Atheniensis descriptionem deflexit Aristoteles? Istic enim quarta civium classis, triplo reliquis amplior, à judiciis & consiliis excludebatur, Plutar. *in Solon.* Quod si displicuit idea Reipub. totâ Græciâ nobilissimæ, videamus an meliorem rationem secutus sit. Mihi enim non videtur. Nam si Cives non sunt, qui non participes Magistratuum; & ab iis arceri Mechanicos omnes (ex ipsius quoque sententiâ) par est: sequitur majorem urbis partem peregrinitate, & quidem (quod indignius) in ipso originis domicilio alienari condemnarique: id quod necesse est seminarium existere seditionum: quibus maximè vexati Civitates, ipse quoque Aristoteles testatur, in quibus peregrinorum turba exsuperat civium numerum; quia nimium inter domicilii loco, nec tamen juris æquabilitate sociatos invidia & æmulatio exardescit; quæ longè incitatior erit inter illos, qui non loco tantum sed origine juncti juris conditione

tanto-

tantopere segregantur. Civis trifariam sæpè intelligi quisque potest, nempe vel totius Reipub. contemplatione, quâ v. g. Belgii quis Civis est; vel integræ Provinciæ, quâ Brabantiæ Civis; vel denique unius oppidi, ut Civis Sylvaducensis: nec aliud de pago juris. Nam vel urbani, vel rusticani pro habitationis ratione Cives dicuntur. Distingui quoque Civis potest in plenum, & nimis plenum, idque variè pro locorum institutis. Alicubi enim soli Patritii, Nobiles, aut Reipub. administrandæ participes Cives censentur, nempe pleni; (de quo satis dictum) alicubi dominium domus plenum civem facit. Hinc dissolvitur quorundam dissensio de nothis, pueris, fœminis, Clericis, servis, opificibus, Cives sint nec ne? Minus pleni enim Cives videntur esse. Sanè democratiæ magis floruerunt istæ, quæ Opifices numero Civium, id est consortium gerendæ Reipub. non censuerunt; in quibus Cicero 2. *Off. Nibil generosum aut liberale inesse*, nimis quidem generali sententiâ, ut plurimum verâ tamen dicit. Nescio enim quomodo distinxisse in varias ac toto genere distinctas classes hominum animos fata videantur, ut alii quidem mente in divinorum naturaliumque contemplationem evehantur, quidam ratione & prudentiâ ad humana negotia dijudicanda atque dirigenda polleant, plures denique vix ultra phantasiæ & imaginationis vim, quæ sensibus & sic corpori finitima, sapientes, omnem ingenii industriam in artificiis consumant. Porrò in Polyarchico statu Civium alii imperitantes, alii subjecti: illi jus Civitatis dominantis habent, hi Provinciæ subjectæ: Sic Poëta *Romanos rerum dominos* appellavit: ad quos proximè accedebant Municipes, munerum atque honorum cum Romanis participes, oriundi ex municipiis suis legibus relicti, tantum in Romanas curias non descripti, quamvis ex iis jus suffragii datum quoque quibusdam erat. Subjecti verò Cives erant in Colonis Italicis, & maximè in Provinciis. Denique Cives vel Nativi vel Adlecti, qui scilicet in aliam civitatem adscribuntur; sed non ideò natalem (nisi ex consuetudine hodie multis in locis receptâ) amittunt, quâ ipsâ & soboles eorum solâ censetur, *l. 6. §. 1. ad Municip.* cum ipse utrobique Civis sit, & utrobique tam muneribus quàm honoribus parere debeat: *l. Ordine. §. ult. ad Municip.* nisi sit tantum honoris causâ in Civitatem adsumptus, ejus enim imperio non subjicitur honorarius Civis. Nam & Reges interim hunc honorem Rerumpublicarum non dedignantur, exemplâ & in recentioribus sunt, & in veteribus ut Alexandro cui Megarenses Civitatem dederunt. Sen. 1. *De Benef. cap.* 13. & *ibi* Lipf. Opportunè hîc subjicietur Quæstio

CAPUT VIII.

Expediatne peregrinos in Civitatem adlegere.

Affirmanti suffragatur ratio amplificandæ Civitatis: cujus potentia in numero civium, sive ad propugnandum suos & sua, sive ad expugnandum alios consistit. Sed & neganti ratio constiterit, ne Civitas colluvione peregrinitatis inficiatur, & discrepantiâ morum turbetur. Ego puto id unâ regulâ in perpetuum constitui non posse, sed arbitrio prudentis Reipub. moderatoris temperandum: Multum enim interest, utiles aut necessarii, an verò superflui vel etiam onerosi adsumantur: id quod ex agri magnitudine aut exilitate, ex artificum indigenarum frequentia aut penuria industria inertiave & ex natione, fama & conditione eorum qui admitti cupiunt, non difficillimè dijudicari potest. Igitur neque morosè præfractèque negandum jus Civitatis semper & omnibus; ne ornamenta vel adminicula Civitas sibi ipsa invideat: neque dissoluta facilitate promiscuè etiam ignavi fuci aut etiam crabrones recipiendi, serpentesve (ut in proverbio est) in sinu fovendi.

CA-

CAPUT IX.
De Incolis & Advenis.

QUi extra Cives in oppido aliquo commorantur vel Incolæ sunt, si ibi domicilium, id est sedem familiæ fortunarumque summam destinatione suâ, &, si nihil interveniat, perpetuam constituerunt; *l. 7. C. De Incol.* vel Advenæ, qui animi vel negotii causâ ad tempus ibi hospitium habent. *l. 239. §. 2. & 4. ff. De V. S.* Sed ne illi quidem in originis loco Cives esse desinunt, aut suorum Magistratuum imperio subtrahuntur, quin revocari possint, & personalibus quoque Patriæ muneribus subjici; *l. 29. ff. Ad municip.* nec minus apud eos ubi Incolæ sunt, participes quippe ibi tutelæ Juris multarumque commodium civibus rerum. *l. 5. C. De incol.* Sunt & quasi Incolæ aliqui, qui non domicilium, & bona immobilia in alieno territorio tenent: quod alicubi etiam Incolis prohibetur, ne alioqui Incolarum turba exuperet civium numerum: id quod seditionum periculo non caret. Quare potissimùm interdici expedit peregrinos cœtibus & conciliabulis: nisi quatenus exterorum mercatorum societates civitas negotiationi amplificandæ opportunè fovet. Advenæ non muneribus quidem, sed legibus tamen civitatis in qua versantur, subjiciuntur: & peculiari tutelæ Magistratus à Deo commendantur. An igitur peregrini mendici justè expelluntur? Judicio & examine Magistratus opus est: nam si corporibus robusti sunt, nec peregrinationis ratio illis constat; præsumptio vel flagitiorum ob quæ Patriâ pulsi sint, vel desidiæ quam sectentur, indignos illos auxilio reddit. *Ecclesiast. cap. 12. l. un. C. De mendican. val.* Si verò justa illos causa domo excivit, aut senio vel debilitate fracti sunt, miserationem merentur: videndum tamen utrùm civitas indigenis pauperibus redundet, an minùs; his enim potius subveniendum. Denique quòd Romani olim peregrinum populum cum quo nec hospitii, nec amicitiæ, nec fœderis jura publicè intercederent, paulò minus quàm hostem habebant, adeò ut inde personas aut bona deprædari fas putarent: *l. 5. §. In pace. ff. De captiv.* id manifestè Dei & naturæ legibus repugnat, quippe quæ sine alio fœdere & pacto societatem inter omnes homines constituit. Nam cum inter nos cognationem quamdam natura constituit, consequens est (inquit Florentin. in *l. Ut vim ff. De Just.*) hominem homini insidiari nefas esse. Hoc amplius Seneca *lib. De vit. beat. c. 24 Hominibus prodesse, natura jubet: servi liberimè sint, ingenui an libertini, justæ libertatis an inter amicos datæ quid refert?* Vide eund *Ep. 95.* Ubicunque homo est, ibi beneficio locus est. Quò pertinet Doctrina Servatoris nostri, affirmantis proximum non patriâ, aut gente, sed ipso humanitatis jure definiendum esse.

CAPUT X.

Alia subditorum divisio ad Ordinem politicum tuendum. Ordinis dignitas, vis, utilitas.

EST præterea alia quædam distinctio quæ subditos gradibus ordinibusque distribuit, ut alii eminentiores, alii inferiores sint. Nihil vel ad adspectum pulchrius, vel ad usum habilius, vel ad compagem firmius est Ordine, nullus autem ordo sine inæqualitate; quæ tamen ipsa concordiam devincit, dum officiis distinctos alios aliorum indigere facit. Ipsum universum ordine se tuetur, & æqualissimâ imparitate partium in unam harmoniam, concordiam amicitiamque coalescit. Atque ut pulchrè Poëta Philosophus:

> *Quod mundus stabili fide,*
> *Concordes variat vices,*
> *Quod pugnantia semina*
> *Fœdus perpetuum tenent;*

Ordo facit, & inde concentus atque amica partium omnium conspiratio. Boët. *De consol. lib. 2. in fine* Uberius etiam de Ordine Fabius *lib. 7. cap. 1.*

Si quam, inquit, *in corporibus nostris, aliorumve animalium partem permutes & transferas, licèt habeat eadem omnia, prodigium fit tamen: & artus etiam leviter loco moti perdunt quo viguerunt usum: & turbati exercitus sibi ipsis sunt impedimento. Nec mihi videntur errare, qui ipsam rerum naturam stare ordine putant, quo confuso peritura sint omnia.* Hinc etiam Democratiæ si promiscuam æqualitatem colunt, diuturnæ esse nequeunt, quia ordinem confusio sustulit. Eminentiores in subditis partim consilio, ut Senatores; partim imperio, ut Magistratus, partim ministerio, ut administratores v. g. ærarii censentur; partim denique aliâ quâ excellentiâ, qui propriè Nobiles dicuntur, quamvis generatim dignitatibus quoque hæc appellatio convenit. Et de Conciliariis quidem Judicibus & Curatoribus Reip. alius erit locus: nunc verò lubet pauca de aulicis disserere: hi enim administerium Principis pertinent, aut pompam saltem Majestatis.

CAPUT XI.

De Palatinis: qui in aulam adscribendi, qui arcendi: potissimum de adulatoribus dictum.

DIvidi Palatini possunt in Majores & Minores, in Veteranos & Tyrones. Illi vel in curarum & administrationis consortium, spectatâ fide & prudentiâ, assumpti sunt; vel in oblectamentum tantum convictus familiaris, ingenii atque affectuum cum Rege similitudine conciliante, pervenerunt. Horum seminarium in Tyronibus est, procerum liberis, quos adolescentes (usitato etiam Macedonibus olim instituto Curt. *lib.* 8.) ministerio Principis & comitatui applicant. Enimverò Nobilium ferè hæc sors est, aulæ misceri: ministrorum enim dignitas amplificare Regis excellentiam videtur: & illustres non sine intensissimâ invidiâ ab aliis in hac ambitiosa familiaritate sese anteiri adspiciunt. Servanda itaque illis hæc prærogativa, ita tamen ut neque superflua desidum, & quod sequitur lascivorum turba, vel oneret ærarium, vel infamet aulam (quomodo hodie convenire ei posse cum virtutis vel modestia vel severitate vix creditur) vel denique solo genere commendati, sed non usu non doctrinâ ad prudentiam subornati in arbitrium vocentur maximorum negotiorum. Dum igitur Princeps id egerit, ne Nobilitas neglectam se justè queri possit: nihil vel ad Majestatem Augustius, vel ad benevolentiam suorum gratiosius, vel ad subsidium Reipub. opportunius curaverit, quàm ut eminentissima præcipuarum artium ingenia in aulam conduxerit: sunt autem præcipuæ Pacis bellique artes; neque excludenda artificia liberaliora. Qui igitur vel militarium rerum calliditate & vigore, propitiâ famâ aut fortunâ, florent; vel civilis scientiæ, amœniorumque aut uberiorum literarum antistites eluent, vel denique ex artificiis liberaliora ad miraculum subtilitatis exercent, hi, inquam, in aulam unam si convenerint, quantum eam ad celebritatem venerationemque insignient, dum quisque quod præcipuè studium admiratur ejus istic exemplar in aula ut sacrario colet? Dum quisque artis gloriam ad Principem ut auctorem nutritiumque refert? Quantus inde Civium in Principem amor? Namque omnium beneficiorum, inquit Plin. *in Pan.* quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis, quam ad similes redundat. Quanta deinde hujus aulæ vis, quæ ad omnes Reipub. & temporum usus tanquam pœnum subsidiorum recondiderit? ut nihil in Repub. egregium sit, quod non inde proficiscatur? Quanta denique existimatio Principis, tanquam his artibus expoliti, quas tam amanter fovet? Nam in alio sua quemque ut Plinius ait in *Pan.* natura delectat. Neque sanè hac ratione difficile erit, quod proverbio celebratur, *Princeps sapiens sapientum commercio.* In tales si Princeps judicio

judicio & affectu inclinet, ad parem industriam stimulabitur Nobilitas. Non jam implebitur aula parasitis; & histrionibus: primæ industriæ dignationisque erunt voluptatum inventores; quique quæ ad venatum pertinent sumptuosè procurant; & infra fœminarum mollitiem fracti delitiis cultuque corporis mares; quique his omnibus deteriores sunt, Adulatores Calumniatoresque: Quorum illos ex cicuribus, hos ex feris bestiis perniciosissimas, egregiè Bias respondit. Illi tanquam incantatores quidam præstigiis paratæ ad omnia laudis, honesti ac turpis, æqui atque iniqui discrimen confundunt, principique mentem, ac notitiam sui & suorum, famæ quoque publicæ, adeòque cladium sæpe quibus mederi posset si sciret surripiunt; laudemque imitatione confirmant, ad deteriora semper inclinante, instar chameleontis, qui omnem colorem exprimit præter candidum. Unde assentator cum omni affectui & cupiditati obsequatur, eamque ultrò intendat, facilè in Calumniatorem efferatur; dum metus, suspicionesque, dum iram & offensas in propinquos aut illustres blandiendo amplificat, & ignem igni addit. Plutar. *De adul. cap 36.* Cumque amicitiam numismatis instar adulterat, insensim æmulatione veros sincerosque amicos ab aula arcet aut calumnia evertit, memor ejus quod Medius dicebat, coriphæus adulatorum qui Alexand. cingebant, *Ut vulnus calumniæ sanetur, cicatricem tamen manere.* Metuit nempe ne cum amico, ut auro depurato, compositus, instar plumbi despiciatur; imitaturque pictoris infelicem astum, qui cum gallinaceos perperam expressisset in tabula publicè expositа, custodem apposuit qui veros vivosque gallos abigeret. Plutar. *ibid. cap. 50.* Ultra hæc Princeps adulatorum delinimentis imbutus suâ sponte à veris amicis abhorret: jam quippe libertatem pro contumacia, veritatem pro contumeliâ interpretatur. Itaque adulatores ferè ex Principe Tyrannum faciunt: Ille enim tam viles animas odit; hic ultro vividos spiritus contundit. Recteque Maximus Tyrius adulatoris anxiam fraudem cum superstitioso, Amicum candoris & fiduciæ plenum cum Pio comparat. Pius Deum & parentem; superstitiosus ut Tyrannum colit. Porrò cùm ut *nullum majus boni imperii instrumentum*, ex scito Taciti 4. *Histor. quàm boni amici;* Plat. *Epist.* 1. ita nihil vel similius amico, vel magis contrarium sit quàm adulator: operæ pretium est, notas habere, quibus ut lydio lapide exploretur. *Adulatio quàm similis est Amicitiæ*, inquit Seneca *Ep.* 450. *Non imitatur tantùm illam, sed vincit, & præterit.* Notas igitur his certas imprimi desiderat: quas luculento commentario Plutarchus persequitur; strictius Maximus Tyrius *Disser.* 4 qui Amicitiâ floruit Optimi Principis Aurelii. Breviter, inquit, Adulator improbitate, Amicus virtute censetur. Deinde distinctiùs: Amicus quod bonum putat, sive molestum sit sive jucundum, cum Amico communicat: Adulator cupiditatibus suis obsecutus omne cum Amico commercium ad quæstum suum refert. Et amicus quidem æquale, adulator proprium spectat; ille quidem æquabilitatem in virtute, iste luctum in voluptate; ille paritatem in congressu, iste humilitatem in cultu; ille veritatem in familiaritate, iste fraudem; ille emolumentum in posterum, iste oblectationem in præsens. Alterius beneficia memorari gaudent, alterius fraudes sepeliri. Alter quæ amici sunt, ut communia curat, alter ut aliena consumit. Amici & in secundis rebus familiaritas gratissima, & calamitatem ex æquo sustinet: adulator neque in secundis rebus expleri potest, & in adversis nusquam apparet. Amicitia laude, vituperio digna est Adulatio: illa vicem refert, ista claudicat. Amicus si ignoratur, miser est; adulator, nisi ignoratur; Amicitia si exploretur, confirmatur; adulatio experimento perit:

illa tempore crescit, hæc tempore revincitur. Amicitia nullius unquam eget; alicujus semper adulatio. Pulchrè ista Maximus: rectèque præcipuum discerniculum putat, virtutem aut improbitatem: quia Amicitia sic cognata virtuti est, ut in improbos non cadat. Verè dictum à Plinio est: *Optimum quemque fidelissimum esse;* verè quoque ab Hebræo Sopho 12. *Proverb.* consilia impiorum fraudulenta: ut non certius ex obsequii promptitudine, quàm virtute de Amico constituas. Illa enim interim; ista nunquam misceri cum adulatione potest. Exemplum illustre in Seiano: qui per internecionem familiæ Tyberii viam ad ipsius exitium cupidine imperii moliebatur. Vescebatur cum Tyberio (describente Tacito 4. *Ann.*) nativo in specu: cujus os lapsis repentè saxis, obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes, & fuga eorum qui convivium celebrabant. Seianus genu vultuque & manibus super Cæsarem suspensus opposuit se incidentibus: atque habitu tali inventus est à militibus qui subsidio venerant. Major ex eo, inquit, & quanquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur. Perperam certè nec pro cetera sua calliditate Tyberius qui plus fidei ex obsequio, quàm perfidiæ ex improbitate tot sceleribus exercita conjectabatur. Quasi non soleat, ex Livii effato, fraus in parvis fidem sibi præstruere, ut cùm operæ pretium est fallat. Sed non expedit hæc, verùm etiam sacrilegis se sacrosanctam credit *cæca & corrupta assiduis adulationibus mens* (ut Taciti *in Agr.* verbis utar de Domitiano: quem irridet lætatum testamento Agricolæ, ut judicio atque honore; quòd *nesciret à bono patrem non scribi heredem nisi malum Principem.*)

CAPUT XII.

De Officio Principis in Palatinos.

Hæc cùm ita sint, in pensitando suo erga Aulicos officio, inprimis illud sibi persuadebit Princeps, quod dixisse fertur Aristides: non posse se eodem & amico & adulatore uti: credentque Galbæ Cæsari, Pisonem, quem in successionem imperii adoptabat, monenti apud Tacitum 1. *Histor. Fidem, Libertatem*, inquit, *Amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eâdem constantiâ retinebis: sed alii per obsequium imminuent, erumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum sua cuique utilitas. Etiam ergo actu simplicissimè inter nos hodie loquimur; ceteri lubentiùs cum fortuna nostra, quàm nobiscum. Nam suadere Principi quod oporteat, multi laboris: assentatio erga Principem quemcunque sine affectu peragitur.* Pulchra hæc, & expendenda. Fidem, Libertatem, Amicitiam opponit tribus insidiosissimis earum hostibus, Adulationi, Blanditiis, suæ rei Studio. Neque Fides sine Amoris incitamento & Amicitiæ vinculo esse potest; nec Amicitia sine Libertatis æquabilitate: nullus enim affectus tenacior sui juris, dedignantiorque servitutis quàm Amor. Verèque Poëta:

..... Non extorquebis amari:
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Pleniùs hoc ad Traianum Plinius: *Quæ poterat*, inquit, *inter eos esse amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur. Tu hanc pulsam & errantem reduxisti. Habes amicos, quia amicus ipse es. Neque enim ut alia subjectis, ita Amor imperatur; neque est ullus affectus tam erectus & liber & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat.* Igitur ut Fidem suorum obtineat Princeps, amicitiam teneat; ut Amicitiam, libertatem indulgeat, ut hoc non temerè præstet, bonos sapientesque id est libertate dignos adsumat. Pulchrè Tacitus adulatores non tam cum Principe, quàm cum fortuna ejus loqui dicit; quia non ipsum quoque, sed fortunàm amant, utcunque effingunt amorem humilitate obsequii. *Ingeniosior enim*, inquit Plinius, *est ad excogitan-*

cogitandum simulatio veritate, servitus libertate, metus amore. Sed hoc ipso nimiâ inquam, affectatione se produnt: *aliud enim sollicitudinis, aliud securitatis ingenium est; alia tristium inventio, alia gaudentium.* Eodem modo quo profusior in cultu superstitiosus est Religioso, verùm hic securior alacriorque; illum enim amico, hunc adulatori comparavimus. Tacitus quoque 4 *Annal. non occultum* putat, *quando ex veritate, quando adumbratâ lætitiâ facta Imperatorum celebrentur.* Parum est quod Princeps adulationem non exigat: reprimere eam debet, & quidem non perfunctoriè, sed seriò, graviter, constanter. Etenim ut Tacitus dixit, faciliores aulici ad assentationem, quam ad consilii fidem: illa enim perfunctorio ad omnia assensu constat, ista prudentiæ industriam exigit: illa gratiæ; id est suæ utilitati velificatur, ista veritatem & principis ac publicum bonum investigat. Ultro igitur ad libertatem impellat (inhortari enim parum est) suos, *ut quoties libertatem quam dedit experientur, sciat, illos sibi parere;* Plin. ideoque offensâ vacet: imò illi sciant hoc modo se Principi obsequi, & metu careant veritatem enunciandi.

CAPUT XIII.

Monita ad Palatinos.

IPsi itaque amici consulendi, dissentiendi, monendi denique cum res exiget libertatem non ut suo jure, sed ut ex ejus præscripto exercebunt: nec minus illum Principem, quàm sese amicos recordabuntur. Est apud Tacitum 4. *Histor. Quomodo pessimis Imperatoribus sine fine dominationem; ita quamvis egregiis modum libertatis placere.* Sanè quicunque apud eundem scriptorem liberarum sententiarum erecti auctores celebrantur; eas laudibus, obsequio, reverentia in Principem temperant: atque (ut idem ait 4. *Annal.*) inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergexerunt iter ambitione ac periculis vacuum; qualem describit socerum suum in *vit. Agr. circa fin.* Contumacia, ut Seneca ait, non facit ad aulam: nec senescere ibi datur, ut idem ait, nisi injurias patiendo & gratias agendo. Vult nempe dissimulari injuriam potentiorum: ad illos enim pertinet; quod generatim Tacitus ait; *Proprium humani ingenii odisse quem læseris;* sive propter metum, sive propter pudorem erga iniquè læsum. Atque ut accepta injuria, ita præstita beneficia dissimulari oportet, certè omni jactationis specie abstinendum: Nam ut Plinius ait, *In Principe rarum ac prope insolitum est, ut se putet obligatum; aut si putet, amet.* Tantum enim in sopotuisse alios quasi diminutionem majestatis suæ infensa æmulatione aversantur. Sic Tacitus inter causas offensæ & exitii cujusdam Silii memorat, quod operam jactâsset quâ exercitum suum reliquis seditionem agitantibus in obsequio continuisset erga Tyberium, absque quo fuisset, imperio excidisset. Nam, inquit, *beneficia eousque læta sunt, dum exsolvi possunt; ubi multum antecesserunt, pro gratia odium est.* De Principe igitur benemerendum aulicis, non beneficii, sed officii specie: explicanda negotia, & exsuperandæ ipsis quidem difficultates, sed effecti operis sive fortuna sive gloria ad illorum auspicia atque consilia referenda est. Sic mitigari hæc æmulationis acerbitas poterit, quamvis fortasse non omninò delebitur; adeò fere adfecti Principes sunt, ut Cyaxares apud Xenophontem *lib. 5. De inst. Cyr.* qui angebatur gloriâ rerum quas cum ipsius quidem copiis, sed ad ejus utilitatem imò securitatem Cyrus gerebat. Scire, inquit, te volo hæc bona ejusmodi esse, ut quanto ampliora videntur, tanto me magis onerent. Nam mallim equidem ditionem tuam meis amplificare copiis, quàm per te amplicari meam: ad te quippe hinc claritudo redundat; ad me ignominiæ aliquid. E-

tiam opes in te profundere meas præoptem, quàm ea quæ præstas tibi accepta ferre. Minùs dolerem modicâ injuriâ subditis meis à te adfectis; quam per tot nunc beneficia à te ornatis. Quodque Cyrus Medis militiam, à qua Cyaxares jam avocabat, ex ejus tamen permissu, voluntariam persuaserat, ita ut summâ cum alacritate in omnia pericula ipsum sequerentur ducem; id Cyaxaras perinde se æstimare dicebat, ac si quis canes Domini custodiæ adsuetos, ab eo illecebris avertat, aut uxorem alterius demereatur. Denique sic ait: Ditionem quidem meam, auges, sed majestatem minuis: comparatione enim tui, qui hac fortitudinis specie te ostentas, ego ut ignavus imperio indignus videor; qui fœminæ instar, tantum me alienæ, atque etiam subditorum beneficentiæ, materiem exhibeo, ipse omnium operum, omnis industriæ expers. Illud itaque omni cautione observare Proceres debent, ne quâ in re Principi se anteferre videantur, potissimum cujus ille censeri laude cupit. A Xenophonte *lib.* 4. *Cyripæ.* narratur quomodo Regis Assyriorum filius interfecerit filium Gobriæ, stimulante æmulatione venatoriæ laudis, cum hic duas feras certo & destinato ictu confecisset, in quibus illius manus aberraverat. Ut Principis offensa, ita aliorum in palatio invidia, scopuli instar, vitanda; dissimulando industriam, & ad speciem segnitiæ ac voluptatum descendendo: adeò dotes bonaque sua non ingerenda ægris oculis; & quos splendor ille feliciorum vulnerat: sed, quod dicitur, in sinu gaudendum. Hoc igitur adversus æmulationis malignitatem, & inde calumniæ fraudem amuletum esto; alterum in diffidentia: plena enim aula livore, criminatione, fallaciâ; ibi certamen occultum primum gratiæ gradum ambientium, supplantantiumque antecedentes clandestina susurratione, cui via apertis laudibus & omni benevolentiæ effigie sternitur.

CAPUT XIV.

Quid Nobilitas: & an in Republ. sit amplectenda?

QUid sit Nobilitas, inter omnes non convenit: & finitio ejus sæpe pro statu Reip. variat. Socrates de hac quæstione respondit, Nobilitatem esse animi corporisque bonam temperiem. Est certè hæc descriptio non aliena à Jure Naturali: sic enim, ut idem ait, generosissimum triticum non ex solo aut semine, sed ex vi sua censemus. Nec longè ab hac opinione discedunt; qui virtutem Nobilitatem esse dicunt, quæ certè Naturæ & industriæ præstantiâ constat, ac à vulgo hominum manifestissimè segregat. Atque hanc sententiam Turcæ sequuntur. Quibusdam videtur Nobilitas famæ celebritate finienda, ut sit (verbis Senecæ) latè diffusa in populos nominis notitia. Sed verius est, primâ finitione causam Nobilitatis & fundamentum contineri; alterâ effectum. Quidam Opes antiquas, alii gloriam vetustam Nobilitati deputant: & multi sanè vulgo nobiles non alia ex causa, quam quod ipsi cum majoribus luculentiorem vitæ sectam quam vulgus instituerunt. Proprior adhuc vero alter finis de gloria vetusta. Quomodo apud Romanos Nobiles erant quorum majores Magistratibus Curulibus refulserant. Ex Jure Gentium Nobilitas rectè describi ab iis videtur, qui eam virtutem generis dicunt: quomodo Tacitus nobilem familiam appellat Gentem fœcundam bonorum civium. Magna enim vis seminibus inest ad similitudinem indolis in sobole: nec minor in educatione institutioneque energia, penes bonos honoratosque liberaliore ferè semper: denique ingens exstimulatio ab exemplis avitæ virtutis & imaginibus perennantis gloriæ. Novissimè hodiè ex Jure Civili videtur Nobilitas esse claritudo familiæ ob præclara in Remp. aut Principem merita, supremæ potestatis judicio atque testimonio sancita;

ta: quæ deinde in posteros, ob conjecturas quas exposui, dimanat; non verò propriè ad parentes aut cognatos diffunditur. Omni sanè ævo quicunque populi Nobilitatem aliquam agnoverunt: nec ullum esse præclarius ad disciplinam civitatis institutum potest, quàm si Nobilitatis non umbra atque imago inanis, sed solida atque germana effigies colatur. Et quæ illa? si Nobiles sint posteritas illorum qui vel Justitiæ exemplis, vel sapientiæ documentis, vel speciminibus fortitudinis vel consiliorum aut institutorum legumque salubritate benè de Rebuspublicis meriti fuerunt: has enim Plato species Generosi ortus agnoscit. Quid igitur si soboles degener sit? adhuc in honorem majorum excellere debet, etiam Senecâ arbitro: quippe quibus non ipsis solum, sed etiam in posteris referenda gratia est, cum nec illorum beneficia in Rempub. unius ævi spatiis coarctentur. Cic. *pro Sext.* quam rationem sequi sæpe & Providentiam justissimi Dei affirmat; dum, imperitis indignantibus, fovet attollitque indignos, contemplatione nempe progenitorum, quibus relata gratia non fuit, vel quia opportunitas non perinde permisit, vel quia eorum immensa virtus hæc externa munera non admisit, quorum contemptu approbare maluit, gratuitò & sine auctoramento se coli, & suis (propitio Deo) opibus beatæ vitæ se sufficere.

CAPUT XV.

Distinctio Nobilium; neque in omnibus æqualem Nobilitatem esse. Quæstio de Collegiis Canonicorum Nobilibus: item de habitatione Nobilium.

Nobilitas titulis gradibusque distingui solet in Barones, Comites, Marchiones, Duces, Archiduces, similesque: reliqui simpliciter Nobiles dicuntur. Et quamvis in Dania ac Polonia discrimen nullum titulorum Ordinem Nobilium discernat: non ideo tamen æqualis Nobilium dignatio existimari debet; sed pro antiquitate & claritudine Majorum, famæ, Magistratuum, opum, variat, quamvis non in privilegiis, in ipso tamen hujus conditionis honore atque æstimatione. Nobilitas enim non substantia est, sed qualitas quæ intensionis remissionisque (ut in scholis dicunt) capax est & proinde non simplex sed multiformis. Sic enim (ut manifestiore exemplo hoc illustrem) quamvis Nobilitas stirpis paternæ claritudine censetur: major tamen haud dubiè est, & pluribus quasi stellis in unum coeuntibus locum lucem intendit, per accessionem imaginum maternæ familiæ. Adeoque in Germania illustris series majorum utriusque stirpis nobilitatem demum implet, si agatur de recipiendo aliquem in Ecclesiastica illa Nobilium Collegia. Quamvis de ea consuetudine disputetur an valeat: satis enim Christus Deus ostendit in eligendis sibi cultoribus mentem tantùm se intueri, non gentem aut censum; non imagines Majorum, sed imaginem Sui in animis omnium insculptam, quam in nativo nitore retinere integram, immunemque à confusione errorum, & colluvie vitiorum, & perturbatione cupiditatum, quæ id agunt ut tanquam in mari undabundo, Numinis effigies nusquam resplendeat; id, inquam, præstare, & Cœlestis Gratiæ adminiculis ad exemplar suum magis magisque hanc iconem expolire atque conformare: ea demùm, ex Jure Divino, Nobilitas est: sic enim jure merito cœlestis originis dignatione effulgent, qui à tanto Parente non degenerant. Cùm tamen illa subsidia vitæ, vel pietate vel magnificentiâ Majorum, in gratiam Nobilium instituta, ad alios usus utcumque sanctiores transferri non oporteat; (servanda enim legis instar testatoris voluntas) *c. Nos quidem. De testam. c. Quod contingit. De relig. dom. l.* 1. §. 4. *ff. De adminis. rer. ad civit.* Schurf. *Cons.* 90. *cent.* 1. ideò consuetudinem quidem valere existimo,

stimo, sed benignâ interpretatione temperandam esse; ut nimirum remissiùs minúsque amarè politica Nobilitas exigatur, ubi Naturalis illa imò Divina suffragatur. *Arg. c. Odia. De Reg. in 6.* Neque enim iniquum aut insolitum est, propter eximiam personæ præstantiam à Regulis Juris leviter deflectere. Denique dividuntur Nobiles ut quidam simpliciter & generaliter tales sint, qui scilicet a Majestate hoc jus deducunt; alii verò domi Nobiles, qui ex consuetudine municipii tales, veluti Patritii. Distinguuntur adhuc penes quosdam ex habitationis loco in Urbanos & Rusticanos. Sed quæritur, utrum non præstet hæc ornamenta illustrare potiùs urbem, quàm ruri delitescere? Et hoc ita demum affirmandum est, si industriâ, prudentiâ, doctrinâ majoribus suis digni, & gerendæ Reip. apti sunt. Nam si ipsi degeneres, tantò magis majorum gloria (ut solet) intumescunt quanto virtute vacui sunt: præstat eos ruri latère, & prædia sua colere, venationique studere, & facili inter rusticos excellentiâ acquiescere, quàm in urbe Rempub. æmulatione turbare, dum ingenio quàm genere clariores supra se adspicere non sustinent. Illi enim præcipuè Nobiles qui suæ diffidunt virtuti, acerbissimè invident alienæ; præsertim nunc primùm inclarescenti. Ideò quoque frugalitas ruris aptior plerumque domicilio, ne ditium civium æmulo luxu præcipitent avitas opes in exitium Nobilitatis.

CAPUT XVI.

Controversiæ variæ circa Nobilitatem in statu definitivo.

VAriæ exoriri solent quæstiunculæ circa Nobilitatem in statu definitivo. Inprimis Nobilitas à Majestate patri concessa an derivetur in liberos jam antè natos? Quidam eam negant, nimis malignâ (ut mihi videtur) in re gratiosa interpretatione. *l. pen. ff. De constitut.* Nam cùm Nobilitas in fonte & origine minus ampla atque magnifica ubique (exceptis Turcis) censeatur, quàm in progressu & rivis: intelligitur Princeps non tam patri, quàm per patrem posteris consuluisse; paterque non tam sibi quàm liberis id honoris ambivisse. Parentes liberis omnia ex voto parant, inquit Papinianus: id verò maximè in iis obtinet quæ ad memoriam & claritudinem domûs spectant. Præterea cùm auctoritas Principis Nobilitatem conferat testimonio quasi & elogio virtutis tantæ ut transfundenda in posteros videatur: non video quid intersit, antè an post tale testimonium orta soboles fuerit. Denique dignitate patris etiam ante eam natos censeri liberos Jure constitutum est. *l. 5. ff. De Senat. l. 2. §. 2. De Decur.* Vide nostra *De Princip. Jur. lib. 3. c. 11.* De Spuriis quoque Nobilium controvertitur; quibusdam Nobiles & benè natos negantibus, quorum natales turpitudine & infamiâ constant. Quod si Nobilitatis hoc fundamentum est, quod liberis instillata virtus Parentum præsumatur: absurdissimum sit id sentire de genitis per flagitia. Adeò, ut plerique inter Jureconsultos etiam infamibus annumerare Spurios non dubitent. Vide quæ Nos ad *C. Ex quib. caus. infam.* Jure Civili familiam eos patris non sequi expeditum est: & quomodo igitur claritudo ejus ad eos pertingat? Consuetudine tamen Galliæ & Sabaudiæ instar Nobilium habentur, si sine flagitio adulterii aut incesti fuêre procreati, & à patref. agniti, liberaliterque educati. Antonius Faber ad *Tit. C. De Natural. Defin. 11.* post Boër. & Guidon. Ego consuetudinem hanc ita demùm probari & admitti posse puto, si præter ea Spurii illi vitæ sectam ducant Nobili congruentem. Hoc amplius & supremorum Principum Spurios generali consuetudine Nobiles puto: cùm enim legitimandi potestatem habeant, parem voluntatem ex paterni affectûs pietate conjicimus, neque in Majestate externi actus solennia desidc-

desideramus. Nam quod legitimationem conferre nobilitati Spuriorum quidam negant, Rebuff. *De Nomin. quæst.* 12. *num.* 49. errare mihi videntur: per eam quippe restitui natalibus dicuntur, iis utique quibus censerentur si in matrimonio suscepti essent. Regina quoque plebeio si nupserit, nobilitate ille potitur, quamvis aliàs non maritus uxoris, sed uxor mariti conditione censeatur. Vide nostra *C de Nupt.* Nobilis feudi emptione Rusticum non nobilitari, verius est: neque enim principale accessionis & sequelæ naturam sequitur; sed accessio principalis conditione censetur. Obsolescat necesse est, Nobilitatis honos si in commercio est, & arbitrio pecuniæ subjicitur. Ita demum igitur feudum Nobile nobilitat, si regale sit, vel qui dedit jus Nobilitandi habet. Rosenthal. *de Feud. c.* 2. *quæst.* 2. *num.* 9. Illis qui Nobilem quoque dicunt, secundum quem de Nobilitate in judicio, sine collusione, pronuntiatum est, quamvis reverà plebeius sit, *Arg. l.* 25. *ff. de Stat. hom.* Gutirez *lib.* 3. & 4. *quæst.* 14. ita demum assentior, si mores cultusque vitæ congruant cum nobilitate: aliàs enim sententiæ error intra omnes jus non faciet. Famâ probari Nobilitatem rectè aiunt: nam quibusdam videtur ipsa quoque Nobilitatis substantia esse in claritudine famæ ob eximias dotes artesque, ob facinora meritaque in Rempub. Nobiles certè ejusmodi ex proprietate & usu vocis rectè appellantur. Et multi minuti Nobiles non aliâ prærogativâ censentur, quàm illa celebritate nominis & dignatione famæ de familia magnificæ. Adoptatus ab aliquo, neque ex ejus claritudine Nobilitatem accipit, quam non habet; neque ex obscuritate ejus amittit quam habet. *l. ult. ff. De adopt.*

CAPUT XVII.

De Natis & Factis Nobilibus; de iis qui majorum, & iis qui suâ Virtute clarent; utri digniores?

Distinguunt adhuc Nobiles in natos & factos. Nam quia Stirpes antiquæ subinde deficiunt, necesse est Principi novas substerere, ut ordo hic conservetur. Sic Julius, sic Augustus & denique Claudius Imperatores ex Senatu aut etiam plebe honestissimum quemque in Ordinem patritiorum allegerunt, quem civilia bella (per quæ ceciderat generosissimus quisque) exhauserant. Itaque utilissimè Principes, qui ob spectatam virtutem (nihil enim perniciosius, quàm si ob opum vim, aut adulationis gratiam, aut promiscuè, aliasvè temerè) assurgentibus familiis Nobilitatem largiuntur: hæc enim sæpe salubri æmulatione ex veterno excitant eos, qui fiduciâ parti olim à majoribus decoris luxu & ignaviâ, sæpe torpescunt, adeò ut gloria omnis familiæ exspiret. Hi exorientibus his recens sideribus invidere solent, sed invidiam imagine contemptus velant: iniquissimâ sanè superbiâ. Est fuitque & erit semper hæc fortunæ vicissitudo atque varietas, ut familiæ nunc hæ nunc illæ caput efferant: neque indignandum aut mirandum, cùm iisdem fatorum vicibus urbes, Respub. & regna jactentur, ut Sueton. ait:

Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur.

Quis in hac volubilitate fortunæ omnia sursum deorsum versantis, suæ familiæ æternitatem gloriæ, ejusdemque semper tenoris dignationem asserat? Pulchrè in hanc sententiam Seneca *Epist.* 71. *Certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, extingui.* Et addit mox: *Omnes quæ usquam rerum potiuntur urbes, quæque alienorum imperiorum magna sunt decora, ubi fuerint, aliquando quæretur.* Non in homine tantum tenera infantiæ principia, flos pueritiæ excipit, qui paullatim surgit per adolescentiæ incrementa ad juventutis robur, & virilis ævi statum ac maturitatem, quæ paulatim exinde carpitur, & definit effœti deinde corporis senium, declinans ad occasum: sed similibus quamvis non paribus spatiis at-

que vicibus magna illa imperiorum & urbium corpora (multòque magis particulæ earum, familiæ) oriuntur, florent; vigent, consistunt, mox ad interitum devergunt. Itaque antiquâ Nobilitate inclyti, memores sortis humanæ, nec indignari nec dedignari debent exorientis industriæ, & familiæ Nobilitatem. Quibusdam placet, insignitum recens à Principe Nobilitate, non tam Nobilem esse, quàm Nobilitatis principium; quemadmodum unitas non numerus sed initium numeri: idque sanè conveniens est illi definitioni, quæ Nobilitatem virtutem generis affirmat. Neque enim ex uno præclaro viro de toto genere; nec ex uno germine de tota stirpe idonea conjectura est: nam (ut proverbium ait) una hirundo non facit ver. Et hoc quidem iis congruit quæ apud Stobæum *ferm.* 88. Aristocles differit: sed huic sententiæ illud quoque consequens est, ut in degenere sobole Nobilitas exstinguatur. Nam (ut idem ait) si quis ipse quidem generosus, non pollet autem facultate progignendi sobolem, quæ ad indolem ejus respondeat, principii vi & ratione posteros non afficit: unde illi falsò hoc generis auctore gloriantur. Itaque sequitur quid de hac quæstione sentiendum, utrùm Nobilis degener, dignior sit homine novo, sed virtutis fideique priscæ? Hic enim generis sui initium, ille Nobilitatis suæ exitium est; alter Majoribus suis dedecori est, alter posteris ornamento: alter ne quidem hereditate partam gloriam tueri potest; alter non relictam sibi ultrò parat, & industriâ vindicat. His convenienter Socrates improbo cuidam ignobilitatem objicienti: Mihi quidem, inquit, genus dedecori est; tu verò generi. Stobæus *ferm.* 90. Pulchrè Socrates, & gloriabundi immerito genere superbiam sic perstringit, ut solitam sibi modestiam retineret. Animosius Iphicrates in exprobrantem ignobile genus: Ego, inquit, genus meum inchoabo. Stobæus *ferm.* 86. Sive ut acriùs Plutarchus recenset *in Apoph. cap.* 64. Meum à me incipit genus, tuum in te desinit. Nec dubitandum, quin ut ignavi in honorem Majorum (ut dixi) subinde promovendi ad Magistratûs & Reipublicæ administrationem: ita singulari virtute eminentes iis præferendi sint, utcunque genus obscurius sit. Sic enim Antigonus, patris demortui cum laude in militia præfecturam ambienti: O adolescens, inquit, à me non paternæ sed propriæ virtutis præmia persolvuntur. Stobæus *ferm.* 87. Interrogabat Antigonus Bionem de patria & genere; exstimulantibus quibusdam qui ignobilitatem criminabantur: ille verò, O Rex, inquit, si sagittariis indigeas, non nimis curiosus de genere, scopum proponis, & qui eum feriunt æstimas: eodem modo in amicis aut administris aliis eligendis, non unde, sed quales sint expende. Stobæus *ferm.* 81. Quantum inter lucem interest & splendorem; tantum inter Virtutem & Nobilitatem. Ut loca sordida repercussu solis, ita ignavi Majorum gloriâ illustrantur. Quod si quæratur inter Nobilem Majoribus suis patem, & alium suâ solùm virtute sed non minùs clarum: illius felicitatem, hujus industriam magis æstimabo; illum honoratiorem, hunc admirabiliorem affirmabo: utcunque in Republica ille anteire debet.

CAPUT XVIII.

Monita Nobilitati ornandæ & conservandæ: de desidia, luxu, superbia, ferocia vitandis.

Quos à suis alumnis mores Nobilitas exigat, non obscurum ex iis quæ differui esse potest: distinctiùs tamen quatuor noto Claritudini familiæ insidiantia vitia, quæ navibus atque quadrigis vitanda sunt. Desidia nempe, Luxus, Superbia, Ferocia. Quibusdam sanè dedecere Nobilitatem suam videtur industriâ niti, pacis bellive artes colere, in opere esse: tanquam id eorum sit quibus fundamenta

tà adhuc Nobilitatis jacienda: sibi aſtam rem eſſe Majorum virtute & Numinis benignitate, partis ſe decoribus incumbere, acquieſcere, frui. Sed profectò ſic fruuntur, ut abſumant. Nam quemadmodum antè quoque evicimus;

..... Perit omnis in illo
Gentis honos cujus laus eſt in origine ſola.

De his talibus Epicharmus: *Tantùm non ſuffocor*, inquit, *cum Nobilitatem homo nullius frugi nominat: Quid enim commercii ſpeculo cum cæco?* Stob. *ſerm.* 90. Quibus autem eo modo Deſidia blanditur, in Luxum omnem diſſolvuntur: quia vacuus bonarum artium, & ex iis voluptatis aut gloriæ animus, cupiditatibus & vitiis, haud aliter quam loca proclivia influenti aquæ, patet; avidiſſimus in corporis gaudia. Sed & magnificentiâ domus, cultus, victûs ſuſtinere aut fulcire labentem generis claritudinem, inopiâ veræ gloriæ; feſtinant; verùm ſic magis præcipitant: ſtudio enim ſplendoris affligunt opes, quæ ſola ſæpe claræ majorum amplitudinis monumenta habent. Profectò quemadmodum vanæ ſinè viribus iræ dicuntur: ita fluxa & inanis Politica Nobilitas eſt ſine opum fulcris: Quas connexa (ut dicebam) inertiæ luxuries profligat; junctæ verò Nobilitati Pacis aut Belli artes amplificant. Pacis artes appello veluti Eloquentiam, Juriſprudentiam, Politicam; quæ non minus quàm Militia decent Nobilem; imò Militia ſunt, ſed togata. Ad Piſonem enim illum, quem Tacitus ſcribit 15. *Annal.* multas inſigneſque familias paternâ Nobilitate complexum, facundiam tuendis civibus exercuiſſe; de hac re ſic ſcribit Lucanus, aut quiſquis ille Poëta:

..... Quamvis bella quieſcant,
Non periit Virtus: licet exercere togata
Munia militiæ, licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimè ſub Judice bella movere.
Hinc quoque ſervati contingit gloria Civis,
Altaque victrices exornant limina lauri.

Sed hodiè multi ex Nobilitate munus hoc ſplendore ſuo indignum putant: Vide noſtra *C. De advoc.* ſtultiſſimo ſanè errore: quem partim Deſidia, partim Superbia fovent; quam tertiam Nobilitatis maculam poſui; per quam homines novos quidem, ſed virtutibus aut aliis dotibus inclytos contemnunt: quaſi inter omnia Dei, Naturæ, Fortunę, Induſtrię munera nihil ſit quod eum dignitatę natalium conferri poſſit. Cum Poëta dicam:

O curvæ in terras animæ & cæleſtium inanes!

Summum igitur bonum Nobilitas eſt? Senecam audiant: *Epiſt.* 44. *Omnibus nobis totidem ante nos ſunt: Nullius non origo ultra memoriam jacet.* Plato ait: *Neminem regum non ex ſervis eſſe oriundum; neminem non ex Regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſavit. Quis ergò Generoſus? Ad virtutem benè à natura compoſitus. Hoc unum eſt intuendum. Alioqui ſi ad vetera revocas; nemo non inde eſt ante quod nihil eſt. A primo mundi ortu uſque in hoc tempus perduxit nos ex ſplendidis ſordidiſque alternata ſeries. Non facit Nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit noſtrum eſt.* Quæ igitur tanta ſuperbiæ materia in claritudine Majorum? Nobilis nominis & notitiæ (ut etymon indicat) celebritate cenſetur: ſed parum eſt notum latè eſſe, ſi cum odio, execratione, aut irriſu notus quis eſt: ſic enim apud auctores legimus quoque *Nobile ſcortum, nobilem ſcurram vel latronem, & clade Romanâ nobiles cannas.* Odium verò & execratio apud pleroſque, irriſus verò apud prudentes excitatur è ſuperbiâ. Quemadmodum comitas, candor, & humanitas omnium affectus emerentur, & ſæpe alia vitia velant. Sed quid de hominum judicio dicam? Ipſa indignantis Numinis vis fulminis inſtar, potiſſimum percellit dura cervice elatos. Idque & ſacræ literæ & profanæ docent, & illa Platonis & Poëtarum Nemeſis. Igitur

Dominare tumidus, spiritus altos gere:
Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Sen. *in Herc. fur.* nempe *ante ruinam exaltatur spiritus*, inquit Salomon Pervenit familia ad summam dignationis gradum? Secundum illas quas supra dicebam rerum & fortunæ vices: timendi magis quam superbiendi occasio est. Nam fati maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ad summum perducta rursus ad infimum, velocius quidem quàm adscenderat relabantur. Seneca *in Præf. 1. controv.* Inde est quod nulli fortunæ minus benè creditur quàm optimæ, ut Seneca ait *lib. de Brevit. vit.* quomodo medici temperatissimam & ad summum perductam corporis constitutionem prænuntiam morbi putant. Pone igitur superbiam, & abeà contemptum invidiamque: sciasque, & finas, à pluribus solem orientem, quàm occidentem adorari. Sed quemadmodum connexa ferè vitia sunt, non tantum livor & contemptus parium aut meliorum, humiliorum autem oppressio, ex superbia nascuntur; sed & ferocia; per quam plerique ex Nobilibus, quamvis injuriam aliis facere prompti, ab aliis ejus nec umbram sustinere possunt: hoc enim (Senecæ sensu 2. *De Ira cap. 31.*) *efficit amor sui nimius: inviolatos se etiam inimicis judicant esse debere: Regis intra se animum habent, ut licentiam sibi dari velint, in alios nolint.* Imò alio modo superbia ferociam gignit: sæpe enim non tam irâ, quam ambitione ad duellum consternantur. Et sunt etiam inter doctos (ò dedecus!) qui circa rabiem duellorum plus nobili, quam alteri honoris causâ licère putant: tanquam illi vile sit pati, generosum ulcisci. Quasi verò mansuetudo magna in aliis virtus, in nobili verò ignavia sit. Verum de hac insaniâ scribere me alibi memini. Vide nostra *Cod. Ad leg. Corn. De Sicar.* Sed ut magis vitiorum nexus appareat; ferocia hæc non à superbia tantum, sed & ab inertia est: qui enim ingenii cultum neglexerunt, laudem omnem ex corpore, robore, & certaminum barbarie petunt: quomodo callidissimo elogio Tacitus Agrippam describit, *Rudem bonarum artium & viribus corporis stolidè ferocem.* Etenim Musæ sunt quæ animum humanum mitigant, ut Ovidius ut Plutarchus restantur; qui Marcii Coriolani, & C. Marii ferociam, quâ sese præcipitarunt, imputat imperitiæ liberalium artium. Denique alia adhuc vitiorum conspiratione, etiam luxuria hanc ferociam gignit aut nutrit. *Ad rabiem*, inquit Seneca *Ep. 47. cogunt venire delitiæ, ut quicquid non ex voluntate respondit, iram provocet.* Eandem sententiam & alibi repetit 2. *De Ira c. 25. Ubi animum simul & corpus voluptates corrupêre, nihil tolerabile videtur, non quia dura, sed quia molles patimur.* Hæc igitur sunt potissimum vitia quæ Nobilitatem omnem destruunt, nisi contrariis virtutibus expellantur; Desidia cultu honestissimarum artium; Luxuries frugalitate & veræ studio gloriæ; Superbia comitate, modestiâ, candore; denique Ferocia mansuetudine & verâ animi sublimitate. *Omnis* enim, ut ait Seneca, *ex infirmitate feritas est.* Nec sufficit uni mederi: sed si vel unum reliqueris id vel progignit reliqua vel resuscitat. Desidia majorum lucem obscurat, Luxuria & exstinguit; illa gloriam, hæc & opes avitas dissipat. Superbia gratiam penes cives laudemque, quâ Nobilitas censetur enecat; ferocia ipsam vitam salutemque, temerario ultionis impetu, aut præposterâ ambitione famæ in discrimen per simultates, duella, factiones rapit.

CAPUT XIX.

De Privilegiis Nobilium.

Nobilium prærogativæ pro populorum moribus variant; communiter tamen ferè hæ sunt. Seminarium sunt Magistratuum, præfectorumque potissimum militiæ: nam de aditu ad aulam supra diximus. In coërcitione quoque

quoque maleficiorum mitiùs eum ipsis agitur; nisi crimen sit Nobilitati directò repugnans, ut proditionis, Falsi, (vide Gail *lib.* 2. *obs.* 110.) ignaviæ in bello: fides enim in Principem, Patriam, & singulos, itemque fortitudo vel præcipuæ nobilitatis dotes censentur. Itaque & in crimine læsæ Majestatis humanæ aut divinæ, veluti Magiæ, torturæ subjici possunt, quamvis ab ea aliàs immunes sint. Plerique in locis etiam vectigalium immunitas Nobilitati competit: nec injustè à contributione pecuniæ in publicum eximii sunt, qui in tuitione Reipub. armis, consiliis, administratione præcipui. Sed & in quibusdam privati juris articulis prærogativa Nobilibus servatur: sic testimonii dicendi causâ in Judicium non compelluntur, sed mittet Judex ad eos Actuarium qui testimonium domi accipiat; adeòque in Boëmia, Austria, Bavaria testimonium scripto Judici transmittunt, nec juramentum præstant, sed per fidem suam declarant. Gail 1. *Obs.* 101. In Judiciis verò si causas perorant, stare debent, Judicibus quamvis plebeis sedentibus. In privato congressu prærogativa in eundo & sedendo illis debetur. Sed & si Nobili alimenta vel ex lege vel ex legato debeantur, ad ampliorem modum taxantur, quàm si de plebeio ageretur. Et quamvis pater plebeius non tenetur alere filium si quo artificio seipsum tueri potest; diversum tamen in Nobili est. Bonus De Curtili *De Nob. part.* 5. *num.* 66. Sed & propter æs alienum non facilè in carcerem conjiciendus est Nobilis. *ibid. num.* 12. Jam & in cultu corporis, in Insignibus, subinde & circa forum (nempe coram quo Judice causæ illorum disceptandæ) aliquid præcipui habent.

CAPUT XX.

Quibus modis Nobilitas amittatur?

HÆ similesque prærogativæ adimuntur iis qui Nobilitatem amiserunt. Quod contingit per flagitiosæ vitæ probra: & ex quibuscunque causis Leges infamiam irrogant, amitti Nobilitatem puto. Cùm enim infamia definiatur læsæ existimationis atque dignitatis status legibus & moribus improbatus (vide nostra *C. Quib. ex caus. infam.*) consequens est ut Nobilitatem perimat atque evertat, quippe quæ est famæ & dignationis status eximiè in jure gratiosus. Exercitio quoque illiberalium artificiorum amitti Nobilitatem consentiunt Auctores; quod intelligendum si quis ad quæstum exerceat; aliud enim est, si animi causâ, (quemadmodum interim & Reges delectatos tali exercitio aliquo legimus) aut etiam usui suo. De mercatura controvertunt: sed cùm ejus genera tria sint; unum vendentium fructus prædiorum, alterum ementium quæ minutatim distrahant, tertium in peregrinam regionem per suos institores mittentium, & inde recipientium merces vendendas minutis negotiatoribus: de prima & secunda specie constat alteram non derogare, alteram utique derogare nobilitati: de tertia constituendum ex moribus regionis est; de quibus si non liqueat, dicendum eam quoque Nobilitati officere. *l.* 3. *C. De Mercat. & com.* ubi dixi. Quid igitur? Parentis Nobilitatem amittentis culpa an liberis prejudicabit innoxiis? Refert utrum parens primus Nobilitatem promeruit; an verò à majoribus eam hauserat: priore enim casu, flagitio aut desidiâ eam suâ si exstinxerit, non magis in posteros derivare eam potest, quam si industriâ & virtute eam non peperisset; altero casu partum jam liberis virtute majorum & jure familię decus eripere pater nequit: idemque erit si Princeps patri Nobilitatem conferendo, disertè & posteris prospexit. *l. Eum qui. ff. De Interdic. & Releg.* Tiraquel. *De Nobil. c.* 35. *num.* 5. Denique paupertate non amitti Nobilitatem affirmant; quia nec opulentiâ acquiratur. Et hoc quidem verum in iis qui administratione Reipublicæ dignationem nihilominus retinent,

tinent, paupertatemque argumentum Justitiæ habent: quomodo Aristides Justus cognomento pauper erat; quomodo

Pauper erat Curius Reges cum vinceret armis,
Pauper Fabricius Pyrri cum sperneret aurum.

In reliquis honestior sententia est quam verior: non video enim quomodo in eo non obsolescat Nobilitas, quem paupertas suis angustiis, testudinis instar, contrahit, premit, occultat, utique si longo tempore, non clade aliquâ aut temporum inclinatione, sed tanquam congenita jam familiam involutam tenet: nisi tamen vel majorum gloria meritaque, vel ipsius virtus tanta, ut luce suâ has nubes ultro perrumpat; atque ita aliquid non tantum sit, sed & exstet, quo separetur à plebe. Nam indistinctè dicere, artificio vel mercatura amitti Nobilitatem, non amitti ea pauperie quæ istis jam remediis indiget, contraria publicæ utilitati sententia videtur; tanquam quæ ducat vel ad fraudum injustitiam, vel desidiæ torporem.

CAPUT XXI.

De Nobilitate Litteraria.

Constituunt & aliam Nobilitatis speciem temporariæ, quæ ex studiis scientiarum Academiæque titulis proficiscitur: quam idcirco temporariam appellant quia ad posteros non propagatur. Tribuunt quoque hanc prærogativam scientiis publico usu salutaribus, ut Jurisprudentiæ, Eloquentiæ, Politicæ; non etiam iis quæ ad contemplationis venustatem aut subtilitatem referuntur. Ego non video cur non & hęc Nobilitatis species posteros suâ luce perfundat: cùm etiam amici & familiares, & quicquid adhęsit vitis doctrinâ inclytis, famâ illorum illustretur: ut Seneca eleganter disserit, & Lucilio amico suo immortalitatem nominis ex epistolis ad ipsum spondet: & mehercules pręstat. Sic Atticus ex Ciceronis Epistolis nobilior est, quam ex affinitate Tyberii Cęsaris. Nec minore fiduciâ aut fide Virgilius cecinit:

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

Epicurus quoque majorem claritudinem pollicebatur Idomenęo ex suis ad illum de Philosophia litteris, quàm ex aulę (in qua vigebat) splendore atque potentiâ. Quid? quod Historicos videmus famâ superesse eas urbes atque imperia quę celebraverunt? Hæ perierunt & quæruntur, monumenta autem eorum vivunt, in animis & admiratione hominum versantur. Itaque non dubitem, hanc quoque Nobilitatis speciem in posteros transire: neque eam ad civilia solum studia adstringo. Sed quicunque ingenio & stilo tantum valuerunt, ut sui seculi livorem, & insequuti caliginem superarent, atque in animis & laudibus posterorum viverent, quidni hos Nobilissimos dixero? Non equidem hominibus inter scholarum argutias sapientiam simulantibus, & inutili subtilitate consumentibus ingenii vigorem hanc prærogativam tribuo; neque etiam vulgaribus, & de quibus proverbio dicitur, fuit unus è multis: Nam his Genius ille perennis famæ nunquam adspirabit: loquor enim de raris & eminentissimis scientiarum Mystis.

CAPUT XXII.

De reliquo Civium Ordine.

Extra hos igitur reliqui subditi ferè plebei sunt: nisi quod Milites adhuc ob Reip. tutelam & fortitudinis professionem eminent: multis privilegiis Romano Jure donati, quę hodieque obtinere debent; utcunque ab illo splendore Militia desciverit, magisque mercenaria evasit. Sequuntur Agricolę, utilissimi haud dubiè, iidemque ferè innocentissimi: quippe quorum quæstus & divitię à liberalitate naturæ sunt, digno nempe labore propitiatæ. Hi igitur Reipub. moderatoribus commendati esse debent, ut ab injuriis eos protegant. Sunt deinde Mercato-

Mercatores, ut splendidiores Agricolis ita non meliores, quippe avaritię & fraudibus viciniores. Utilitate tamen in Remp. cum illis certant; & præterea sępe notitiâ portuum, sinuum, aditus, virium, inclinationis peregrini regni, sui Principis res promovere possunt. Sed nec Artificum ordine carere Respublica potest: quorum eruditis & elegantibus manibus partem quoque barbarei profligat. Eminere inter hos volunt, qui minus ab ingenii subtilitate recedunt, ut Architectos, Pictores, Statuarios. Ego de Architectis assentior, quorum non privatim tantum, sed pace & bello in molitione cujuscunque magni operis, eximius est usus: pictoribus verò & Statuariis & aurifabris multos ob necessarium magis usum antepono; veluti chyrurgos, medicamentarios similesque. Planè qui tantum luxurię administrant, & voluptatibus nostris (ut Seneca loquitur) ingenia accommodant sua, postremi ordinis habendi sunt. Inter hos & artifices scenæ; qui non in totum (ut quidam nimis rigidi Censores statuunt) arcendi à Republica sunt; conducunt enim ad externam quandam in moribus & sermone elegantiam; sed cum temperamento admittendi, ne desidiæ dulcedinem populo quotidie in theatris desidenti ingenerent; & cum cautione, ne aut felicia scelera, aut voluptuaria flagitia repręsentando impudentiam & audaciam nutriant. Rude enim vulgus sæpe ignoratione vitiorum, quàm disciplina virtutum emendatius est. Id quoque satagendum, ne ingeniosæ malitiæ aut insanientis sapientiæ disertis sententiis noceant: ad quas (ut cum Cicerone 4 *De Repub* apud Augus. 2. *De Civit.* 14 dicam) *cum accessit clamor & approbatio populi, quasi magni cujusdam & sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras? quos invehunt metus? quas inflammant cupiditates?*

CAPUT XXIII.

Uter honore potior sit, vir militia clarus, an civili regimine insignis?

Quidam præferendos putant præfectos militiæ: quia illorum artes ideò pulchriores censendæ sunt, quod difficiliores sint pacis artibus. Illi enim regunt res turbatas: quod difficilius & speciosius est, exemplo Gubernatoris navem in tempestate regentis. Nam ut in Proverbio est, *Tranquillo mari quilibet Gubernator est.* Plinius *in Paneg.* Præterea illi cum spiritum suum pro Republ. periculo exponunt, meritò in ea excellere debent. *§. 1. Inst. de Excusat.* Adhæc pacis artes latent sub tutela militaris virtutis; absque ea perituræ, Cicero *pro Muræ.* Illæ tantum ad ornatum vitæ pertinent, ista verò ad incolumitatem. Juxta illud Horatii ad Augustum;

Res Italas Armis tutaris moribus ornas,
Legibus emendas ...

Utque præstantior est medicina quæ ægritudinem pellit, quam agricultura quę conservando corpori alimenta suggerit: ita nobilior bellica virtus, quæ rebus turbatis medetur, quam Jurisprudentia quæ paci alimenta suggerit. Accedit, quod bellica virtus in se quoque complectatur artes civiles; nempe Jurisdictionem, regimen, & disciplinam, itemque consilia. Nam ut Horatius ait: *Vis consilii expers mole ruit sua.* Et experimentis compertum est in bello plus valere ingenium, quàm vires, Salustius *in Proœm. Cat.* Ita ut bellica virtus omnibus & animi & corporis dotibus constet. Cicero *pro Leg. Manil.* Denique ex militia originem traxerunt omnes nobilitaris tituli, veluti Comes, Marchio, Baro: adeoque quarundam gentium institutis omnes milites etiam gregarii censentur nobiles. Tiraquell. *de Nobilit.* Alii verò putant præferendos esse togatos: quorum artibus pax regitur & conservatur; quæ utique honorabilior bello est. Unde

de non movet exemplum Gubernatoris: is enim quia ortum & causas tempestatis impedire non potest, ideò virtus ejus maximè cernitur in luctando cum tempestatibus. At regimine & consiliis togatorum semina belli sæpe eliduntur; sæpe ipsa bella exstinguntur: illorum enim opera adhibetur componendis fœderibus. Etenim pleraque bella ex injuriis vel seditionibus oriuntur, quæ causam plerumque trahunt ex malo regimine. Neque verum est difficiliores esse belli artes. Nam ut Livius ait: præstantibus ingeniis citius ars defuerit qua civem regant, quàm quâ hostem vincant. Et difficilius est Provincias obtinere, qua facere. Viribus parantur, jure retinentur. Flor. *lib.* 4. *c. ult.* Neque movet secundum argumentum. Nam togati rarius quidem morte suâ Remp. juvant, tamen plerumque etiam post mortem prosunt; perenni utilitate legum & ordinis ipsorum consiliis instituti. Cicero 2. *de Off.* Sic hodie nihil nobis prosunt Justiniani arma, sed prosunt etiamnum leges. Non obstat quoque tertium argumentum: Nam res militaris non minora præsidia à pacis artibus mutuatur, quàm iis rependit. Non obstat quartum: quia multo majoris æstimanda est civilis & ordinata vita, quæ à Jurisprudentia manat, quàm qualiscunque vita, quæ virtute militari conservatur. Non obstat ultimum: nam bellica virtus aliquid à Pacis artibus mutuatur, non verò suo jure & complexu eas tenet universas. Inspiciendumque id est ad quod principaliter quæque res destinatur, non ad quod secundarib. *l. Quamvis. ff. de Auro.* Belli artes, principaliter ad vim, Jurisprudentia ad virtutem dirigitur. Videnda sunt quæ præterea scripsi *lib.* 2. *dissert.* 19. Placet tamen opinio quorundam, præferendum esse militiâ clarum, si in consilio agatur de negotiis belli, si verò agatur de civilibus rebus prærogativam deberi togato. Atque eo modo hæc Controversia rectè sopietur. Nam Justinian. quoque societatem & quasi paritatem inter pacis & belli artes satis insinuat, dum quod proprium armorum id assignat legibus; & quod proprium videtur legum id attribuit armis. Etenim leges quoque armant & muniunt Remp. contra facinora & fraudes: & arma quoque in ornamentum pacis Princeps habet, nempe custodes corporis, qui olim Prætoriani dicti Seneca 1. *de Clemen.* Illud tamen negari non potest si simpliciter æstimentur, præferendum Politicum militari.

FINIS LIBRI TERTII.

DIO-

DIODORI TULDENI DE CIVILI REGIMINE

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Dicendorum series. Generalia ad publicam salutem monita.

POst Constitutionem Reipub explicandum est de ejus Administratione, quæ partim in Conservatione, partim in Amplificatione, partim denique in Curatione versatur. Conservatio incolumitatis, partim contra internam corruptelam, partim contra externam vim excubat; & generatim in subditorum, & Status, atque ita imperantium, salute consistit. Cujus summa est, ut Cives & inter se & cum Rectoribus suis concordiæ vinculis ac spiritu in unum corpus coagmententur. Atque olim in Græciç urbibus usu obtinebat, ut Cives juramentum concordię præstarent. Xenoph. *lib* 4. *Memorab.* Hanc conspirationem partim Justitia, partim publici boni studium gignit & conservat. Nam ubi quisque suarum modò rerum est, solvitur vinculum omne communitatis, divelliturque Reip. corpus: Plato 7. *De Rep.* idemque ab injuriis evenit, & facinoribus multis. In hanc sententiam præclarè Cicero 2. *De Rep.* Ut in fidibus ac tibiis atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt; isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis & infimis & mediis interjectis ordinibus ut sonis, moderatione civitas consensu dissimillimorum concinit: & quæ Harmonia à Musicis dicitur in cantu, ea est in Civitate Concordia; arctissimum atque optimum in omni Rep. vinculum incolumitatis: quæ sine Justitia nullo pacto esse potest. apud August. 2. *De Civit.* 21. Beatissimam Civitatem Plato 5. *De Rep.* judicat, quæ instar humani corporis ita est coagmentata ut singularum partium dolor aut voluptas redundet ad universum. Conservatio Reip. vel animos spectat, vel externa: Illi partim Institutionis Suadâ, partim imperii vi & coactione formantur.

CAPUT II.

De Educandis liberis salubria præcepta.

AD Institutionem vel inprimis Educatio pertinet: quę nisi ab initio animi fundum subegerit expurgaveritque, non magis reliquæ doctrinæ concipiendæ fovendęque aptus est; quàm sementi terra rubis sentibusque implicata. Absque illâ nec leges & instituta proficiunt; quippe quæ fideliter in mores non transeunt, nisi statim à teneris mens adsueverit Numen quà beneficum bonis amare, quà infensum malis timere, itemque ordini regulęque cuidam conformare vitam actionesque; delectari honestis, tristari turpibus: quę rectæ educationis summa est: ut, inquam, virtutem ament, vitia oderint, imò ignorent nullis illorum exemplis aut visu aut auditu usurpatis, illecebris-

que eorum procul submotis. Hic præclarissimus librorum thesaurus, & solidissima Reipublicæ fundamenta. Hæc priscorum Legumlatorum, hæc Platonis & Aristotelis sententia est. Plato per omnes ferè legum libros hoc prosequitur, hoc urget, ut rectis opinionibus affectibusque recentes & sequaces puerorum animi imbuantur: adeò ut nec nutricibus permittat infantibus quaslibet fabulas occinere. 2. *De Repub.* Nam quàm difficile est, primam illam vacuæ mentis tincturam delere: tam facile videtur optimam indere, & dare; ut Persius ait:

Generoso incoctum pectus honesto.

Etenim rudis judicandi mens neque dissentientis contentione, neque ancipiti cogitatione ambigentis refragatur ducenti ad optima; neque etiam malesuadis voluptatum illecebris perinde deflectitur innoxia & necdum iis obnoxia ætas. Igitur Plato ne minima quidem neglexit in septimo potissimùm de Legibus quæ ad educationem pertineant natorum, imò nascentium. Nam & matrem per omne tempus alendi, imò & sub tempus concipiendi fœtus, corpore quidem impigro & exercito, animo autem tranquillo neque affectibus divulso esse jussit: & natum jam infantem motu atque agitatione exerceri, perinde ac si navim magis quàm domum incolat; idque tum ut alimentum vi internâ excitati caloris superatum & per omnes artus distributum, obstructionibus excrementisque pulsis, pulchritudinem & vires donet; tum ut externa agitatio resistat internis motibus à formidine, quam rudi & peregrinanti adhuc animo excitat novitas rerum, appulsusque imaginum & vocum terribilium, quia inexpertarum. Ne igitur his perturbationibus ab initio jactata & divulsa mens, deinceps in timores præceps fit, motum vehementer commendat: præsertim cùm is non minus ad conservandum quàm ad gignendum conducat; & moderata motio resistat illi immoderato motui, partim ab aëre incumbente tenero corpusculo, partim ab ipsâ natura maximè tunc in incrementis laborante. Oportet autem indolem parvuli inspicere, tristior ne sit atque timidior, an verò vividior atque exultantior: illa enim majore libertate ducenda, imò instiganda ad alacritatem est. Senecæ 2. *De Ira cap.* 21. salubria præcepta sunt, quæ excutiemus: *Quia aliis*, inquit, *contra iram, aliis contra tristitiam remediis utendum est; nec dissimilibus tantùm ista, sed contrariis curanda sunt: semper ei occurremus, quod increverit.* Omnis nimirum in mediocritate virtus est: & Plutar. quoque *De educat. cap.* 14. ad mediam animi affectionem, neque ferocem, neque inaudacem dejectamque contendendum ait: illam enim impudentiæ, istam servilis vilitatis esse. Idcòque prout aut tristitiâ metuque torpentes affectus, aut contrarii nimiâ alacritate gestientes prædominantur (id quod & per vices unà cum temperamento corporis interim variat) reducendi sunt ad temperamentum & quasi concentum. Difficile autem hoc Seneca adfirmat; *Quia & quod extollendum, & quod deprimendum est similibus alitur.* Extolli indoles debet, retundi iracundia. Ab indole est fiducia sui, cupiditas eminendi, spes exsuperandi ardua & obstantia, & universè conatus omnis generosus. Ab iracundia est studium contendendi, vindicandi & vincendi, impetusque audaciæ & pervicaciæ. Quæ certè incitamenta atque nutrimenta fortitudinis videntur. Unde difficile moderamen est, ne indoles enutrita in iracundiam exundet; vel iracundiâ planè hebetatâ ipsa indoles elanguescat. Magis etiam Seneca hoc ostendit: *Crescit licentiâ spiritus; servitute comminuitur.* Similiter Plato 7. *De leg.* Deliciæ difficiles, morosos, iracundos, & levi de causa excitabundos juvenum mores efficiunt: contrà verò nimia & agrestis servitus cùm abjectos & illeberales & humana perosos facit, ad humanam consuetudinem ineptissimos

simos reddit. Servitutem appellant nimis rigidam coërcitionem. Noxius certè teneræ ætati assiduus iste metus supplicii, qui angustos animos inundans, obruit atque hebetat: quippe ut infirmi temperare illum nequeunt, & ut rudes de incognitis malis atrociora quàm pro re imaginantur. Impediuntur inde incrementa corporis, calore qui cibos coquit, ad laborantis cerebri præsidium avocato, & sanguine, cujus liber meatus laxaret artus, constricto. In ingenium quoque hæc noxa redundat, contagione eâ quæ corpus inter animumque est: talesque postquam pueri præmaturæ sapientiæ speciem timidâ modestiâ prætulêre, ad virilis ætatis vigorem vix assurgunt. Igitur ut dissoluta indulgentia, ita dira & nimia severitas abesse à liberorum educatione debet: ratioque habenda indolis ferocioris, aut languidioris. *Assurgit*, inquit Seneca, *indoles si laudatur, & in spem sui bonam adducitur: sed eadem ista insolentiam & iracundiam generant. Sic itaque inter utrumque regendus est, ut modò frænis utamur, modò stimulis.* Eadem Plutarch *cap.* 26. jubens collaudationes increpationesque alternari: ut his nimiâ vanitate gestiens ad pudorem redigatur; illis erigantur dejecti, in iisque modus adhibeatur. Immoderatis enim laudibus vanitas comitatur, & quædam animorum luxuries. Addit Seneca: *Nihil humile, nihil servile patiatur.* Et meritò Ludimagistrorum sævitiam in verbera effusam Fabius Quintilianus damnat: atque id agendum, ut pudore potius, quàm metu in officio contineantur: eademque est Plutarchi sententia. *Nunquam*, inquit Seneca, *illi necesse sit rogare suppliciter, nec prosit rogasse: potius causæ suæ, & prioribus factis; & bonis in futurum promissis donetur.* Vult veniam in delictis pueros obtinere, non servili supplicatione, quia id indolem nimis frangat; sed qualicumque excusatione, aut rectè-factorum compensatione, aut denique pollicitatione melioris frugis; hic enim moderatus metus, & simul ad dispectum officiorum excitat. Circa primum tamen cavendum, ne concinnatis mendacio excusationibus nitantur juventurque: hæc enim elementa malitiæ, calumniæ, fraudum contentionis, simulationum. Etenim duo sunt vitia in pueris magnorum malorum semina, Mendacium, & Pertinacia. Addit Seneca: *In certaminibus æqualium nec vinci illum patiamur, nec irasci: demus operam ut familiaris sit his cum quibus contendere solet, ut in certamine adsuescat non nocere velle, sed vincere. Quoties superaverit, & dignum aliquid laude fecerit; attolli non gestire patiamur: gaudium enim exultatio, exultationem tumor, & nimia æstimatio sui sequitur.* Vult sic ad magnitudinem animi excitari puerum, ut tamen à superbia cohibeatur: efferat igitur se ob preclara indolis experimenta; sed & aliis potioribus se conferat, ne omnibus preferat, & nimium efferat. Sed quod ait, in certaminibus vinci non patiamur, id cum modo accipiendum. Rectius enim Plutar. *cap.* 30 jubens pueros inprimis ad comitatem institui, admonendos putat, quandam esse victoriam Cadmeiam; atque interim non minus pulchrum esse vinci, quam vincere scire: citans Euripidem: *Dicentibus duobus, irato altero, qui non repugnat dictis est sapientior.* Addit Seneca: *dabimus aliquod laxamentum: in desidiam verò otiumque non resolvemus.* Nam ut idem ait: *Lusus prosunt: modica enim voluptas laxat animos & temperat*, alacritatem enim excitat, ferociam mitigat. Ut corpus impletione & exinanitione, ita mens puerorum labore & remissione vigorem tuetur. Plutar. *cap* 27. Pueros ad industriæ speciem aliquam adsuescere, futuræ virtutis flos est: sed non tam urgendi ad ingratos labores, quàm blanditiis, laudibus, premiolis, emulatione æqualium alliciendi: idque efficiendum ut sic conciliatis labor ad

ludi amœnitatem mollescat; nequaquam satietate aut lassitudine in odium adducendus. Prima enim scientiarum fundamenta in pueris sunt, discendi amor, & memoriæ exercitatio. Puerorum humida temperatura, instar mollis ceræ, capax imaginum, eximiam dotem habet memoriæ. Fabius *lib.* 1. *cap. ult.* A teneris itaque animi ipsorum optimis sermonibus obseren di, mox disciplinæ linguarum admovendæ, deinde historiarum, in primisque fabularum notitiâ detinendi. Atque ita pulcherrimarum rerum thesaurus in animo recondetur. Plutar. *cap.* 29. Enimverò vehementer errant ludimagistri, qui compositione prosæ & versæ orationis assiduè ingenia puerorum non tam exercent, quam atterunt: cùm hic ordo naturæ sit, ut memoria ante impleatur, unde paulatim ingenio fœcunditas accedat. Non absurdè enim Poëtę Mnemosynen dixerunt Musarum matrem esse. Plutar. *ibid.* Non pueritię, sed adolescentię dos est ingenii vigor; quemadmodum virilis ęvi maturitas judicii. Infantes non nisi ad vicissitudinem lusuum litteris occupentur: ne coalescentis cum maximè cerebri robur delibetur, & pręcoce atque inutili labore tenelli ingenii vires affligantur: permittaturque illis effundere stultitiam innoxiarum cupiditatum, ne cum rerum natura pugnari videatur. Pueri verò paulatim ad industriam, sed (ut dixi) memorię potissimum exerceantur. His disciplina linguarum, per commercium adloquentium, tam est facilis, quàm fastidiosa ob ariditatem ętati ad prudentiam factę. Fabius *lib.* 1. *Orat. Instit. cap.* 2. & 20. Addit Seneca, *procul à contactu deliciarum retinendos pueros.* Eę enim emolliunt atque effœminant: unde omnium quę dura aut laboriosa videntur impatientes evadunt; &, quod sequitur, iracundi, queruli, morosi. Nam blandam & delicatam educationem ad intemperantiam & luxum ducere, manifestius est quàm ut admoneam: cupiditates enim quibus indulgetur nutriuntur, crescunt, & per ætatis vices in majora exęstuant. Hinc quoque bonarum contemptus artium, cùm palato sapere, quam mente jucundius putant. Omnis virtutis fundamentum esse temperantiam Socrates disserebat, apud *Xenoph. lib.* 1. quippe sine qua neque corpus, neque animus rectè se habere potest; & proinde nihil honesti vel addisci, vel exerceri. Nemo, inquit, non modo intemperanti Imperatori in bello, aut intemperanti tutori liberos credat; sed nec servo tali administrationem committat. Neque tamen ut avaritia possessori utilis, ceteris noxia est, ita & intemperantia: quinimo hæc ei quem obsidet perniciosior est quàm aliis; quippe non domum modò, sed corpus animumque destruens. Talem, inquit, servum aversetur vir prudens: qui verò cupiditatibus voluptatibusque servit, ei optandum ultro est, ut bonum dominum sortiatur. Ita enim demum salvus esse potest. Pergit Seneca: *Longè ab assentatione pueritia removenda est*: hæc enim etiam judicio jam suo fundatos animos subvertit: multoque validius rudes mentes blandi erroris caligine obruit. Sed vel magis Adolescentia ab Adulatoribus vindicanda, qui voluptatis laudatæ illecebra eam inescant, & ad sumptus impellunt: quo nihil esse adolescentiæ pestilentius Plutar. *c.* 40. ostendit. Igitur *audiat verum, timeat interim, vereatur semper, majoribus assurgat.* Non blanda igitur pueris, & quæ errata illorum exosculentur ingerenda sunt; sed quæ ex vero moneant reprehendantque: ut timore interim, semper pudore contineantur. *Exprobrentur illi*, subdit, *perperam facta. Nihil*, inquit, *per iracundiam exoret, quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur:* nam si ploratu, dolore, iracundiâ potiuntur votis, amant illa, penitusque sibi induunt, & ut feliciter expertis telis fidunt, & assiduè exercent. Hinc per omnem vitam quicquid offendit, aut non ex voto fluit excipiunt queruli, anxii,

anxii, mollitie fracti, impatientiâ abjecti. Addit: *divitias parentum in conspectu habeat, non in usu.* Frugalitatem iterum præscribit in victu cultuque; nec pro fortunæ magnificentia exuberare illa jubet: hoc enim est divitias in usu non habere. Sed quo sensu eas in conspectu iis esse jubet? Nam & hoc ipsum vanas mentes inflat, & præsumptione ac confidentiâ quadam partæ jam felicitatis à laboribus ut supervacuis absterret. Itaque in conspectu quidem res familiaris liberis erit, non utique tamen in notitia si excellit: quod si conscientiâ divitiarum elati, satis per eas honori felicitatique suæ cautum putant: Socratis oratione identidem utendum est. Ille apud *Xenop. lib.* 4. Stultum dicebat qui confideret sine doctrina sese noxia à salubribus discreturum: nec minus stolidum, qui hoc judicio privatus, & divitiarum ope quicquid collibuit indipiscens, putet se acturum quæ in rem sunt: quod si hæc agere nequeat, non minore amentia sibi spondere felicitatem. Denique non minus insanire eum, qui cum imperitus sit, existimet se hominum opinione bonum fore merito divitiarum, vel eùm bonus non sit, nihilominus honore præstiturum & famâ. *Tenuis*, subjungit Seneca, *ante omnia sit victus, & non pretiosa vestis, & similis cultus cum æqualibus. Non irascetur aliquem sibi comparari, quem ab initio multis parem feceris.* Et in eandem sententiam *cap.* 20. *Vinum*, inquit, *pueris Plato negandum putat; & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi sunt: distenduntur enim corpora, & animi cum corpore tumescunt*, in superbiam nempe: imò hebescunt. Sic enim alibi ait *epist.* 15. Copiâ ciborum subtilitas animi impeditur. Et: Majore corporis sarcinâ animus eliditur, & minus agilis est. Appositè Agellius *lib.* 4. *c.* 19. ex medicorum Philosophorumque decretis *Pueros impuberes si plurimo cibo, nimioque somno uterentur hebetiores fieri, advertimusque*, inquit, *hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcerâ fieri, minusque adolescere.* Nam proceritatem, inquit Plutarchus in *Lycur.* ea adipiscuntur, cum spiritus non diu detentus, neque à copia alimenti deorsum aut ad latera compulsus, sursum evadit libero laxoque meatu ob levitatem corporis. Addit Seneca: *Labor illos citra lassitudinem exerceat: ut minuatur, non ut consumatur calor, nimiusque ille fervor despumet.* Exercitiâ igitur corporis moderata conveniunt: nimia enim spiritus egerunt aut absumunt: Seneca *epist.* 15. quibus opus ad studiorum intentionem. Eadem Plutarchi sententia *cap* 23. citantis Platonem, qui defatigationes & somnos disciplinarum hostes affirmat, 7. *De Repub.* Pertinebit ad rem, inquit Seneca, præceptores pædagogosque pueris placidos dari. *Proximis applicatur omne quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit* Quod de placidis moribus dicit, transferendum est ad reliquas virtutes: ut magistri educatoresque non scientiâ tantùm sed vitâ laudabiles eligantur. Fons enim, inquit Plutarchus *cap.* 10. & radix virtutis atque honestatis vitæ, est institutio proba. Utque agricolæ stirpibus pedamenta apponunt (& hæc explicabunt imaginem quâ obscurè Seneca utitur:) sic probi magistri accuratis præceptis monitisque suffulciunt adolescentes, ut mores in rectum germinent & crescant. Sed; inquit Seneca *Epist.* 6. homines amplius oculis quàm auribus credunt: & longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla. Plato, inquit, & Aristoteles, & omnis in diversum itura Sapientium turba plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Vide Xenophon. *lib.* 4. *De Socrat.* Sed hoc ipsum latius porrigendum est ad quamcunque puerorum & adolescentium familiarem conversationem, ut eâ melioribus se applicent; deteriorum noxiam contagionem fugitent: Nam proverbialis sententia est: Si claudo cohabites, fore ut subclaudicare

ludi amœnitatem mollescat; nequaquam satietate aut lassitudine in odium adducendus. Prima enim scientiarum fundamenta in pueris sunt, discendi amor, & memoriæ exercitatio. Puerorum humida temperatura, instar mollis ceræ, capax imaginum, eximiam dotem habet memoriæ. Fabius *lib.* 1. *cap. ult.* A teneris itaque animi ipsorum optimis sermonibus obsereendi, mox disciplinæ linguarum admovendæ, deinde historiarum, inprimisque fabularum notitiâ detinendi. Atque ita pulcherrimarum rerum thesaurus in animo recondetur. Plutar. *cap.* 29. Enimverò vehementer errant ludimagistri, qui compositione prosæ & versæ orationis assiduè ingenia puerorum non tam exercent, quam atterunt: cùm hic ordo naturæ sit, ut memoria ante impleatur, unde paulatim ingenio fœcunditas accedat. Non absurdè enim Poëtę Mnemosynen dixerunt Musarum matrem esse. Plutar. *ibid.* Non pueritię, sed adolescentię dos est ingenii vigor; quemadmodum virilis ęvi maturitas judicii. Infantes non nisi ad vicissitudinem lusuum litteris occupentur: ne coalescentis cum maximè cerebri robur delibetur, & pręcoce atque inutili labore tenelli ingenii vires affligantur: permittaturque illis effundere stultitiam innoxiarum cupiditatum, ne cum rerum natura pugnari videatur. Pueri verò paulatim ad industriam, sed (ut dixi) memorię potissimum exerceantur. His disciplina linguarum, per commercium adloquentium, tam est facilis, quàm fastidiosa ob ariditatem ętati ad prudentiam factę. Fabius *lib.* 1. *Orat. Instit. cap.* 2. & 20. Addit Seneca, *procul à contactu deliciarum retinendos pueros.* Eę enim emolliunt atque effœminant: unde omnium quę dura aut laboriosa videntur impatientes evadunt; &, quod sequitur, iracundi, queruli, morosi. Nam blandam & delicatam educationem ad intemperantiam & luxum ducere, manifestius est quàm ut admoneam: cupiditates enim quibus indulgetur nutriuntur, crescunt, & per ætatis vices in majora exęstuant. Hinc quoque bonarum contemptus artium, cùm palato sapere, quam mente jucundius putant. Omnis virtutis fundamentum esse temperantiam Socrates differebat, apud *Xenoph. lib.* 1. quippe sine qua neque corpus, neque animus rectè se habere potest; & proinde nihil honesti vel addisci, vel exerceri. Nemo, inquit, non modo intemperanti Imperatori in bello, aut intemperanti tutori liberos credat; sed nec servo tali administrationem committat. Neque tamen ut avaritia possessori utilis, ceteris noxia est, ira & intemperantia: quinimo hæc ei quem obsider perniciosior est quàm aliis; quippe non domum modò, sed corpus animumque destruens. Talem, inquit, servum aversetur vir prudens: qui verò cupiditatibus voluptatibusque servit, ei optandum ultro est, ut bonum dominum sortiatur. Ita enim demum salvus esse potest. Pergit Seneca: *Longè ab assentatione pueritia removenda est:* hæc enim etiam judicio jam suo fundatos animos subvertit: multoque validius rudes mentes blandi erroris caligine obruit. Sed vel magis Adolescentia ab Adulatoribus vindicanda, qui voluptatis laudatæ illecebra eam inescant, & ad sumptus impellunt: quo nihil esse adolescentiæ pestilentius Plutar. *c.* 40. ostendit. Igitur *audiat verum, timeat interim, vereatur semper, majoribus assurgat.* Non blanda igitur pueris, & quæ errata illorum exosculentur ingerenda sunt; sed quæ ex vero moneant reprehendantque: ut timore interim, semper pudore contineantur. *Exprobrentur illi,* subdit, *perperam facta. Nihil,* inquit, *per iracundiam exoret, quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur:* nam si ploratu, dolore, iracundiâ potiuntur votis, amant illa, penitusque sibi induunt, & ut feliciter expertis telis fidunt, & assiduè exercent. Hinc per omnem vitam quicquid offendit, aut non ex voto fluit excipiunt queruli,

anxii,

anxii, mollitie fracti, impatientiâ abjecti. Addit: *divitias parentum in conspectu habeat, non in usu.* Frugalitatem iterum præscribit in victu cultuque; nec pro fortunæ magnificentia exuberare illa jubet: hoc enim est divitias in usu non habere. Sed quo sensu eas in conspectu iis esse jubet? Nam & hoc ipsum vanas mentes inflat, & præsumptione ac confidentiâ quadam partæ jam felicitatis à laboribus ut supervacuis absterret. Itaque in conspectu quidem res familiaris liberis erit, non utique tamen in notitia si excellit: quod si conscientiâ divitiarum elati, satis per eas honori felicitatique suæ cautum putant: Socratis oratione identidem utendum est. Ille apud *Xenop. lib.* 4. Stultum dicebat qui confideret sine doctrina sese noxia à salubribus discreturum: nec minus stolidum, qui hoc judicio privatus, & divitiarum ope quicquid collibuit indipiscens, putet se acturum quæ in rem sint: quod si hæc agere nequeat, non minore amentia sibi spondere felicitatem. Denique non minus insanire eum, qui cum imperitus sit, existimet se hominum opinione bonum fore merito divitiarum, vel cùm bonus non sit, nihilominus honore præstiturum & famâ. *Tenuis*, subjungit Seneca, *ante omnia sit victus, & non pretiosa vestis, & similis cultus cum æqualibus. Non irascetur aliquem sibi comparari, quem ab initio multis parem feceris.* Et in eandem sententiam *cap.* 20. *Vinum*, inquit, *pueris Plato negandum putat; & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi sunt: distenduntur enim corpora, & animi cum corpore tumescunt*, in superbiam nempe: imò hebescunt. Sic enim alibi ait *epist.* 15. Copiâ ciborum subtilitas animi impeditur. Et: Majore corporis sarcinâ animus eliditur, & minus agilis est. Appositè Agellius *lib.* 4. *c.* 19. ex medicorum Philosophorumque decretis *Pueros impuberes si plurimo cibo, nimioque somno uterentur hebetiores fieri, advertimusque,* inquit, *hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusque adolescere.* Nam proceritatem, inquit Plutarchus in *Lycur.* ea adipiscuntur, cum spiritus non diu detentus, neque à copia alimenti deorsum aut ad latera compulsus, sursum evadit libero laxoque meatu ob levitatem corporis. Addit Seneca: *Labor illos citra lassitudinem exerceat: ut minuatur, non ut consumatur calor; nimiusque ille fervor despumet.* Exercitia igitur corporis moderata conveniunt: nimia enim spiritus egerunt aut absumunt: Seneca *epist.* 15. quibus opus ad studiorum intentionem. Eadem Plutarchi sententia *cap* 23. citantis Platonem, qui defatigationes & somnos disciplinarum hostes affirmat, 7. *De Repub.* Pertinebit ad rem, inquit Seneca, præceptores *pædagogosque pueris placidos dari. Proximis applicatur omne quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit.* Quod de placidis moribus dicit, transferendum est ad reliquas virtutes: ut magistri educatoresque non scientiâ tantùm sed vitâ laudabiles eligantur. Fons enim, inquit Plutarchus *cap.* 10. & radix virtutis atque honestatis vitæ, est institutio proba. Utque agricolæ stirpibus pedamenta apponunt (& hæc explicabunt imaginem quâ obscurè Seneca utitur:) sic probi magistri accuratis præceptis monitisque suffulciunt adolescentes, ut mores in rectum germinent & crescant. Sed, inquit Seneca *Epist.* 6. homines amplius oculis quàm auribus credunt: & longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla. Plato, inquit, & Aristoteles, & omnis in diversum itura Sapientium turba plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Vide Xenophon. *lib.* 4. *De Socrat.* Sed hoc ipsum latius porrigendum est ad quamcunque puerorum & adolescentium familiarem conversationem, ut cù melioribus se applicent, deteriorum noxiam contagionem fugitent: Nam proverbialis sententia est: Si claudo cohabites, fore ut subclaudicare discas.

Dominare tumidus, spiritus altos gere:
Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Sen. *in Herc. fur.* nempe *ante ruinam exaltatur spiritus*, inquit Salomon. Pervenit familia ad summam dignationis gradum? Secundum illas quas supra dicebam rerum & fortunæ vices: timendi magis quam superbiendi occasio est. Nam fati maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ad summum perducta rursus ad infimum, velocius quidem quàm adscenderat relabantur. Seneca *in Praef.* 1. *controv.* Inde est quod nulli fortunæ minus benè creditur quàm optimæ, ut Seneca ait *lib. de Brevit. vit.* quomodo medici temperatissimam & ad summum perductam corporis constitutionem prænuntiam morbi putant. Pone igitur superbiam, & abeâ contemptum invidiamque: sciasque, & finas, à pluribus solem orientem, quàm occidentem adorari. Sed quemadmodum connexa ferè vitia sunt, non tantum livor & contemptus parium aut meliorum, humiliorum autem oppressio, ex superbia nascuntur; sed & ferocia; per quam plerique ex Nobilibus, quamvis injuriam aliis facere prompti, ab aliis ejus nec umbram sustinere possunt: hoc enim (Senecæ sensu 2. *De Ira cap.* 31.) *efficit amor sui nimius: inviolatos se etiam inimicis judicant esse debere: Regis intra se animum habent, ut licentiam sibi dari velint, in alios nolint.* Imò alio modo superbia ferociam gignit: sæpe enim non tam irâ, quam ambitione ad duellum consternantur. Et sunt etiam inter doctos (ò dedecus!) qui circa rabiem duellorum plus nobili, quam alteri honoris causâ licère putant: tanquam illi vile sit pati, generosum ulcisci. Quasi verò mansuetudo magna in aliis virtus, in nobili verò ignavia sit. Verum de hac infamiâ scribere me alibi memini. Vide nostra *Cod. Ad leg. Corn. De Sicar.* Sed ut magis vitiorum nexus appareat; ferocia hæc non à superbia tantum, sed & ab inertia est: qui enim ingenii cultum neglexerunt, laudem omnem ex corpore, robore, & certaminum barbarie petunt: quomodo callidissimo elogio Tacitus Agrippam describit, *Rudem bonarum artium & viribus corporis stolidè ferocem.* Etenim Musæ sunt quæ animum humanum mitigant, ut Ovidius ut Plutarchus testantur; qui Marcii Coriolani, & C. Marii ferociam, quâ sese præcipitarunt, imputat imperitiæ liberalium artium. Denique alia adhuc vitiorum conspiratione, etiam luxuria hanc ferociam gignit aut nutrit. *Ad rabiem*, inquit Seneca *Ep.* 47. *cogunt venire delitiæ, ut quicquid non ex voluntate respondit, iram provocet.* Eandem sententiam & alibi repetit 2. *De Ira c.* 25. *Ubi animum simul & corpus voluptates corrupêre, nihil tolerabile videtur, non quia dura, sed quia molles patimur.* Hæc igitur sunt potissimum vitia quæ Nobilitatem omnem destruunt, nisi contrariis virtutibus expellantur; Desidia cultu honestissimarum artium; Luxuries frugalitate & veræ studio gloriæ; Superbia comitate, modestiâ, candore; denique Ferocia mansuetudine & verâ animi sublimitate. *Omnis* enim, ut ait Seneca, *ex infirmitate feritas est.* Nec sufficit uni mederi: sed si vel unum reliqueris id vel progignit reliqua vel resuscitat. Desidia majorum lucem obscurat, Luxuria & exstinguit; illa gloriam, hæc & opes avitas dissipat. Superbia gratiam penes cives laudemque, quâ Nobilitas censetur enecat; ferocia ipsam vitam salutemque, temerario ultionis impetu, aut præposterâ ambitione famæ in discrimen per simultates, duella, factiones rapit.

CAPUT XIX.

De Privilegiis Nobilium.

Nobilium prærogativæ pro populorum moribus variant: communiter tamen ferè hæ sunt. Seminarium sunt Magistratuum, præfectorumque potissimum militiæ: nam de aditu ad aulam supra diximus. In coërcitione

quoque

quoque maleficiorum mitiùs cum ipsis agitur; nisi crimen sit Nobilitati directò repugnans, ut proditionis, Falsi, (vide Gail *lib.* 2. *obs.* 110.) ignaviæ in bello: fides enim in Principem, Patriam, & singulos, itemque fortitudo vel præcipuæ nobilitatis dotes censentur. Itaque & in crimine læsæ Majestatis humanæ aut divinæ, veluti Magiæ, torturæ subjici possunt, quamvis ab ea aliàs immunes sint. Plerisque in locis etiam vectigalium immunitas Nobilitati competit: nec injustè à contributione pecuniæ in publicum eximii sunt, qui in tuitione Reipub. armis, consiliis, administratione præcipui. Sed & in quibusdam privati juris articulis prærogativa Nobilibus servatur: sic testimonii dicendi causâ in Judicium non compelluntur, sed mittet Judex ad eos Actuarium qui testimonium domi accipiat: adeòque in Boëmia, Austria, Bavaria testimonium scripto Judici transmittunt, nec juramentum præstant, sed per fidem suam declarant. Gail 1. *Obs.* 101. In Judiciis verò si causas perorant, stare debent, Judicibus quamvis plebeis sedentibus. In privato congressu prærogativa in eundo & sedendo illis debetur. Sed & si Nobili alimenta vel ex lege vel ex legato debeantur, ad ampliorem modum taxantur, quàm si de plebeio ageretur. Et quamvis pater plebeius non tenetur alere filium si quo artificio seipsum tueri potest; diversum tamen in Nobili est. Bonus De Curtili *De Nob. part.* 5. *num.* 66. Sed & propter æs alienum non facilè in carcerem conjiciendus est Nobilis. *ibid. num.* 12. Jam & in cultu corporis, in Insignibus, subinde & circa forum (nempe coram quo Judice causæ illorum disceptandæ) aliquid præcipui habent.

CAPUT XX.

Quibus modis Nobilitas amittatur?

HÆ similesque prærogativæ adimuntur iis qui Nobilitatem amittunt. Quod contingit per flagitiosæ vitæ probra: & ex quibuscunque causis Leges infamiam irrogant, amitti Nobilitatem puto. Cùm enim infamia definiatur læsæ existimationis atque dignitatis status legibus & moribus improbatus (vide nostra *C. Quib. ex caus. infam.*) consequens est ut Nobilitatem perimat atque evertat, quippe quæ est famæ & dignationis status eximiè in jure gratiosus. Exercitio quoque illiberalium artificiorum amitti Nobilitatem consentiunt Auctores: quod intelligendum si quis ad quæstum exerceat; aliud enim est, si animi causâ, (quemadmodum interim & Reges delectatos tali exercitio aliquo legimus) aut etiam usui suo. De mercatura controvertunt: sed cùm ejus genera tria sint; unum vendentium fructus prædiorum, alterum ementium quæ minutatim distrahant, tertium in peregrinam regionem per suos institores mittentium, & inde recipientium merces vendendas minutis negotiatoribus: de prima & secunda specie constat alteram non derogare, alteram utique derogare nobilitati; de tertia constituendum ex moribus regionis est; de quibus si non liqueat, dicendum eam quoque Nobilitati officere. *l.* 3. *C. De Mercat. & com.* ubi dixi. Quid igitur? Parentis Nobilitatem amittentis culpa an liberis præjudicabit innoxiis? Refert utrum parens primus Nobilitatem promeruit; an verò à majoribus eam hauserat: priore enim casu, flagitio aut desidiâ eam suâ si exstinxerit, non magis in posteros derivare eam potest, quam si industriâ & virtute eam non peperisset; altero casu partum jam liberis virtute majorum & jure familiæ decus eripere pater nequit; idemque erit si Princeps patri Nobilitatem conferendo, disertè & posteris prospexit. *l. Eum qui. ff. De Interdic. & Releg.* Tiraquel. *De Nobil. c.* 35. *num.* 5. Denique paupertate non amitti Nobilitatem affirmant; quia nec opulentiâ acquiratur. Et hoc quidem verum in iis qui administratione Reipublicæ dignationem nihilominus retinent,

tiuent, paupertatemque argumentum Justitiæ habent: quomodo Aristides Justus cognomento pauper erat; quomodo

Pauper erat Curius Reges cum vinceret armis, Pauper Fabricius Pyrri cum sperneret aurum.

In reliquis honestior sententia est quam verior; non video enim quomodo in eo non obsolescat Nobilitas, quem paupertas suis angustiis, testudinis instar, contrahit, premit, occultat, utique si longo tempore, non clade aliquâ aut temporum inclinatione, sed tanquam congenita jam familiam involutam tenet: nisi tamen vel majorum gloria meritaque, vel ipsius virtus tanta, ut luce suâ has nubes ultro perrumpat; atque ita aliquid non tantum sit, sed & exstet, quo separetur à plebe. Nam indistinctè dicere, artificio vel mercatura amitti Nobilitatem, non amitti ea paupertie quæ istis jam remediis indiget, contraria publicæ utilitati sententia videtur; tanquam quæ ducat vel ad fraudum injustitiam, vel desidiæ torporem.

CAPUT XXI.

De Nobilitate Litteraria.

Constituunt & aliam Nobilitatis speciem temporariæ, quæ ex studiis scientiarum Academiæque titulis proficiscitur: quam idcirco temporariam appellant quia ad posteros non propagatur. Tribuunt quoque hanc prærogativam scientiis publico usu salutaribus, ut Jurisprudentiæ, Eloquentiæ, Politieæ; non etiam iis quæ ad contemplationis venustatem aut subtilitatem referuntur. Ego non video cur non & hæc Nobilitatis species posteros suâ luce perfundat: cùm etiam amici & familiares, & quicquid adhæsit viris doctrinâ inclytis, famâ illorum illustretur: ut Seneca eleganter disserit, & Lucilio amico suo immortalitatem nominis ex epistolis ad ipsum spondet: & mehercules præstat. Sic Atticus ex Ciceronis Epistolis nobilior est, quam ex affinitate Tyberii Cæsaris. Nec minore fiduciâ aut fide Virgilius cecinit:

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt!
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

Epicurus quoque majorem elatitudinem pollicebatur Idomeneo ex suis ad illum de Philosophia litteris, quàm ex aulæ (in qua vigebat) splendore atque potentiâ. Quid? quod Historicos videmus famâ superesse eas urbes atque imperia quæ celebraverunt? Hæc perierunt & quæruntur, monumenta autem eorum vivunt, in animis & admiratione hominum versantur. Itaque non dubitem, hanc quoque Nobilitatis speciem in posteros transire; neque eam ad civilia solum studia adstringo. Sed quicunque ingenio & stilo tantum valuerunt, ut sui seculi livorem, & insequuti caliginem superarent, atque in animis & laudibus posterorum viverent, quidni hos Nobilissimos dixero? Non equidem hominibus inter scholarum argutias sapientiam simulantibus, & inutili subtilitate consumentibus ingenii vigorem hanc prærogativam tribuo; neque etiam vulgaribus, & de quibus proverbio dicitur, fuit unus è multis: Nam his Genius ille perennis famæ nunquam adspirabit: loquor enim de raris & eminentissimis scientiarum Mystis.

CAPUT XXII.

De reliquo Civium Ordine.

Extra hos igitur reliqui subditi ferè plebei sunt: nisi quod Milites adhuc ob Reip. tutelam & fortitudinis professionem eminent: multis privilegiis Romano Jure donati, quæ hodieque obtinere debent; utcunque ab illo splendore Militia desciverit, magisque mercenaria evasit. Sequuntur Agricolæ, utilissimi haud dubiè, iidemque ferè innocentissimi: quippe quorum quæstus & divitiæ à liberalitate naturæ sunt, digno nempe labore propitiatæ. Hi igitur Reipub. moderatoribus commendati esse debent, ut ab injuriis eos protegant. Sunt deinde Mercato-

Mercatores, ut splendidiores Agricolis ita non meliores, quippe avaritię & fraudibus viciniores. Utilitate tamen in Remp. cum illis certant; & præterea sępe notitiâ portuum, sinuum, aditus, virium, inclinationis peregrini regni, sui Principis res promovere possunt. Sed nec Artificum ordine carere Respublica potest: quorum eruditis & elegantibus manibus partem quoque barbarei profligat. Eminere inter hos volunt, qui minus ab ingenii subtilitate recedunt, ut Architectos, Pictores, Statuarios. Ego de Architectis assentior, quorum non privatim tantum, sed pace & bello in molitione cujuscunque magni operis, eximius est usus: pictoribus verò & Statuariis & aurisabris multos ob necessarium magis usum antepono; veluti chyrurgos, medicamentarios similesque. Planè qui tantum luxurię administrant, & voluptatibus nostris (ut Seneca loquitur) ingenia accommodant sua, postremi ordinis habendi sunt. Inter hos & artifices scenæ; qui non in totum (ut quidam nimis rigidi Censores statuunt) arcendi à Republica sunt; conducunt enim ad externam quandam in moribus & sermonę elegantiam; sed cum temperamento admittendi, ne desidiæ dulcedinem populo quotidie in theatris desidenti ingenerent; & cum cautione, ne aut felicia scelera, aut voluptuaria flagitia repręsentando impudentiam & audaciam nutriant. Rude enim vulgus sæpe ignoratione vitiorum, quàm disciplina virtutum emendatius est. Id quoque satagendum, ne ingeniosæ malitiæ aut insanientis sapientiæ disertis sententiis noceant: ad quas (ut cum Cicerone 4. *De Repub* apud Auguf. 2. *De Civit.* 14 dicam) *cùm accessit clamor & approbatio populi, quasi magni cujusdam & sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras? quos invehunt metus? quas inflammant cupiditates?*

CAPUT XXIII.

Uter honore potior sit, vir militia clarus, an civili regimine insignis?

Quidam præferendos putant præfectos militiæ; quia illorum artes ideò pulchriores censendæ sunt, quod difficiliores sint pacis artibus. Illi enim regunt res turbatas: quod difficilius & speciosius est, exemplo Gubernatoris navem in tempestate regentis. Nam ut in Proverbio est, *Tranquillo mari quilibet Gubernator est.* Plinius *in Paneg.* Præterea illi cum spiritum suum pro Republ. periculo exponunt; meritò in ea excellere debent. *§. 1. Inst. de Excusat.* Adhæc pacis artes latent sub tutela militaris virtutis; absque ea perituræ, Cicero *pro Muræ.* Illæ tantum ad ornatum vitæ pertinent, ista verò ad incolumitatem. Juxta illud Horatii ad Augustum:

Res Italas Armis tutaris moribus ornas,
Legibus emendas. ----

Utque præstantior est medicina quæ ægritudinem pellit, quam agricultura quę conservando corpori alimenta suggerit: ita nobilior bellica virtus, quæ rebus turbatis medetur, quam Jurisprudentia quæ paci alimenta suggerit. Accedit, quod bellica virtus in se quoque complectatur artes civiles: nempe Jurisdictionem, regimen, & disciplinam, itemque consilia. Nam ut Horatius ait: *Vis consilii expers mole ruit sua.* Et experimentis compertum est in bello plus valere ingenium, quàm vires, Salustius *in Proœm. Cat.* Ita ut bellica virtus omnibus & animi & corporis dotibus constet. Cicero *pro Leg. Manil.* Denique ex militia originem traxerunt omnes nobilitatis tituli, veluti Comes, Marchio, Baro: adeoque quarundam gentium institutis omnes milites etiam gregarii censentur nobiles. Tiraquell. *de Nobilit.* Alii verò putant præferendos esse togatos: quorum artibus pax regitur & conservatur; quæ utique honorabilior bello est. Unde

de non movet exemplum Gubernatoris: is enim quia ortum & causas tempestatis impedire non potest, ideò virtus ejus maximè cernitur in luctando cum tempestatibus. At regimine & consiliis togatorum semina belli sæpe eliduntur; sæpe ipsa bella exstinguntur; illorum enim opera adhibetur componendis fœderibus. Etenim pleraque bella ex injuriis vel seditionibus oriuntur, quæ causam plerumque trahunt ex malo regimine. Neque verum est difficiliores esse belli artes. Nam ut Livius ait; præstantibus ingeniis citius ars defuerit qua civem regant, quàm quâ hostem vincant. Et difficilius est Provincias obtinere, qua facere. Viribus parantur, jure retinentur. Flor. *lib.* 4. *c. ult.* Neque movet secundum argumentum. Nam togati rarius quidem morte suâ Remp. juvant, tamen plerumque etiam post mortem prosunt, perenni utilitate legum & ordinis ipsorum consiliis instituti. Cicero 1. *de Off.* Sic hodie nihil nobis prosunt Justiniani arma, sed prosunt etiamnum leges. Non obstat quoque tertium argumentum: Nam res militaris non minora præsidia à pacis artibus mutuatur, quàm iis rependit. Non obstat quartum; quia multo majoris æstimanda est civilis & ordinata vita, quæ à Jurisprudentia manat, quàm qualiscunque vita, quæ virtute militari conservatur. Non obstat ultimum: nam bellica virtus aliquid à Pacis artibus mutuatur, non verò suo jure & complexu eas tenet universas. Inspiciendumque id est ad quod principaliter quæque res destinatur, non ad quod secundarib. *l. Quamvis. ff. de Auro.* Belli artes, principaliter ad vim; Jurisprudentia ad virtutem dirigitur. Videnda sunt quæ præterea scripsi *lib.* 2. *differt.* 19. Placet tamen opinio quorundam, præferendum esse militiâ clarum, si in consilio agatur de negotiis belli, si verò agatur de civilibus rebus prærogativam deberi togato. Atque eo modo hæc Controversia rectè sopietur. Nam Justinian. quoque societatem & quasi paritatem inter pacis & belli artes satis insinuat, dum quod proprium armorum id assignat legibus; & quod proprium videtur legum id attribuit armis. Etenim leges quoque armant & muniunt Remp. contra facinora & fraudes: & arma quoque in ornamentum pacis Princeps habet, nempe custodes corporis; qui olim Prætoriani dicti Seneca 1. *de Clemen.* Illud tamen negari non potest si simpliciter æstimentur, præferendum Politicum militari.

FINIS LIBRI TERTII.

DIO-

DIODORI TULDENI DE CIVILI REGIMINE LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Dicendorum series. Generalia ad publicam salutem monita.

POst Constitutionem Reipub explicandum est de ejus Administratione, quæ partim in Conservatione, partim in Amplificatione, partim denique in Curatione versatur. Conservatio incolumitatis, partim contra internam corruptelam, partim contra externam vim excubat; & generatim in subditorum, & Status, atque ita imperantium, salute consistit. Cujus summa est; ut Cives & inter se & cum Rectoribus suis concordię vinculis ac spiritu in unum corpus coagmententur. Atque olim in Gręcię urbibus usu obtinebat, ut Cives juramentum concordię præstarent. Xenoph. *lib.* 4. *Memorab.* Hanc conspirationem partim Justitia, partim publici boni studium gignit & conservat. Nam ubi quisque suarum modò rerum est, solvitur vinculum omne communitatis, divelliturque Reip. corpus: Plato 7. *De Rep.* idemque ab injuriis evenit, & facinoribus multis. In hanc sententiam præclarè Cicero 2. *De Rep.* Ut in fidibus ac tibiis atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt; isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis & infimis & mediis interjectis ordinibus ut sonis, moderatione civitas consensu dissimillimorum concinit; & quæ Harmonia à Musicis dicitur in cantu, ea est in Civitate Concordia; arctissimum atque optimum in omni Rep. vinculum incolumitatis: quæ sine Justitia nullo pacto esse potest: apud August. 2. *De Civit.* 21. Beatissimam Civitatem Plato 5. *De Rep.* judicat, quæ instar humani corporis ita est coagmentata ut singularum partium dolor aut voluptas redundet ad universum. Conservatio Reip. vel animos spectat, vel externa: Illi partim Institutionis Suadâ, partim imperii vi & coactione formantur.

CAPUT II.

De Educandis liberis salubria præcepta.

AD Institutionem vel inprimis Educatio pertinet: quę nisi ab initio animi fundum subegerit expurgaveritque, non magis reliquæ doctrinæ concipiendæ fovendæque aptus est; quàm sementi terra rubis sentibusque implicata. Absque illâ nec leges & instituta proficiunt; quippe quæ fideliter in mores non transeunt, nisi statim à teneris mens adsueverit Numen quà beneficum bonis amare, quà infensum malis timere, itemque ordini regulęque cuidam conformare vitam actionesque; delectari honestis, tristari turpibus: quę rectæ educationis summa est; ut, inquam, virtutem ament, vitia oderint; imò ignorent nullis illorum exemplis aut visu aut auditu usurpatis, illecebris-

que eorum procul submotis. Hic præclarissimus librorum thesaurus, & solidissima Reipublicæ fundamenta. Hæc priscorum Legumlatorum, hæc Platonis & Aristotelis sententia est. Plato per omnes ferè legum libros hoc prosequitur, hoc urget, ut rectis opinionibus affectibusque recentes & sequaces puerorum animi imbuantur; adeò ut nec nutricibus permittat infantibus quaslibet fabulas occinere. 2. *De Repub.* Nam quàm difficile est, primam illam vacuæ mentis tincturam delere: tam facile videtur optimam indere, & dare; ut Persius ait:

Generoso incoctum pectus honesto.

Etenim rudis judicandi mens neque dissentientis contentione, neque ancipiti cogitatione ambigentis refragatur ducenti ad optima; neque etiam malesuadis voluptatum illecebris perinde deflectitur innoxia & necdum iis obnoxia ætas. Igitur Plato ne minima quidem neglexit in septimo potissimùm de Legibus quæ ad educationem pertinent natorum, imò nascentium. Nam & matrem per omne tempus alendi, imò & sub tempus concipiendi fœtus, corpore quidem impigro & exercito, animo autem tranquillo neque affectibus divulso esse jussit: & natum jam infantem motu atque agitatione exerceri, perinde ac si navim magis quàm domum incolat; idque tum ut alimentum vi internâ excitati caloris superatum & per omnes artus distributum, obstructionibus excrementisque pulsis, pulchritudinem & vires donet; tum ut externa agitatio resistat internis motibus à formidine, quam rudi & peregrinanti adhuc animo excitat novitas rerum, appulsusque imaginum & vocum terribilium, quia inexpertarum. Ne igitur his perturbationibus ab initio jactata & divulsa mens deinceps in timores præceps fit, motum vehementer commendat: præsertim cùm is non minus ad conservandum quàm ad gignendum conducat; & moderata motio resistat illi immoderato motui, partim ab aëre incumbente tenero corpusculo, partim ab ipsa natura maximè tunc in incrementis laborante. Oportet autem indolem parvuli inspicere, tristior ne sit atque timidior, an verò vividior atque exultantior: illa enim majore libertate ducenda, imò instiganda ad alacritatem est. Senecæ 2. *De Ira cap.* 21. salubria præcepta sunt, quæ excutiemus: *Quia aliis*, inquit, *contra iram, aliis contra tristitiam remediis utendum est; nec dissimilibus tantùm ista, sed contrariis curanda sunt: semper ei occurremus, quod increverit.* Omnis nimirum in mediocritate virtus est: & Plutar. quoque *De educat. cap.* 14. ad mediam animi affectionem, neque ferocem, neque inaudacem dejectamque contendendum ait: illam enim impudentiæ, istam servilis vilitatis esse. Ideòque prout aut tristitiâ metuque torpentes affectus, aut contrarii nimiâ alacritate gestientes prædominantur (id quod & per vices unà cum temperamento corporis interim variat) reducendi sunt, ad temperamentum & quasi concentum. Difficile autem hoc Seneca adfirmat: *Quia & quod extollendum, & quod deprimendum est similibus alitur.* Extolli indoles debet, retundi iracundia. Ab indole est fiducia sui, cupiditas eminendi, spes exsuperandi ardua & obstantia, & universè conatus omnis generosus. Ab iracundia est studium contendendi, vindicandi & vincendi, impetusque audaciæ & pervicaciæ. Quæ certè incitamenta atque nutrimenta fortitudinis videntur. Unde difficile moderamen est, ne indoles enutrita in iracundiam exundet; vel iracundiâ planè hebetatâ ipsa indoles elanguescat. Magis etiam Seneca hoc ostendit: *Crescit licentiâ spiritus, servitute comminuitur.* Similiter Plato 7. *De leg.* Deliciæ difficiles, morosos, iracundos, & levi de causa excitabundos juvenum mores efficiunt: contrà verò nimia & agrestis servitus cùm abjectos & illeberales & humana perosos facit, ad humanam consuetudinem ineptissimos

ſimos reddit. Servitutem appellant nimis rigidam coërcitionem. Noxius certè teneræ ætati aſſiduus iſte metus ſupplicii, qui anguſtos animos inundans, obruit atque hebetat: quippe ut infirmi temperare illum nequeunt, & ut rudes de incognitis malis atrociora quàm pro re imaginantur. Impediuntur inde incrementa corporis, calore qui cibos coquit, ad laborantis cerebri præſidium avocato, & ſanguine, cujus liber meatus laxaret artus, conſtricto. In ingenium quoque hæc noxa redundat, contagione eâ quæ corpus inter animumque eſt: taleſque poſtquam pueri præmaturæ ſapientiæ ſpeciem timidâ modeſtiâ prætulêre, ad virilis ætatis vigorem vix aſſurgunt. Igitur ut diſſoluta indulgentia, ita dira & nimia ſeveritas abeſſe à liberorum educatione debet: ratioque habenda indolis ferocioris, aut languidioris. *Aſſurgit*, inquit Seneca, indoles *ſi laudatur, & in ſpem ſui bonam adducitur: ſed eadem iſta inſolentiam & iracundiam generant. Sic itaque inter utrumque regendus eſt, ut modò frænis utamur, modò ſtimulis.* Eadem Plutarch *cap.* 26. jubens collaudationes increpationeſque alternari: ut his nimiâ vanitate geſtiens ad pudorem redigatur; illis erigantur dejecti, in iiſque modus adhibeatur. Immoderatis enim laudibus vanitas comitatur, & quædam animorum luxuries. Addit Seneca: *Nihil humile, nihil ſervile patiatur.* Et meritò Ludimagiſtrorum ſævitiam in verbera effuſam Fabius Quintilianus damnat: atque id agendum, ut pudore potius, quàm metu in officio contineantur: eademque eſt Plutarchi ſententia. *Nunquam*, inquit Seneca; *illi neceſſe ſit rogare ſuppliciter, nec proſit rogaſſe: potius cauſæ ſuæ, & prioribus factis; & bonis in futurum promiſſis donetur.* Vult veniam in delictis pueros obtinere, non ſervili ſupplicatione, quia id indolem nimis frangat; ſed qualicumque excuſatione, aut rectè factorum compenſatione, aut denique pollicitatione melioris frugis: hic enim moderatus metus, & ſimul ad diſpectum officiorum excitat. Circa primum tamen cavendum, ne concinnatis mendacio excuſationibus nitantur juventutque: hæc enim elementa malitiæ, calumniæ, fraudum contentionis, ſimulationum. Etenim duo ſunt vitia in pueris magnorum malorum ſemina, Mendacium, & Pertinacia. Addit Seneca: *In certaminibus æqualium nec vinci illum patiamur, nec iraſci: demus operam ut familiaris ſit his cum quibus contendere ſolet, ut in certamine adſueſcat non nocere velle, ſed vincere. Quoties ſuperaverit, & dignum aliquid laude fecerit, attolli non geſtire patiamur: gaudium enim exultatio, exultationem tumor, & nimia æſtimatio ſui ſequitur.* Vult ſic ad magnitudinem animi excitari puerum, ut tamen à ſuperbia cohibeatur: efferat igitur ſe ob preclara indolis experimenta; ſed & aliis potioribus ſe conferat, ne omnibus preferat, & nimium efferat. Sed quod ait, in certaminibus vinci non patiamur, id cum modo accipiendum. Rectius enim Plutar. *cap.* 30 jubens pueros inprimis ad comitatem inſtitui, admonendos putat, quandam eſſe victoriam Cadmeiam; atque interim non minus pulchrum eſſe vinci, quam vincere ſcire: citans Euripidem: *Dicentibus duobus, irato altero, qui non repugnat dictis eſt ſapientior.* Addit Seneca: *dabimus aliquod laxamentum: in deſidiam verò otiumque non reſolvemus.* Nam ut idem ait: *Luſus proſunt: modica enim voluptas laxat animos & temperat*, alacritatem enim excitat, ferociam mitigat. Ut corpus impletione & exinanitione, ita mens puerorum labore & remiſſione vigorem tuetur. Plutar. *cap* 27. Pueros ad induſtriæ ſpeciem aliquam adſueſcere, futuræ virtutis flos eſt: ſed non tam urgendi ad ingratos labores, quàm blanditiis, laudibus, premiolis, emulatione æqualium alliciendi: idque efficiendum ut ſic conciliatis labor ad

ludi amœnitatem mollescat; nequaquam satietate aut lassitudine in odium adducendus. Prima enim scientiarum fundamenta in pueris sunt, discendi amor, & memoriæ exercitatio. Puerorum humida temperatura, instar mollis ceræ, capax imaginum, eximiam dotem habet memoriæ. Fabius *lib.* 1. *cap. ult.* A teneris itaque animi ipsorum optimis sermonibus obserendi, mox disciplinæ linguarum admovendæ, deinde historiarum, in primisque fabularum notitiâ detinendi. Atque ita pulcherrimarum rerum thesaurus in animo recondetur. Plutar. *cap.* 29. Enimverò vehementer errant ludimagistri, qui compositione prosæ & versæ orationis assiduè ingenia puerorum non tam exercent, quam atterunt: cùm hic ordo naturæ sit, ut memoria ante impleatur, unde paulatim ingenio fœcunditas accedat. Non absurdè enim Poëtę Mnemosynen dixerunt Musarum matrem esse. Plutar. *ibid.* Non pueritię, sed adolescenrię dos est ingenii vigor; quemadmodum virilis ęvi maturitas judicii. Infantes non nisi ad vicissitudinem lusuum litteris occupentur: ne coalescentis cum maximè cerebri robur delibetur, & pręcoce atque inutili labore tenelli ingenii vires affligantur: permittaturque illis effundere stultitiam innoxiarum cupiditatum, ne cum rerum natura pugnari videatur. Pueri verò paulatim ad industriam, sed (ut dixi) memorię potissimum exerceantur. His disciplina linguarum, per commercium adloquentium, tam est facilis, quàm fastidiosa ob ariditatem ętati ad prudentiam factę. Fabius *lib.* 1. *Orat. Instit. cap.* 2. & 20. Addit Seneca, *procul à contactu deliciarum retinendos pueros.* Eę enim emolliunt atque effœminant: unde omnium quę dura aut laboriosa videntur impatientes evadunt; &, quod sequitur, iracundi, queruli, morosi. Nam blandam & delicatam educationem ad intemperantiam & luxum ducere, manifestius est quàm ut admoneam: cupiditates enim quibus indulgetur nutriuntur, crescunt, & per ætatis vices in majora exęstuant. Hinc quoque bonarum contemptus artium, cùm palato sapere, quam mente jucundius putant. Omnis virtutis fundamentum esse temperantiam Socrates disserebat, apud *Xenoph. lib.* 1. quippe sine qua neque corpus, neque animus rectè se habere potest; & proinde nihil honesti vel addisci, vel exerceri. Nemo, inquit, non modo intemperanti Imperatori in bello, aut intemperanti tutori liberos credat; sed nec servo tali administrationem committat. Neque tamen ut avaritia possessori utilis, ceteris noxia est, ira & intemperantia: quinimo hæc ei quem obsidet perniciosior est quàm aliis; quippe non domum modò, sed corpus animumque destruens. Talem, inquit, servum aversetur vir prudens: qui verò cupiditatibus voluptatibusque servit, ei optandum ultro est, ut bonum dominum sortiatur. Ita enim demum salvus esse potest. Pergit Seneca: *Longè ab assentatione pueritia removenda est:* hæc enim etiam judicio jam suo fundatos animos subvertit: multoque validius rudes mentes blandi erroris caligine obruit. Sed vel magis Adolescentia ab Adularoribus vindicanda, qui voluptatis laudatæ illecebra eam inescant, & ad sumptus impellunt: quo nihil esse adolescentiæ pestilentius Plutar. *c.* 40. ostendit. Igitur *audiat verum, timeat interim, vereatur semper, majoribus assurgat.* Non blanda igitur pueris, & quæ errata illorum exosculentur ingerenda sunt; sed quæ ex vero moneant reprehendantque: ut timore interim, semper pudore contineantur. *Exprobrentur illi*, subdit, *perperam facta. Nihil*, inquit, *per iracundiam exoret, quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur:* nam si ploratu, dolore, iracundiâ potiuntur votis, amant illa, penitusque sibi induunt, & ut feliciter expertis telis fidunt, & assiduè exercent. Hinc per omnem vitam quicquid offendit, aut non ex voto fluit excipiunt queruli, anxii,

anxii, mollitie fracti, impatientiâ abjecti. Addit: *divitias parentum in conspectu habeat, non in usu.* Frugalitatem iterum præscribit in victu cultuque; nec pro fortunæ magnificentia exuberare illa jubet: hoc enim est divitias in usu non habere. Sed quo sensu eas in conspectu iis esse jubet? Nam & hoc ipsum vanas mentes inflat, & præsumptione ac confidentiâ quadam partæ jam felicitatis à laboribus ut supervacuis absterret. Itaque in conspectu quidem res familiaris liberis erit, non utique tamen in notitia si excellit: quod si conscientiâ divitiarum elati, satis per eas honori felicitatique suæ cautum putant: Socratis oratione iden tidem utendum est. Ille apud *Xenop. lib.* 4. Stultum dicebat qui confideret sine doctrina sese noxia à salubribus discreturum; nec minus stolidum, qui hoc judicio privatus, & divitiarum ope quicquid collibuit indipiscens, putet se acturum quæ in rem sunt: quod si hæc agere nequeat, non minore amentia sibi spondere felicitatem. Denique non minus insanire eum, qui cum imperitus sit, existimet se hominum opinione bonum fore merito divitiarum, vel cùm bonus non sit, nihilominus honore præstiturum & famâ. *Tenuis*, subjungit Seneca, *ante omnia sit victus, & non pretiosa vestis, & similis cultus cum æqualibus. Non irascetur aliquem sibi comparari, quem ab initio multis parem feceris.* Et in eandem sententiam *cap.* 20. *Vinum*, inquit, *pueris Plato negandum putat; & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi sunt: distenduntur enim corpora, & animi cum corpore tumescunt*, in superbiam nempe: imò hebescunt. Sic enim alibi ait *epist.* 15. Copiâ ciborum subtilitas animi impeditur. Et: Majore corporis sarcinâ animus eliditur, & minus agilis est. Appositè Agellius *lib.* 4. *c.* 19. ex medicorum Philosophorumque decretis *Pueros impuberes si plurimo cibo, nimioque somno uterentur hebetiores fieri, advertimusque*, inquit, *hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusque adolescere.* Nam proceritatem, inquit Plutarchus in *Lycur.* ea adipiscuntur, cum spiritus non diu detentus, neque à copia alimenti deorsum aut ad latera compulsus, sursum evadit libero laxoque meatu ob levitatem corporis. Addit Seneca: *Labor illos citra lassitudinem exerceat: ut minuatur, non ut consumatur calor, nimiusque ille fervor despumet.* Exercitia igitur corporis moderata conveniunt: nimia enim spiritus egerunt aut absumunt: Seneca *epist.* 15. quibus opus ad studiorum intentionem. Eadem Plutarchi sententia *cap* 23. citantis Platonem, qui defatigationes & somnos disciplinarum hostes affirmat, 7. *De Repub.* Pertinebit ad rem, inquit Seneca, præceptores *pædagogosque pueris placidos dari. Proximis applicatur omne quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit* Quod de placidis moribus dicit, transferendum est ad reliquas virtutes: ut magistri educatoresque non scientiâ tantùm sed vitâ laudabiles eligantur. Fons enim, inquit Plutarchus *cap.* 10. & radix virtutis atque honestatis vitæ, est institutio proba. Utque agricolæ stirpibus pedamenta apponunt (& hæc explicabunt imaginem quâ obscurè Seneca utitur:) sic probi magistri accuratis præceptis monitisque suffulciunt adolescentes, ut mores in rectum germinent & crescant. Sed, inquit Seneca *Epist.* 6. homines amplius oculis quàm auribus credunt: & longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla. Plato, inquit, & Aristoteles, & omnis in diversum itura Sapientium turba plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Vide Xenophon. *lib.* 4. *De Socrat.* Sed hoc ipsum latius porrigendum est ad quamcunque puerorum & adolescentium familiarem conversationem, ut eâ melioribus se applicent, deteriorum noxiam contagionem fugiente: Nam proverbialis sententia est: Si claudo cohabites, fore ut subclaudicare

discas. Plutar. *cap.* 9. Nempe occultâ quâdam sympathia:

Dum spectant læsos oculi, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

Ex adverso: *Nulla res*, inquit Seneca, *Epist* 94. *magis animis honesta induit, dubiosque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum quàm bonorum virorum conversatio. Paullatim enim descendit in pectora & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, adspici frequenter. Occursus mehercule ipse Sapientium juvat: & est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facilè dixerim quemadmodum prosit, sicut illud intelligam, profuisse. Minuta quædam, ut ait Phædon, animalia, cum mordent non sentiuntur: adeò tenuis illis & fallens in periculum vis est: tumor indicat morsum, & in ipso. tumore nullum vulnus apparet.* Theognidis versus laudatur:

Tradunt nempe boni bona: sed si vixeris inter
Pravos, amittes quod tibi mentis adest.

Quod verò Seneca dixit de Pædagogis puerorum: sciendum est, eos adolescentibus imponi non solere, non quod Imperium omne abjiciant, sed Imperatorem mutent, dum loco mercede conducti magistri divinum vitæ ductorem accipiunt Rationem: cui qui parent, soli verâ libertate fruuntur. Soli enim hi vivunt ut volunt, qui quid velle debeant didicerunt. Ita Plutarchus *cap.* 1. *De Audition.* qui tamen alibi *De Educat. cap.* 37. eam consuetudinem improbat: cum adolescentia magis quàm pueritia custode indigeat, quippe cupiditatibus magis flagrans, majoreque impetu audaciæ incitata. Illud igitur observandum est, ut sensim & per intervalla, prout magis magisque crepusculum rationis adolescet, ex strictioris disciplinæ custodiâ educantur liberi ad libertatem: nam semel & subitò si in illam incident, non ferent, & in licentiam vertent; tanto futuri dissolutiores quanto adstrictius paulo ante habiti. Quemadmodum si fluminis cursum objecta moles inhibuit, is deinde evicto objice, collectum aquarum agmen, sibiipsi incumbens seque premens majore impetu propellit, populaturum latè quicquid occurrit: Sic non per spiramenta dispensata libertas, sed semel emissa, postquam diu cohibita desiderium sui auxit intenditque, insolescere ferocius solet. Quoniam autem ad Præceptores Institutionem liberorum sermo nunc deduxit, lubet excutere & olim & hodie agitatam quæstionem, privatim an publicè erudiri liberos expediat? Nam de ipsius doctrinæ utilitate non est quod operosius disseram: quippe cujus adminiculo non modo languida indoles adsurgere, sed & acerrima dirigi debet. Præclarè enim Socrates *lib.* 4. apud Xenoph. ut equi, inquiebat, quanto generosiores sunt, si non domantur, tanto effrænariores inhabilloresque ad usum evadunt; canesque quanto acriores si absit institutio, tanto contumaciores furiosioresque fiunt: ita ingeniis non excultis doctrinâ ipse ille vigor & acumen naturæ obstat; inde enim evenit ut orbata judicio recti pravique, cum incubuerint in noxia, minus abduci se patiantur à proposito, faciliusque id exequantur. Eadem apud Platon. 6. *De Reip.* disserit fusè idem ille Sapiens: languidam naturam nec bonorum, nec scelerum ingentium capacem esse; sed generosam, prout institutione vel dirigitur vel pervertitur.

CAPUT III.

Publicis an Privatis sub Doctoribus Juventus magis proficiat?

ET Fabius quidem publicum auditorium præfert, cujus consortium excitando & formando sensui communi conducat, & insinuandæ humanitati, conciliandisque amicitiis in extremam ætatem sæpe durantibus: itemque hinc reprimi arrogantiam nimiamque fiduciam sui, quâ facilè implentur qui se nulli comparant. Sed & in æqua-

æqualium cœtu alieni profectus decus æmulatione accendit: & adoleſcentes iis qui longiùs proceſſerunt ſeſe applicantes, facilius diſcunt à non multùm diſparibus. Sed & ipſi Præceptores animoſius facundiusque in frequenti diſcentium corona funguntur munere docendi, quàm coram uno atque altero; quippe apud quos ridicula etiam ſit & inepta vulgaris colloquii humilitatem excedens Eloquentiæ pompa. Jam & formę Reipub. conformari inſtitutionem juventutis Politici jubent: id quod facilius obtinebitur Inſtitutione publica, id eſt una omnium & uniformi. Sed argumentis his reſponderi poteſt. Nam quod dicitur, in cœtu unà diſcentium puerorum hauriri communem ſenſum, humanitatemque & fundari amicitias, videamus an communis prudentia non trahatur purius ex converſatione meliorum maturiorumque; & in promiſcuo illo cœtu multi ſint corrupti & corruptores. Sanè Lipſio *cent. 1. Epiſt.* 89. non probabantur illa quæ pædagogia vulgo appellamus: *Neſcio*, inquit, *quomodo aſſidua convictio illa & contubernium non ex uſu juventutis: quæ, utcunque arceas aut ſepares, ſermones communicat; conſilia, vitia, ſordes: & hinc laſciviunt, degenerant.* Conjunctio quidem ſtudiorum amicitias conciliat, ſed tarò ſolidas ac diuturnas: quia pueros neceſſe eſt, antè amare quam judicare; atque ita amicitias impetu ſuſceptas, vel pari impetu, vel mox judicio deſeri; quippe quod cum ætate maturiore accedit, imò variat. Quod dicunt de æmulatione & contentione æqualium incitante induſtriam & excutiente vanam perſuaſionem: neque hæc deficiunt ſub privato magiſtro, quippe & hîc æquales & condiſcipuli erunt, pauciores quidem ſed ſelectiores. Itaque nec hoc perpetuum, quod publici auditorũ celebritate incitatior induſtria & eloquentia docentis ſit; pauci enim ſed ſelecti, ut magis merentur, ita magis exacuunt docentis curam, quàm promiſcuam negligentium turba. Quid, quod familiaritas, & inde æmulandi ampr. magis circa privatum, quam publicum doctorem exiſtit? Xenophontis ſententia eſt, inefficacem ejus eſſe inſtitutionem qui non placeat diſcipulo 1. *Memorab.* Ideoque & Fabius monet, ut Inſtitutio miſcere ingenia poſſit, id agendum eſſe, ut amicitia miſceat animos. Neque verò ille quia privatim docet, negliget quod in publica docendi ratione optimum eſt: & præterea huic inſtitutioni intendere & dirigere pater poterit; id quod Plutar. *cap.* 28. requirit: huc quoque proverbialem illam Equiſonis ſententiam aptans: *Nihil eſſe quod perinde ſaginet equum, atque oculus Domini.* Ego multum intereſſe puto quales ſint publicæ ſcholæ, & quales iis præſint. Quid enim ſi illæ corruptæ, iſti incuril, imperiti, aut maculoſi? Quid ſi doctrinę ratio adulterata? Veluti ubi per longas inexplicabileſque ambages frigidiſſimorum commentorum, perque ſubtilitatum ſpinas Philoſophiæ ſtudium adumbratur, imò dehoneſtatur? Ubi ſterilis Logica totius ſapientiæ inſtar eſt, & doctrina quàm intemperanter in umbris jactabunda, tam ad vitæ uſum inhabilis? Præterea non cuivis promptum eſt, privatum doctorem conſequi publicis meliorem aut parem: id verò cui contingit, non dubium mihi eſt, quin magis profecturus ſit: neſcio enim quomodo pleriſque quod commune eſt, vile; quod proprium, id penſius chariuſque eſt. Et privatus ille facilius doctrinæ tenorem & progreſſum attemperabit paucorum diſcentium ingeniis; familiariuſque iis ſe fruendum, inſpiciendum, imitandumque dabit. Denique publica ſtudia privati adminiculo Doctoris juvari & conſummari; & ipſi Profeſſores qui publica Auditoria illuſtrant, in familiarem notitiam uſumque conciliari queunt.

CAPUT IV.

An & quatenus studia Scientiarum excitari & florere expediat Reipublicæ?

QUoniam autem Studia disciplinarum inter ea collocamus quæ persuasione cives ad virtutem componunt: excutienda quæstio est, an Reipublicæ expediat Studia favore, curâ, liberalitate Principum promoveri? Quibusdam enim videtur eâ ratione speciosum otii nomen & prætextum subministrari; neque enim ex tanto numero studentium, omnium ea est vel fortuna, vel industria ut in administratione Reipublicæ, quæ didicerunt experiantur. Multorum enim magis cruda sunt studia, quàm ut usui sufficiant, multorum magis flagrantia, quàm ut à contemplationis suavitate ad actum rerum se conferant; Plato 7. *De Repub.* multi quoque tricis inutilium scientiarum operosiùs impediverunt animum, quàm ut ad civilem prudentiam expeditus sit. Quid; quod intentio illa ingenii & meditatio scientiarum spiritus sic absumit, ut corpus & virile robur effœminet? quid, quod multi non ad virtutem, sed ad calliditatem studia referunt? Inde enim tot rabulæ, & turbamenta quietis: inde tot perniciosa ingenia ipsam Religionem convellentia, dum novas quotidie quæstiones, opiniones, scrupulosque in Receptis Sacris eruunt. Dicendum igitur est, excitandas, fovendas, attollendas quidem disciplinas esse; cùm non aliâ re propiùs ad imaginem Numinis homo admoveatur, longiùsque à brutorum vilitate separetur, quàm cultu ingenii & investigatione veritatis; dummodo meminerimus, scientiarum felicitatem non utique frequentiâ discentium definiendam esse. Ea enim multorum sub eruditionis titulo ignavâ arrogantiâ, aut ineptâ vel præposterâ subtilitate, etiam eruditæ prudentiæ viros, præjudicio onerat, vel turbâ abscondit, vel impetu impedit. Vide Platonem. 6. *De Repub.* Quid igitur? Delectus esse debet ingeniorum (non enim ex omni ligno fit Mercurius) & fortunarum; neque enim promiscuè ad studia invitandi quicunque de plebe: his legere & scribere, ac rudimenta pietatis in scientiam sufficiunt: nisi in tali aliquo admirabile & singulare prorsus ingenii lumen effulgeat. Plato 3. *De Repub. in fin.* Nam cùm ad effigiem animi humani Respublica rectè à Platone dispartiatur in Principes, Sacerdotes, Magistratos, qui Mentem repræsentant; in milites, qui Animositati respondent; & denique in agricolas, opifices, negotiatores, qui cupiditatibus assimulantur: constat primo ordini scientiam præcipuè convenire, Plat. 6. & 7. *de Rep.* eumque reliquis exiguiorem esse. Igitur promovenda Principi studia, sed hactenus ut florem eorum fructumque non tam in copia discentium docentiumque, quàm eorum præstantiâ positum esse sciat. Quàm multi enim passim jam pubertatem egressi, jam altioribus scientiis dedicati, ea inviti obeunt & cum tædio; id est perfunctoriè, & ut parentum votis in speciem obsequantur, reverà autem eludant, & tristissimo inutilium sumptuum exitu frustrentur? Non ut corporis, inquit Plato 7. *de Rep.* ita & ingenii labores ingratiis obiti quicquam prosunt. Quàm multi non animi, non virtutis causa, sed sola destinatione & voto quæstus musas colunt vel profanant potius? Quam multi averso Genio, & invitâ minerva artibus ejus operantur? Quàm multi omnem ætatem, omnemque animi vigorem in ludicris scholarum argutiis ambitiosè occupant operosèque consumunt? Talium certè copiâ non florent scientiæ, sed exarescunt: tales autem existunt multi cum protorum studiorum gloria pernicioso errore, aut indiscreta facilitate in frequentia collocatur. Vide quæ dixi *lib.* 1. *De caus. corruptor. Judic.*

CA-

CAPUT V.

De Institutione Principis adolescentis. An, quomodo & quatenus Principem scientiis imbui conveniat?

MEritò itaque inter laudes optimi Principis Traiani Plinius memorat: *Quid vitam? Quid mores Juventutis, quam principaliter formas? Quem honorem dicendi magistris? Quam dignitatem sapientiæ Doctoribus habes? Ut sub te spiritum & sanguinem & patriam receperunt studia quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat: cùm sibi vitiorum omnium conscius Princeps* (Domitianum intelligit) *inimicas vitiis artes non odio magis, quàm reverentia relegaret? At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes: præstas enim quæcunque præcipiunt; tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris.* Pulchrè ista Plinius: & ostendit Principem studia scientiarum promovendo inprimis animos juventutis ad virtutem fingere; deinde sibi hanc existimationem conciliare, tanquam vitæ suæ sectam direxerit ad honestissima præcepta carum artium quarum Doctores complectitur & studia fovet. Neque proinde diu nos exercere quæstio debet, an Principi ipsi doctrina conveniat? Namquod quosdam movet pervicaciæ periculum ex fiducia studiorum nascituræ: è contrario justius dixero, nihil pertinacius esse Principe inerudito. *Discere nolunt*, inquit Seneca 3. *De ira*. 36. *qui numquam didicerunt*. Hi tales enim quia omnia communi intellectui (quo solo censentur) vindicant, nemini ut sapientiori auscultant: & expendere subtilius rationes insueti, persuasionem omnem eruditam non aliter quam imposturam aversantur. Estque hæc Platonis sententia 3. *Rep.* Sive igitur ad sermonis cultum (quod nemo negaverit) liberalia studia conducunt: cui magis ille congruit quàm ei cujus dicta ut oracula homines excipiunt & fama propagat? Sive notitia antiquitatis & Politica ad actiones salubriter feliciterque dirigendas pertinet: cui potius ea competit, quàm cujus facta omnia exempla sunt? Sive ad componendos mores divinæ & humanæ sapientiæ præcepta conferunt: cui ea magis necessaria sunt, quàm ei cujus vita censura est, ad quam cives flectuntur? Sive ad cupiditates moderandas impetusque animi leniendos decreta Philosophiæ vim habent: quem ea utilius temperabunt, quam cum cujus affectus nisi illico restinguntur, adminiculo potentiæ, tanquam ignei turbinis, præcipitantur, & in opus prorumpunt? Denique si est aliqua expendendi justi injustique & colligendæ æquitatis scientia, quem ea justius instruxerit, quàm qui justitiæ fruendæ causa creatus est, cujusque decreta & sententiæ legis vigorem obtinent? Divinus sanè Spiritus in Sacris literis *Sapien. cap.* 6. Principes omnes ad Sapientiæ studium inhortatur: ait enim: *Si delectamini soliis & sceptris, O Reges populi, diligite Sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* Præbete, exclamat ibidem Sapientia, aures vos, qui continetis multitudines: quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab altissimo: qui interrogabit opera vestra. Et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ Ex his illud quoque apparere puto, quæ potissimum Scientiarum partes Principem deceant; eæ nimirum quæ regendi instrumenta sunt. Et ut primum de eloquentia dicam, quâ Aristoteles, Alexandrum Regem Majestatem suam à civibus distinguere potiùs quàm cultu corporis, admonebat: Magni illi Reges quos Homerus ait à Jove prognatos, postquam purpurâ, sceptris, stipatoribus Majestatem suam adstruxerunt, Oratoris facultatem affectaverunt, & curæ eis fuit *Concio quâ decus eximium facundia gignit*: Neque solum Jovem consiliarium, Martem-

ve homicidam & militarem Pallada coluerunt; sed & Calliopen invocaverunt,

Qua comes usque solet venerandis Regibus esse;

facundia sua demulcens & ad verecundiam redigens contumaciam violentiamque populi. Plutarchus in *Polit. c.* 11. Adeoque vix quisquam Imperatorum Romanorum fuit hujus ornamenti expers; ut Tacitus recenset *lib. Annal.* 13. Neronem notarum, quod compositis à Seneca orationibus uteretur. *Adnotabant*, inquit, *seniores, primum ex iis qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundiæ eguisse. Nam Dictator Cæsar summis Oratoribus æmulus: & Augusto prompta ac profluens quæ deceret Principem Eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consultò ambiguus. Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata dissereret, elegantiam requireres.* Atque illi omnes studiis litterarum hanc sibi eloquii facultatem pepererant. Addit enim deinde: *Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit; cælare & pingere, cantus aut regimen equorum exercere: & aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat.* Tantundem fere in Domitiano notat Tranquillus: qui & ipse studium Poëtices affectabat aut simulabat, reliquorum incurius: sed circa liberos dil gentior eos Fabio Quintiliano in disciplinam eloquentiæ tradidit. Igitur non ab ingenii inopiâ, sed neglectâ institutione Neronem dicendi gravitas atque ubertas destituerunt; & quia communia eum vilissimis artificia, quàm imperatorias artes discere maluerat; destitutus necessariis scientiis, quia supervacuis imo indecoris se applicuerat: quomodo insana venandi dulcedo quibusdam Principibus omnium studiorum instar est, tamquam pulchrius Principibus sit scire, quomodo feram capiant, quàm quomodo subditos mansuefaciant, cives regendo, & vincendo hostes. Quanquam modicum venationis studium utile quoque est; commendatque inter laudes Trajani Plinius: *Hæc olim*, inquit, *experimenta, hæc approbatio juventutis erat: his artibus futuri Duces imbuebantur; certare cum audacibus feris robore, cum fugacibus cursu, cum callidis astu.* Etenim gymnasticâ, & militarium operum meditatione exerceri etiam ingenuos pueros Plutarchus jubet *De educat. cap.* 23. Itaque & hæc Institutioni Principis miscenda. Quoniam autem Eloquentia non tam flore verborum, quàm fruge sententiarum impletur; indiget ea instructu conaratuque artium multarum; sed earum præcipuè quæ Virtutem Prudentiamque complectuntur. Inde enim deprompta præcepta decretaque Orationi gravitatem fructumque & fidem addunt. Itaque eloquii, sed multo magis vitæ expoliendæ gratiâ doctrina Ethica Principi necessaria; itemque Politica cum Historia & scientia Juris: illâ sese, istâ cives reget; quamvis & illâ cives, vi exemplorum. Quemadmodum enim Eryngium herbam, aiunt, si una capella in os sumat, ipsam primum mox gregem totum subsistere, odoris vi corripiente universum: ita doctrina Principi infusa totam inde civitatem saluberrimâ aurâ perfundit vegetatque. Plutar. *in Comment Philosophand. cum Princip.* De hac Philosophia intelligendus Plato *in* 5. *De repub.* dum beatas tunc demum fore Respub. pronuntiat, cum vel Rectores earum philosophabuntur, vel Philosophi regent: quam felicitatem Roma gustavit sub M Aurelio. Et divinum certè usu fructuque quid est Sapientia conjuncta Potentiæ: his enim immensis & Bonitate Numen potissimum censetur. Sed Sapientia de qua agimus vi sua bonitatem continet: est enim scientia habitusque virtutis; id est animus in eam scientiam transfiguratus. Lipsius 2. *Monit. polit. cap.* 8. his adjicit Physicam, itemque Geo-

graphiam,

graphiam, & Geometriam: & illa ſanè notitia rerum naturæ diffundens erigenſque atque etiam dirigens animum, Ethices adminiculum eſt; quemadmodum Geographia hiſtoriæ: ejuſque beneficio regni ſui fines ſitumque & opportunitatem Princeps non minus liquidò cognoſcit, quàm paterſ. patrimonium. Et Pericles ab Anaxagora, à Platone Dion, à Pythagora Principes Italorum eruditi, iſtis quoque & Geometriâ ſine dubio imbuti fuerunt. In Traiano autem Plinius laudat, quòd adoleſcens per decem annorum ſtipendia cognoverit *Mores gentium, regionum ſitus, opportunitates locorum.* Sed ut iſta utilia, neque negligenda ſi ingenium capaſcius obtigit, ita Eloquentia, Ethica, Politica neceſſariæ ſunt; neque omitti cognitio juris debuit. Sic enim apud Tacitum Tyberius 4. *Annal. Deos & Deas precatur, ut ſibi ad finem uſque vitæ; quietam & intelligentem Humani Divinique Juris mentem duint.* Similis, ſed religioſior Salomonis precatio in Sacris 3. *Reg.* 3. refertur: poſtulat enim à Deo hanc potiſſimùm ſapientiam, ut Juſtis Judiciis regere populum poſſit. Atque hanc potiſſimùm imperitiam unà cum infantia Perſius in Satyrâ Neroni, ſub perſona Alcibiadis, exprobat. Ait enim:

Ergo ubi commotâ fervet plebecula bile,
Fert animus calida fecisse silentia turbâ
Majestate manus. Quid deinde loquêre?
Quirites
Hoc puto non rectum eſt; puto quod ſit rectius illud.
Scis etenim geminâ Juſtum ſuſpendere lance
Ancipitis libra, & quando fallat pede Regula varo.

Igitur etiam Juriſprudentiâ imbuendus Princeps. Neque metuendum, ne tot artium ſtudiis intricatus ab ipſo actu rerum avocetur: eâ enim methodo & compendio ſeligentur illuſtrabunturque quæ ad uſum pertinent, ut hæc ipſum ultra adoleſcentiæ annos non occupent: deinceps uſu ipſo negotiorum ſplendeſcent; imò augeſcent ſeminum generoſorum inſtar fertili ſolo commiſſorum; itemque creſcent conſortio Sapientium. Sic enim inter medias negotiorum undas, reſpirabat Cato in Athenodori, Scipio in Panætii eruditis colloquiis. Plutarchus *ub ſup.* Sed & ipſi formatores Principis ii eſſe debent, qui ut præſtantiſſimam ſibi indolem ſcientiis levigarunt, ita ipſas ſcientias experimentis illuminaverunt: hi enim demùm liquidâ brevitate ſeligere eâ poſſunt quæ ad uſum ſunt, & majore cum fide audiuntur. Pletique enim affecti ut Eudamidas, qui cùm Philoſophum de Imperatoria Virtute diſputantem eamque uni Sapienti vindicantem audiviſſet: Verba quidem, inquit, admirationem habent; ſed qui dicit eum claſſica nunquam circumſonuerunt. Annibal verò in ſimili diſſertione Phormionem quendam audiens: Nunquam ſe magis delirum ſenem audiviſſe dicebat. Unde diſtincti eſſe debent, qui militaribus curis, & qui pacis artibus Principem inſtruant: jam ſuprà enim admonuimus Gymnaſticâ Principem adoleſcentulum exercendum eſſe: quam Claudianus graphicè deſcribit in Honorio *de 4. conſul.*

Mox ubi firmaſti recto veſtigia greſſu,
Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec ſomnos genitor permiſit inertes:
Sed nova per duros inſtruxit membra labores,
Et crudâ teneras exercuit indole vires,
Frigora ſæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æſtivum tolerare jubar, tranſnare ſonoras
Torrentum furias, adſcenſu vincere montes
Planitiem curſu, valles & concava ſaltu.
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes,
In Galea portare nives, nunc ſpicula cornu
Tendere, nunc glandes baleari ſpargere fundâ.

Paria Traiani per adoleſcentiam exercitia Plinius celebrat. Sed his ſolis Regis adoleſcentia ſi innutriatur, evader non tam fortis, quàm (ut cum Tacito dicam, *viribus corporis ſtolidè ferox:* quod ſi tantùm in Muſarum ſinu educatur, venuſtus quidem, ſolers, placiduſque erit, ſed mollitie & timiditate imbecillis. Ideoque utraque miſcenda fusè diſſerit Plato 3. *De Repub.* Sic Seneca & Burrus diviſis officiis Neronis pueritiam excolere conabantur.

bantur. Nam hic militaribus artibus curis & severitate morum, Seneca non sapientiæ decretis apud Neronem sed tantum preceptis eloquentię & comitate honestâ pollebat, quo facilius lubricam principis ætatem, inquit Tacitus 13. *Annal.* si virtutem adspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Etenim, scribente Tranquillo, Agrippina illum à Philosophia deterruit, contrariam imperanti dictitans; pessimo sanè consilio. Quomodo enim regenti adversa est scientia regendi? Nisi quemadmodum Plutarchus ait *ad Princip. indoct. cap.* 1. ideo illa Sapientiæ præcepta aversabatur, quòd imperatura imperanti, in ordinem redigant potentiam; Majestatemque dum rationi subjiciunt, minuere videntur. Sed ut pulchrè Plutarchus, ignoravit illa Theopompi Spartanorum Regis prudens consilium, quo primus potestati regiæ conjunxit Ephoros; ne immoderata se ipsam suâ mole premeret & præcipitaret; invidiam, odium, conspirationem accerscens. Reprehendebat id tamen uxor ejus, objiciebatque quod liberis exiguius regnum relicturus esset, quam accepisset: ille verò præclarè respondit, tanto majus id se relicturum, quanto firmius. Et tamen, ait Plutarchus, Theopompus imperio tanquam vasto flumine ad alios derivato, quantum iis dedit, tantum sibi detraxit: cum Philosophiæ doctrina Principi cohabitans, ejusque custos & consiliarius, potentię tanquam obeso nimis corpori majorem æquo vim detrahens, id omne quod sanum est relinquit vindicatque à noxis. Igitur idem Auctor *ibid. cap.* 7. & 8. Alexandrum reprehendit, qui Diogenem Corinthi contemplatus, & admiratione excellentis indolis captus, dixit, optare se Diogenem esse, nisi Alexander esset. Licebat enim, inquit, fortunâ Alexandrum manere, & præstantia animi Diogenem fieri; quæ ipsi vel idcirco magis conveniebat, quod Alexander erat: cui ad magnam fortunam, gravibusque subjectam procellis & fluctibus validiore opus erat gubernatore; Prudentiâ nimitum in ambiguis, magnanimitate in adversis, temperantiâ in prosperis, inque illa licentia & affluentia voluptatum; nam

..... Proclivior usu
In pejora datur, suadetque licentia luxum.
Illecebrisque effrana favet. Tunc vivere castè
Asperius, cùm prompta venus: tunc durius ira
Consulitur, cùm pœna patet: .....

Claudianus 4 *De Consul. Honor.* Spernendum itaque Agrippinæ consilium; & imbuendus Princeps non quidem otiosa & umbratili Philosophiæ subtilitate; sed gravitate ejus & prudentiâ, quâ nempe sui aliorumque notitiam examenque & regimen complectitur: quam Platonis de legibus, & Republica Ciceronis de officiis monumenta (quibus Imperator Alexander cupidissimè inversabatur) Aristotelis de Reip. & Moribus libri explicant; & præcipuè, commendante Lipsio ad 3. *Polit.* 13. *not.* Salomonis & Sirachidis scripta; quæ pietatem spirant, virtutes describunt, prudentiam instillant: & quia à Rege sunt, majore auctoritate. Principis animum subibunt: quemadmodum & illa quæ de vita sua optimus Imperatorum Marcus Aurelius cognomento Philosophus, quæque de rebus à se gestis Julius Cæsar litteris mandarunt. Sunt & libelli Juliani, Imperatoris (exceptâ religione) judicio & virtute egregii. Proxima sunt scripta de Regibus: & præter historias (quas Rempub administranti nunquam de manu deponendas censet Aristoteles) eximiè salutaris erit Plinii Panegyricus, & Xenophontis Cyropedia. Horum omnium proludium ob amœnitatem facilitatemque, tamquam Prudentiæ initiamenta, erunt Apophtegmata Regum Ducumque à Plutarcho collecta, & Traiano Cæsari inscripta, itemque Claudiani ad Cæsarem Honorium carmina parænetica & Agapeti ad Justinian. monita. Enimverò Grammatices, Rhetorices, Poëtices, Logices operosa præcepta ab Institutione Prin-

cipis

cipis removenda; breviſſima & uſui neceſſaria ſolùm admovenda, & in prudentium diſertorumque auctorum ſcriptis illuminanda. Quod ſi ab illis rudimentis vel ætas vel indoles abhorret, vernaculo ſermone erudiantur. Cum verò omnia Moralis Philoſophiæ decreta ad fingendam Principis indolem pertinent: tum ex iis tria præcipuè inculcanda: ex quibus primum eſt, ut noſcant munus & perſonam quam ſuſtinent; adminiſtrationis induſtriâ, non tantum potentiæ ſplendore id cenſeri; ad publicum bonum, non ad privatas voluptates id referri; juſtitiâ non animi libidine id dirigi. Socrates ſola imperandi peritia reges cenſebat. Nam cùm illorum ſit præſcribere agenda: id non competere niſi perito. Sic circa morbos medicum, in navi gubernatorem imperare cetera præſtantioribus Xenop. *lib. 3. memorab.* Superſunt duo admonitionis capita, humanum unum à famæ curioſitate; divinum alterum à ſeveritate æterni ſummique Quæſitoris in acta imperitantium cui rationes reddere olim debebunt. Sic enim Spiritus Divinus denuntiat *Sapient. 6. Duriſſimum judicium in hos qui præſunt exercebitur. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim æſtimabit perſonam cujuſquam Deus, qui eſt omnium dominator, nec verebitur Majeſtatem cujuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura illi eſt de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatus.* Eandem prorſus ſententiam Socrates apud Platonem *in Gorgia circa fin.* profatur: In eorum numero, inquit, qui apud inferos non emendationis, ſed exempli cauſâ puniuntur, plurimi ſunt tyranni Reges, Potentes, Civitatum Præſides: quippe quos licentia in graviſſima & profaniſſima crimina irritare ſolet. Citatque Homerum teſtem qui Reges & potentes æternis iſtic ſuppliciis mancipatos inducit, ceu Tantalum, Siſyphum & Titium: Therſitem verò alioſque privatim malos nunquam finxit ſempiternis cruciatibus ſubjectos. Sciant igitur, non ſibi ſolutam omni jure, liberamque ab omnium arbitrio & cenſura poteſtatem eſſe; Nam ut Horatius ait:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.

Etenim cum Thragico:

Omne ſub regno graviore regnum eſt:
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis Dominus minatur.

Alterum quod propriè Principem ad virtutem alliciat, à probris abſterreat, eſt quod

——— Lux altiſſima fati
Occultum nil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat fama receſſus.

In hanc ſententiam Plinius ad Traianum: *Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur: Principum verò non modò domos, ſed cubicula ipſa intimoſque ſeceſſus recludit, omniaque arcana noſcenda famæ proponit atque explicat.* Argumento ſunt tot ex antiquitate Reges Principeſque, qui vix quicquam tam minutum ex officio inſtinctuque virtutis; vix quicquam tam abditum per fraudem libidinemque patrarunt, quin fama id ſcriptis propagata hodieque ad gloriam aut ignominiam eorum circumferat. Sicuti enim. ait appoſitè Plutarchus *in Polit. cap. 9.* in vultu lens aut verruca conſpectiores monſtrabilioreſque ſunt, quàm reliquæ corporis maculæ aut cicatrices: ſic exigua errata in Principis vita grandia & deformia videntur. Quomodo Athenienſes in Cimone vinum, in Scipione Romani ſomnum culpabant; & in Pompeio tanquam mollitiei ſignum, quod digito uno caput ſcalperet. Itaque contra ſummæ fortunæ licentiam, quæ plerumque indolem Principum convellit, alto fundamento à formatoribus ipſorum animis iſta duo inſtruenda quaſi repagula

aut anchoræ, quibus solis firmari & in officio contineri possunt, ne affectuum & voluptatum fluctibus abripiantur. Nempe accusatores, judicia, pœnas, censores non ut privati Principes formidant; sed ecce duo quę majorem iis quam ceteris sollicitudinem aut servitutem injiciunt; severa & curiosa inquisitio in ipsos quà Numinis, quà Famæ. Neque verò mediocre in fama momentum: meritòque Tiberius *Principibus pleraque ad famam referenda dicebat*, à qua Principis auctoritas vel contemptus, benevolentia vel odium, securitas denique anxietasve dependent. Sed de institutione Principis singulares alii libros scripserunt; & omnium elegantissimè Puteanus titulo *Elementorum Basilicorum*.

CAPUT VI.

De Philosophiæ studiis recto fine dirigendis, vindicandis ab ineptiis, & restituendis splendori pristino.

DE reliquorum institutione ad artes scientiasque pauca quædam differenda adhuc sunt. Studia universa ad Virtutem referenda sunt: quæ vel intellectualis est, oculos mentis ad dispectum veri exacuens & in contemplationem naturæ diffundens & contemplatione Dei illustrans; vel moralis, affectus ad id quod honestum est instigans disponensque. Utraque Philosophiæ subjicitur: quam institutionis & studiorum summam Plutarchus constituit, Bionis sententiâ usus, qui inopiâ ingenii in aliis artibus desidentes, comparabat procis Penelopes, qui cùm ipsâ potiri non possent, ancillis ejus concumbebant. *lib. De educat. cap.* 20. Existimabat igitur liberales Disciplinas Philosophiæ solùm ministras esse. Et sanè si Philosophia totam sibi Majestatem suam vindicet, nihil eâ est opulentius splendidiusque. Namque & in Reipub. formatione jura legesque suggerit & expendit; & in rerum naturæ contemplatione, ad auctorem ejus Principemque Deum attollit. Hodie tamen divortio quodam scientiarum, separatum quasi à Philosophiæ finibus regnum sibi suum vindicant Theologia, Jurisprudentia, Medecina: quarum tamen Sophia partim procreatrix, partim socia, partim auxiliaria existit. Sed omni ævo quædam germana, pura puta Philosophia fuit; alia adulterina, ejusque vana simulatrix: illa quæ virtutem instillaret, Rempub. efformaret, illuminaretque rerum naturam; ista quæ imaginariarum rerum commentis caliginem offunderet rebus ingeniisque & calliditate argutiarum etiam calumnias instrueret, professa, Duce Protagora Platonis Dialogo nobili, etiam artem qua causa inferior evaderet superior. Altera orationis splendore etiam à natura involutas res illustrat; altera vanissimis cavillationibus etiam expeditissimas intricat, nodosque (ut dicitur) in scirpo quærit. Altera modum in præceptis quæstionibusque servat, quia omnia ad usum dirigit virtutis & prudentiæ: altera sine modo vagatur, infinitisque ambagibus implicatur, quia nullam cursûs metam portumque spectat. Sincera igitur illa & pura Philosophia amplectenda; spuria verò & fucata altera exturbanda est: Illa enim in adyta Sapientiæ penetrat; ista in aditu detinet, quem labyrinthi ambagibus implicat. Logicam intelligo, quæ hodie ut nihil est sterilius frugum florumve, ita nihil fertilius spinarum: atque hoc lolium omni ferè philosophiæ permixtum, frugem ejus premit aut enecat. Rectè Clitomachus Logicam lunæ comparabat, ut quæ pariter augescere & decrescere non cessaret: nam eadem inconstantiâ quædam levia ingenia agitat: & ut polypus cirros suos auctos devorat, ita Logici non cessant suas ipsi opiniones mutare & refutare, quemadmodum Carneades dicebat. Tantum abest, quod illorum ars veritatis regulam & perpendiculum subministret; ut, quemadmodum Archesilaus ait, susque deque confundat omnia. Aristo illos qui in hocce studium penetrarent, cancros edentibus com-

comparabat, qui propter exiguum alimentum circa tot testas occupantur. Non ut subtilissimum quicque est, ita utilissimum, aut ad persuadendum aptissimum. Nihil subtilius aranearum telis (quibus argutias istas Ariston assimulat) sed nihil vel inutilius vel imbecillius. Et sanè constat nihil æquè dissolvere eloquentiæ nervos, atque ejus obruere splendorem, restinguere impetum, exhaurire succum, detrahere denique dignitatem, auctoritatem, fidem, apud serios quidem gravesque quàm ad veternosissimi illius (ut Seneca appellat) artificii legem dispositæ ratiocinatiunculæ. Inter quas districtum animum quoque deprimi & comminui affirmat idem Sophus: & Physicis ita demum attolli & levari animum sentit, si non concidantur, nec in subtilitatem istam inutilem distrahantur. *epist.* 65 Eadem à tetiis avocant: *Invenissent*, inquit Seneca 45. de plerisque Philosophis, *forsitan necessaria, nisi & superflua quæsissent. Multum illis temporis cavillatio eripuit & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent.* Præterea eadem levia ingenia ad contentionem calumniamque exacuunt atque armant, sæpe & in religionis aut justitiæ negotio: ut non ineptè in acrem Dialecticum sibi negotium exhibentem Theocritus Homericum illud torserit:

Lis misera pereat inter homninesque Deosque.

Neque verò subtilitatis hoc artificium vel ad illos ipsos contentiosos redarguendos utile est: id enim perinde est, censente Antisthene, ac si quis mederi insano conetur vicissim insaniendo: docendos enim potius sincerè graviterque tales censet. Vide Stobæ *sermon.* 82. Neque ignoto quid ex adverso obtendatur. Tentant (inquiunt etiam Senecæ verbis 5. *De Benef. cap.* 12. acumen animorum & intentionem excitant hæc quæ videntur callida & insidiosa; torporem ac segnitiem ingeniis auferunt: quibus modò campus in quo vagentur struendus est, modò creperi aliquid & confragosi objiciendum per quod erepant, & sollicitè vestigium faciant. Et, ut alibi 3. *Natural. in princip.* ait, in difficilioribus exercitata subtilitas in apertis non erit deterior. Primò constat Senecam loqui de modica & perfunctoria exercitatione per logicas subtilitates. Deinde nec illud concesserim, illis tricis agitatum ingenium fore expeditius in materia benigniore. Neque enim Poëtæ, idcirco quòd versuum legibus modulisque insuevêre, profluentiores sunt in oratione libera; sed è contrario ob id ipsum ad eam minùs apti. Magisque quàm superflua Logica ad agitationem & acumen ingeniorum Geometria conduxerit. Quintil. *lib.* 1. *cap.* 18. Ego Logicam facultate magnam, præceptis exiguam puto; magisque exercitatione, sed in materia quæ hanc curam meretur, atque observatione prudentium Auctorum vigêre. Aptâ sanè imagine agri, partes Philosophiæ singularumque dignitatem Stoïci expresserunt, Logicam comparantes sepimento, Physicam terræ & stirpibus, Ethicam fructibus. Iterum Civitati eam componunt, ut mœnia repræsentet Logica, ipsos cives Physica, leges verò & instituta Ethica. Denique & ab animali similitudinem mutuati, ossibus & nervis componunt Logicam, sanguini & carni Physicam, animæ Ethicam. Logica infima, Princeps ubique Ethica. Præcipua igitur cura erit Ethices; huic enim ut animæ reliqua tanquam corpus serviunt. Proxima opera Physicæ impendetur, sed ex dignitate Naturæ rerum explicandæ, remotis iterum logomachiis sive nimiis & ad Logicam redeuntibus minutiis. Nam si evagari in ea lubet, uberrimos nec ab usu remotos campos Scriptores rei rusticæ, aut historiæ animalium exhibebunt. Habet sanè Physica multa futura usui: ut Seneca ait 6. *Natur. cap.* 4. veluti ad rem militarem (vide Quint. *lib.* 1. *cap.* 18.) ad sanitatem corporum, aut fœcunditatem terrarum adjuvandam: sed præcipuum Seneca putat quod animum attol-

attollit, qui ex tractatu cœlestium rerum aliquid ætheræ auræ capit. Enimverò imagines quas recensuimus illud ostendunt, quod Physica nutrimentum Ethicæ suggerat: illa enim terra cum stirpibus, hæc fructus inde frugesque; illa sanguis & spiritus, ista verò anima. Itaque non rectè Socrates Physicam rejiciebat, ut Xenophon quidem censet *lib.* 1. *De Socra.* Platonem perstringens, qui eum de ea differentem induxit: apud Stobæum *serm.* 80. quanquam eadem Aristonis & Epicteti sententia, omnem sapientiam Ethicæ vindicantium. Stobæus *ibid.* Etenim magnitudo animi oritur ex notitia rerum naturæ, & sui, portionis rerum naturæ eximiæ: nihil enim haber, inquit Seneca, Natura inter maxima operum suorum, quo magis glorietur, aut cui glorietur. Condidit enim hominem, & in hunc mundum induxit, inquit Epictetus, ut spectatorem testemque & præconem operum ejus. Itaque etiam ad pietatem, id est notitiam admirationemque & laudem tanti artificis dirigenda Physica. Quæ eadem & despicientiam rerum humanarum modestiamque gignit, æstimanti ex comparatione cœlestium quantilla sint in quæ ambitio atque superbia & avaritia luxusque insaniunt. Seneca 1. *Natur. in præfat.* Cicero 4 *De finib.* Sic Lucretius, sic Seneca, sic Plinius rerum naturam scrutantur; sanando, inquam, & reficiendo animo. Seneca *Ep.* 65. & 121. Ait enim ille identidem:

Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est
Non solis radii nec lucida tela diei
Discutiant; sed naturæ species ratioque.

Itaque de dissensu Stoicorum *apud Laert. in Zenone* circa ordinem docendi Philosophiæ partes, sic statuo, Logicam, sed moderatam, simul cum Rhetorica loco auspiciorum esse debere: conjungendæ enim omnino sunt, ut ab altera orationis corpus ratiocinationum nervos, ut sic dicam, & ossa accipiant; ab altera sanguinem & colorem: nam animam ei reliquæ partes Philosophiæ suppeditant: & placet ex his Physicam pariter cum Ethica tradi ob cognationem utriusque. Non rectè enim illa postremò tradatur: amœnitatis namque illecebra allicit teneros adhuc animos & excitat & fovet; & ingenii magis acumine indiget, quam judicio, quod serius & abusu demum exsurgit, & in Ethicis quidem, sed præcipuè in Politicis necessarium est. Tertiò igitur loco Politica cum historia explicabitur, ut præcepta illa exemplis illuminata habiliora ad usum sint. Nec dixeris, confundi animum ac fatigari, si plures disciplinæ eodem tempore ei ingerantur. Etenim ea est humani animi agilitas, ut facilius in plura se dispenset, quàm unum aliquid assiduè premat. Reficit ac reparat animos varietas, idque efficit, ut quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes simus ad id quod incipimus, ait pulchrè Fabius *lib* 1. *cap. ult.* Sic ciborum quoque diversitate reficitur stomachus; & pluribus minore fastidio alitur. Quemadmodum autem reliquas Philosophiæ partes ad Ethicam & Politicam referimus, ita hæ ipsæ ad virtutem prudentiamque conferendę sunt, non verò ad scientię meram voluptatem, disputandique subtilitatem convertendę. Transfundenda illa ab ingenio & memoriâ sunt in animum moresque, mox etiam in actus proferenda, & operibus experienda, approbanda, confirmandaque. Ac rectè Macedo Philosophus pro foribus omnium templorum censebat scribendum Pacuvii hunc versum:

Odi homines ignavâ operâ, Philosophâ sententiâ.

Agell. 13. *noct.* 8. Nulla est fœdior harmonię perturbatio, quàm si mores à scientia, facta à dictis discrepent. Vide Maxim. Tyr. *disser.* 15. Cleanthes interrogatus, cur olim plures Sapientes evasissent in pauciore philosophantium numero, quam modò in tanta turba? Quia, respondit, nunc verba, tunc res ipsas exercebant. Stobæ. *serm.*

18.

82. Etenim scientiam quidem agendi quæ virtus probet Ethica tradit; sed facultatem expeditè, constanter, & lubenter eadem agendi ipse usus perficit, id est actionis assiduitas. Aristot. 2. *Eth.* 1. Disputationibus, aut differentium auditione tenus philosophantes, comparat Aristoteles ægris, cum medico quidem consilia participantibus, sed nihil eorum quæ in remedium placuêre applicantibus corpori: nam ut his medicina, ita illis philosophia inutilis est. Arist. 2. *Eth.* 4. Usque speculum supervacuum est nunquam id contemplanti; ita doctrina de moribus ei, qui eam ad se non refert, ut se examinet & noscat. Et quemadmodum inspexisse speculum parum est, nisi quod in habitu indecorum ostendit refingatur: ita nec satis est ex Ethices regula sese expendere, sed necesse est ei affectu, proposito, actionibus ipsis se conformare. Etenim, ut in proverbio est, absconditæ musicæ nullus est fructus. Sed ad hoc quæ studiorum ratio conducet? Imprimis hoc ipsum identidem testandum monendumque docenti est. Deinde inversandum auctoribus non iis solum qui nuda virtutum præcepta, quæstionesque explicant, ut Aristoteles ferè; sed & iis vel maximè qui hortamenta jungunt, & instinctum affectibus inspirant, ut Plato, Plutarchus, sed præcipuè Seneca. *Quorundam scripta*, inquit ipse *epist* 64. *clarum habent tantùm nomen, cetera exsanguia sunt: instituunt, disputant cavillantur: non faciunt animum, quia non habent. Cum legeris Sextium*, inquit, *dices: vivit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciæ.* Sed quod Sextio tribuit Seneca, ad ipsum non immeritò retuleris: qui non tam eloquentiâ, quàm incantamentis quibusdam influere in animum videtur, nec tam scientiam, quàm spiritum ipsum virtutum infundere. Nec quicquam eo ad persuadendum instigandumque efficacius, post eloquium quidem divinum, quod meritò igneum, & gladio omni penetrabilius dicitur, & cujus limâ & Ethica & Physica perfici & expoliri debent. Hoc igitur quoque observandum, pariterque illud, ne quasi in sectam aliquam juretur, sed ex omnibus quod optimum est eligatur: hæc erit secta electiva, quam, scribente Laërtio, olim orsus est Pittamon quidam. Hac ratione cùm ad usum referentur omnia, dilectus brevitatem faciet præceptionum: illi enim modum omnem excedunt, qui non prudentiam, sed doctrinam; non fructum & conscientiam virtutum, sed ipsam scientiam quasi finem ponunt. Non immeritò Eudaimidas dicterium in tales torqueatur. Is enim cum Xenocratem jam senem scrupulosè de definitione virtutis in publico auditorio & dissertatione inquirentem audiret: Et quando, inquit, virtute fruetur, qui hoc ætatis eam adhuc quærit? Plutar. in *Apophteg*.

CAPUT VII.

Politicam usu & historiâ perfici: hæc quomodo explicanda?

Politica quoque ad brevitatem redigenda, quia & fructus ejus in usu, & consummatio ab usu est. Nam quod Afranius de Sapientia dixit:

Usus me genuit, mater peperit memoria;

Agellius *ubi sup.* id ad illam potissimùm pertinet. Sed cùm usus ille & experimenta literis consignata, & in formam artis, perpetuâ methodo, redditis etiam singulorum rationibus, digesta constituant Politicam; eâ instructus accedere ad experimenta quis debet; quia per eam de eventibus judicare poterit (id facit rationum subductio) eosdemque faciliùs memoriæ mandabit; (id facit constans ordo locorum, ad quos singula referat) sed & quod usui deest, (cùm aliquo saltem usu expeditiorem facultatem artis sibi fecerit) ex præceptis supplebit & exemplis. Etenim in vicem experientiæ historia succedit. Hujus beneficio, ut Maximin. Tyrius differit *Sermone* 12.

fine labore ullo passim divagamur, omnes simul terrarum tractus intuemur: omnibus bellis sine periculo inversamur, infinitum temporis spatium contrahimus, nobisque anteacta secula repræsentamus, immensam rerum gestarum seriem oculis subjiciendo; & Assyriorum, inquam, Ægyptiorum, & Persarum, & Medorum & Græcorum. Bello nunc terrestri, nunc navali, nunc concionis mediæ consiliis interesse videmur; cum Themistocle in mari, cum Leonide in terra pugnare; cum Agesilao trajicere, cum Xenophonte incolumem redire; amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari. Quod si sapiens ea ex causa Ulysses censetur, quòd experiens vir esset,

Multorumque hominum mores lustrasset & urbes,
Dum sibi dum sociis reditum pariterque salutem
Apparat.....

multo sapientior est, qui extra periculum historiæ adminiculo tanto plura perlustrat. Charybdin videbit, sed sine naufragio: Sirenas audiet, sed sine vinculis: cum Cycople aget, sed miti & pacato. Et si eo nomine felix censebatur Perseus, quod passim alarum beneficio vagaretur, omnem terræ situm habitumque contemplans: multo sublimiùs effert, multo latiùs circumfert historia; nec superficiem tantùm rerum, ac personarum, sed origines, causas, ingenia, mores, consilia subjicit oculis. Historia est, quę memoriæ beneficio immortalitatem quandam generi humano machinatur, fluxo alioqui & fragili: hæc enim virtutes ejus ab oblivione id est interitu vindicat, laboresque egregios dulcedine gloriæ solatur & excitat. Hæc egit, ut Leonides non ab ejus tantum ævi Lacedæmoniis, nec ab Atheniensibus tantum sui seculi Themistocles celebrentur. Manet etiam nunc Periclis imperium, manet Justitia Aristidis: Critias adhuc pœnas luit, Alcibiades adhuc in exilium abit. Sed quia, ut idem Maximus ait, historia promiscuè honesta & turpia, salutaria & noxia temerè gesta & salubriter consulta exhibet; placet eum eâ conjungi Politices studium, quæ omnia illa tanquam Lydius lapis examinat & decernit: quanquam enim ipsi Historici nobiliores id tentent, agunt tamen id quasi in transitu breviterque, ita ut non nisi politico oculo censura ipsorum appareat: in qua parte admirabile est Taciti acumen & judicium, quod quidam etiam latiùs & apertiùs interponunt, ut Polybius, ejusque occulta quadam naturæ conspiratione similis Cominæus, Plutarchus, Procopius. Rarius verò arbitrum agunt Xenophon, Thucidides, Cæsar, Tranquillus, Guichardinus, nuda ferè gestarum rerum narratione contenti. Sed etiam qui judicium promunt, plerique, ut dicebam id ita strictim & occultè (ne contextus narrationis interrumpatur) agunt, ut omnino Politicâ explicatione indigeant. In exemplum sumamus principium Taciti Annalium de Augusto Monarchiam sibi vindicante & firmante: *Posito*, inquit, *Triumviri nomine, Consulem se ferens, & ad tuendam plebem Tribunitio jure contentum, ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim munia Senatus, Magistratuum, Legum in se trahere: nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent; ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur; ac novis ex rebus aucti, tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa mallent.* Hæc cùm ruditer contemplantibus expositio quædam videatur initiorum principatus Augusti; politico oculo tot decreta politica, quot verba apparent. Nam prima illa verba *Consulem se ferens, & Tribunitio jure contentum;* insinuant illa quę Simulacra Reipublicæ appellantur, cum ad placandum populum, nominibus Priscorum Magistratuum libertas adumbratur, occultè Monarchia invisa stabilitur,

bilitur. Jam arcana stabiliendæ dominationis ostendit, *dum milites congiariis* & donis, populum liberalitate & facilitate frumenti, reliquos suavitate pacis concilliatos ait. Nam ad primum quod attinet, non temerè Aristoteles dixit, illum in Republica prævalere penes quem exercitus sunt. De secundo Lucanus in Julio Cæsare ait:

Gnarus & irarum causas, & summa favoris
Annonâ momenta trahi. Namq; asserit urbes
Sola fames, emiturq; metus cum segne potentes
Vulgus alunt......

De ultimo constat: id firmissimum imperium, quo obedientes gaudent: id facit dulcedo, ut Tacitus loquitur, otii, si nempe non alia imperii facies, quàm sereni cœli ac nitentis. Quod addit deinde *insurgere paulatim:* unico verbo politicum dogma attingit; Reipublicæ statum non esse uno momento aut impetu convertendum, sed gradatim & pedetentim. Apertius Dio de eodem Augusto: non statim, inquit, quę destinaverat, executus est; diffidens de successu, si subitò retingere quasi universos vellet: sed quędam ex tempore disposuit, quędam rejecit in tempus. Quod subjungit Tacit. *Munia Senatus, Magistratuum, Legum in se trahere;* descriptio est potestatis monarchicæ, nempe arbitrum supremum omnium esse, & non modò ex legibus, sed ipsis interim legibus imperare. Quod dicit denique (stringam enim quæ dilatari possunt) Nobiles principatui concedentes opibus & honoribus amplificatos; insinuat, melius, ut Seneca ait, beneficiis imperium custodiri quàm armis. Dionysius Tyrannus cùm in cubiculo filii magnam congeriem animadvertisset poculorum ex auro & argento, quibus eum per intervalla donaverat: non est, dixit, in te capax regni indoles, qui nondum inde quemquam tibi devinxisti. Plutar. *in Apoph. græc.*

CAPUT VIII.

De liberalibus artibus.

De sapientiæ disciplinis egimus: sed sunt præterea quædam quæ liberales artes, quod libero homine dignę sunt, itemque humanitatis studia, quod hominem præcipuè excolunt & ad illam humanitatem erudiunt quæ dexteritas ac benevolentia promiscua erga omnes homines definitur. Agellius in *Noctib. Att.* De quibus tamen quæritur, negligendane sint, an colenda & fovenda in Repub.? Illud enim non Epicurus modò, sed & Zeno in principio Reipub. suę tradidit: pertinere enim ea tantum ad otiosam oblectationem aut ostentationem vanam: certè nihil ad virtutem conducere liberales artes singulas examinando atque elevando Seneca disputat *Epist.* 88. Adeoque Plato 2. & 3. *De Repub.* diffusè sententias Poëtarum examinans Homerum à sua quam instituit Repub. arcet, tamquam qui fabulis suis suaviloquentiâ blandientibus indignas de divinis opiniones civium animis paulatim instillet. Quid, quod & falsis de petendis fugiendisque præsumptionibus mentes corrumpant. Accedunt, inquit Seneca *Epist.* 115. carmina Poëtarum, quæ affectibus nostris facem subdant, quibus divitię velut unicum vitæ decus ornamentumque laudantur. Nihil illis melius nec dare videntur Dii immortales posse, nec habere. Nec apud Tragicos, inquir, desunt, qui lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam mutant.

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.
An dives, omnes quærimus; nemo an bonus.
Non quare & unde: quid habeas tantum rogant.
Ubique tanti quisque quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Bene moritur, qui dum moritur lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum,
Cui non voluptas matris, aut blanda potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cælitum atque hominum
movet.

Neque movet, quod multa & penes Poëtas sint, quæ ad pretium virtutum, ad odium vitiorum, contemptum fortuitorum affectibus ingenerandum tendunt: nam salutaria à deterioribus discernere, non est puerorum & discentium, sed sapientium judicioque jam recto fundatorum. Verumtamen neque Epicuri desidia, neque Zenonis rigiditas probanda est: sed dicendum est, utiles & necessarias esse in Repub. artes liberales; dummodo, ut Seneca docet *Ep.* 88. rudimenta sint, non opera, animumq; ad alteriora præparent, non verò detineant quasi sirenum cantu delinitum. Etenim ut in opipara & omnibus dapibus variegata cœna, qui solis bellariis se expleverit, neglecto solidiore cibo & ad alimoniam valetudinemque pertinente, pessimè sibi consulerit; ita qui neglectâ Sapientiæ salubritate totum se levioribus & voluptuariis artium liberalium studiis dediderit. Et Plato quidem non ab omni Repub. Homerum excludit, sed ab illa demum quam ut ideam perfectæ Politiæ, tantum contemplationis suavitate tenus exstruxit, ut latè Maximus Tyrius disserit *Sermone* 7. Enimverò prima puerorum ad Eloquentiam adeoque ad prudentiam virtutemque institutio à Poëtis ducenda, ut & Horatius indicat:

Os tenerum pueri balbumque Poëta figurat:
Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem.
Mox etiam pectus præceptis format honestis;
Asperitatis & invidiæ corrector & iræ.
Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur & ægrum.

Adeòque idem Horatius censet, Homerum quid utile aut noxium, quid honestum aut turpe melius ipso Chrysippo & Crantore describere: exemplis enim quasi in rem præsentem adducit. Sic tota Ilias

Stultorum Regum & populorum continet æstus.
Rursus quid virtus & quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem

in altera operis parte. Eadem est Plutarchi opinio, semina omnium quæ in Philosophia sunt in Homero accuratè demonstrantis *lib. De Homero.* Eadem Maximi Tyrii *serm.* 16. sententia, qui Homericæ Musæ alumnum nominat Platonem, quippe qui ex hoc fonte non orationis modò ubertatem, sed & sententias ac decreta plurima derivaverit, veluti dum Jovem introducit, qui alato invectus curru, Deorum (id est Geniorum) ducit agmen: quæ imago (nec enim aliter interpretandum) & Sacris Litteris placuit. Idemque auctor *Dissert.* 29. Poëticam definit Philosophiam tempore vetustiorem, harmoniâ metricam, argumento fabulosam: hæc enim primis temporibus, simplices integrosque animos, sine supercilio & severitate, ut nutriculæ alumnos suos suavitate fabularum musicâ temperabat, componebatque affectus ad ordinem & harmoniam: quarum interpretatio tanto fideliorem pretiosioremque doctrinam tradebat mentibus, quòd eam tanquam à se inventam amarent ut propriam; æstimarent ut reconditam, & profanis inaccessam. At Seneca *Ep.* 88. his refragatur, negans Homerum Philosophum, aut certè non carminibus evasisse talem: quæcunque enim ex illo opiniones excerpuntur tanquam philosophicæ, ab eodem destruuntur, quippe alibi contrarias afferente: quandoque enim suffragari Peripateticis videtur, tres bonorum gradus distribuens; aliàs Stoicis, solo honesto bonum omne circumscribens, idque in persona Ulyssis, ipsi immortalitati præponens; nonnunquam in Epicuri castris esse videtur, Voluptatem summi boni laudibus exornans. Et sanè rectiùs æstimare videntur qui Eloquentiæ, quàm qui Philosophiæ principatum Homero deferunt, ut Fabius *lib.* 10. *cap.* 1. Hic enim, inquit, quemadmodum ex Oceano dicit ipse amnium fontiumque cursus initium capere; omnibus Eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Dicendum igitur est, elementa tantùm & semina Sapientiæ in Homero aliisque Poëtis esse; atque etiam

etiam iis contraria ſparſim occurrere, idcirco quod Poëſis non tam honeſtum ſpectet, quàm decorum; id eſt perſonis ſingulis aptum congruenſque, quas diverſas introducit; ſapientes & ſtultos, bonos & improbos, conſultos & temerarios, beneficos & noxios: oblectationem enim petit, quæ à varietate gignitur & imitatione, cujus artificio jucunda fiunt & pulcra, quæ ſi reverà acciderent turpia & abominanda eſſent. Eſt enim Poëſis pictura loquens; ut pictura Poëſis muta. Hæc cùm ita ſint; non temerè Plato 3. *De Repub.* Poëtas quà perturbatos animos acriùs imitantur inſalubres teneris mentibus putat: & quiſquis diu ſtudioſè aliquid imitetur, eum in naturam ejus tranſire. Unde minùs probandum, juvenes tragœdos agere. Porrò ita utiliter explicabuntur Poëtæ, ut præter Eloquentiam (ab iis enim ſublimitas & vigor & ornatus orationi præcipuè conciliatur) ſententiæ ipſorum ducantur ad initiamenta quędam Philoſophiæ; honeſtas enucleando, dilatando, inculcando. Etenim, cenſente ipſo Senecâ *ep.* 108. ſalutaria præcepta verſibus incluſa efficaciùs penetrant in animos imperitorum. Nam (ut dicebat Cleanthes) quemadmodum ſpiritus noſter clariorem ſonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis anguſtias tractum, patentiore noviſſimè exitu effudit: ſic ſenſus noſtros clariores carminis arcta neceſſitas efficit. Eadem negligentiùs audiuntur, minuſque percutiunt, quamdiu ſolutâ oratione dicuntur: ubi acceſsêre numeri, & egregium ſenſum adſtrinxêre certi pedes, eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa torquetur. Et ſpecimen aliquod dat hujuſmodi ſententiarum;

Deſunt inopiæ multa; avaritiæ omnia.
In nullum avarus bonus, eſt in ſe peſſimus.

Igitur ut apes floribus ad mellificium, medici ad remedia utuntur, quibus fruuntur alii ad oculorum aut odoratus ſterilem voluptatem; ita Poëſis ex qua pleriquę oblectationem tantùm petunt, ita demum utilis erit, ſi explicatione & judicio ad primitias Philoſophiæ convertatur: idque & in aliis ſimilibus ſcriptoribus præſtandum eſt: Seneca *d. epiſt.* 108. inſunt enim & iis ſententiæ Philoſophicis pares, ut Seneca ipſe teſtatur *epiſt* 94 Mar. Agrippa, inquit, vir ingentis animi, qui ſolus ex his quos civilia bella claros potenteſque fecerunt, felix in publicum fuit, dicere ſolebat, multum ſe huic debere ſententiæ: *Nam concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur.* Hâc ſe, aiebat, & fratrem & amicum optimum factum. Quo igitur pacto negabat Seneca, liberales artes virtuti conducere *in epiſt.* 88.? Nimirum Poëtæ ſimileſque auctores non ſuo jure hæc talia tradunt, ſed à Philoſophis mutuati: verùm non rarò magis afficiunt altiùſque penetrant adoleſcentulos quàm Philoſophorum decreta: quemadmodum Philoxenus Poëta dictitabat, carnes ſuaviſſimas eſſe, quæ carnes non ſunt; piſces, qui piſces non ſunt, ut Plutarchus ait *De Poët. audien. cap.* 1. non enim, inquies, Æſopicas tantum Fabellas, & poëtica argumenta, ſed & Heraclidis Abarin, & Ariſtonis Lyconem, inque his ſententias de anima fabulis permixtas legentes, quaſi cęleſti quodam mentis inſtinctu non ſine voluptate excitantur; talia ſunt Heliodori de amoribus Charicleæ, & qui illum nuper etiam ſuperavit Barclaii Argenis: hęc igitur, & Æſopi fabulę nitido & facili carmine à Phędro Auguſti liberto deſcriptę, utiliſſima ſimul & jucundiſſima adoleſcentiæ primæ fuerint rudimenta ſapientiæ. Igitur eo modo & fine Poëtæ utiliſſimè explicabuntur. Sed habent & noxias mentibus & moribus ſententias. Remedia ſive antidota ſingulari libro Plutarchus Platonem in 2. & 3. *De Repub.* imitatus ſuggeſſit; ea adhibenda ſunt. Inprimis enim circumſpiciendum an non idem Vates contrariam & melioris notæ ſententiam ſuggerat, id quod in tragœdiis ſæpiſſimè evenit. Verbi gratia apud Tragicum noſtrum hoc aliquis effatur exitiale

Regibus decretum *in Thyest.*

...... Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona sunt: quà juvat Reges eant.

Sed ibidem aliud opponitur:

.....Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.....

Hoc igitur inculcandum, & rationum vel potiùs exemplorum pondere stabiliendum. Memorabitur Dionysius Senior, à quo filius increpitus ob adulterium, interrogatusque ecquid tale in patre vidisset? Cum respondisset: atqui tu non habuisti patrem Regem: tunc ille nec tu filium Regem habebis, si sic pertrexeris: exitusque depulsi ob immanitatem regno approbavit vaticinium patris. Plutarchus in *Apop. græc. cap.* 22. Sed plerumque ingeniosæ nequitiæ decreta penes Poëtas sunt, sine contrariarum sententiarum amuleto: tunc igitur ex aliis Poëtis excerpendi qui opponantur versus. Verbi gratiâ apud Lucanum quidam dicit:

Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit; evertitque arces respectus honesti:

suadens nimirum Ptolomæo Regi ut Pompeium ex acie Pharsalica ad ipsum fiducia meritorum suorum & amicitiæ confugientem, occidi jubeat, in gratiam Cæsaris victoris. Objicienda nimirum erit sententia proximè ex Tragico nostro citata: itemque Silii versus:

...... Dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquere amici,
Non illi domus aut conjux aut vita manebit
Unquam expers luctus lacrimæque: aget æquore semper
Ac tellure premens; aget agrum nocte dieque
Despecta ac violata fides ......

Sic dum occurret: *si violandum est jusjurandum, regnandi causâ violandum est:* refutabitur allatis iterum Silii versibus *lib.* 13.

Fœdera mortales ne sævo rumpite ferro,
Sed castam servate fidem: fulgentibus ostro
Hæc potior regnis........

Sic dum occurret:

Oderint, dum metuant:

ostendendum ex adverso Claudiani carminibus, benevolentiam ad securitatem, & moderationem animi ad auctoritatem obtinendam esse valentiora quàm terrorem ab armis & suppliciis:

Non sic excubiæ, nec circumstantia tela,
Quàm tutatur amor.....

Itemque:

.... Peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit; mandataque fortius urget
Imperiosa quies.....

Sic contra versus suprà positos quos Seneca ex Euripide adduxit; probandum non in divitiis, sed earum consulto usu felicitatem esse; non in fortuna, sed in virtute, non in prospero externarum successu rerum, sed in magnitudine animi, qui calamitatibus non frangitur sed instigatur: auctoritate Horatii:

Non possidentem multa vocaveris
Rectè Beatum: rectiùs occupat
Nomen Beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet;
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Si inciderit Poëtæ sententia alicujus, ut solet, de fortunæ potentia, veluti illa quæ etiam Theophrasto imposuit:

Vitam regit fortuna, non sapientia:

Opponenda erit proverbialis gnomæ:

Sui cuique mores fortunam fingunt;

Itemque Juvenalis:

Nullum Numen abest, si sit Prudentia, sed nos
Te facimus Fortuna Deam cæloque locamus.

Eâdem censurâ Doctori in aliorum explicatione Scriptorum utendum est. Nam & in Historiis offerunt se sæpe decora magis quàm vera decreta: verbi gratiâ quidam apud Tacitum 15. *Annal.* similem ei quam suprà de Tragedia Senecæ attulimus effutit sententiam: *Sua retinere, privatæ domus; de alienis certare, Regiam laudem esse.* Hæc igitur refellenda, & opponendum Dionysii Halicarnassei scitum, qui de Romanorum Justitia agens, æternâ naturæ lege fixum ait, ut Rerumpub. imperia perpetuò ab injustè dominantibus transferantur: Id quod Syracides divi-

divinitus instinctus tanto ante edixit *Eccles.* 10. Regnum, inquiens, à gente in gentem transfertur, propter injustitiam & injurias & contumelias & diversos dolos. Hac ratione, ut Plutarchus differit *cap.*68 *De audiend. Poët.* obtinebitur, ut à teneris gustu quodam Sapientiæ imbuta juventus magis concilietur Philosophiæ decretis: non enim jam ut peregrina & austera ea aversabitur; quod contingeret, si nullo judicio præculta, omnisque talis auditionis vacua subitò in ea incideret; præoccupata præjudiciis opinionum, quas ex avia & nutrice hausit de felicitate, & bonorum malorumque finibus. De quibus Seneca ad Lucilium *Epist.* 60. *Etiamnum optas quod tibi optavit nutrix tua, aut Pædagogus, aut mater? Nondum intelligis quantum mali optaverint?* Et quæ illa? Felicitatem vanam, ventosam, intemperantem, insolentemque, & veræ beatitudinis contemptricem; corporis voluptates immodicas, & quæ animi voluptates suo sensu obruant & extinguant; divitias immensas, & cum injustitia conjunctas; potentiam excelsam, sed lubricam impotentiâ animi, & invidentiâ præcipitem, & fastigio suo attonitam, quietisque & otii nunquam compotem. Describit & irridet hujusmodi vota Persius, apud quem nutrix alumnum tenerum iis onerans,

..... Spem macram divite voto,
Nunc Licini in agros, nunc Crassi mittit in ades.

& addit:

Hunc optent generum Rex & Regina, puella
Hunc rapiant: quicquid calcaverit hic rosa fiat.

Igitur si his de beatitudine opinionibus imbutus ad studium sapientiæ accesserit, inquit Plutarchus, ubi omnia iis repugnantia audiet, stupebit & consternabitur ad tantam rerum novitatem. Igitur non statim luci Sophiæ ut claro soli ingerere oculos debet, diu quasi cimmeriis tenebris adsuetos, sed prius exercendi in luce umbris temperata, nempe in Poëtis similibusque Scriptoribus. Istic enim si Thespidis illud legerit:

Viden ut ob hoc Deûm sit princeps Jupiter,
Mendacio fastuque, & risu quia vacat
Stulto, voluptatemque solus omnium ignoret!

faciliùs apud Platonem intelliget & assentietur, quod procul à voluptate & dolore locatum est Numen. Sunt enim passim apud Poëtas paria Philosophicis decreta: sed quia condimento fabularum exuunt severitatem præcipiendi, faciliùs teneros animos subeunt & hærent. De Rhethorica & Dialectica & Grammatica non est quod sim prolixior: jam ante enim de iis egimus. Utiles sunt, si præparant, non occupant; si nempe ad finem suum referantur, qui est Eloquentia: quæ ipsa ita demum utilis est, si ut corpus censeatur, cui animam Philosophia præstet. Corpus hoc sanitatem accipit à Grammatica, pulcritudinem ab Rhetorica, vires à Dialectica: illa enim emendati, ista ornati, hæc denique probabilis eloquii regulas tradunt. His finibus si diriguntur, ad brevitatem redigentur. Sequitur inter liberales artes Musica, quæ antiquissima disciplinarum, & quasi à natura ad fallendos leniendosque labores singulorum, non modò in quos plures præeunte aliquo conspirant data, antiquitus Grammaticæ quasi connexa erat. Sed & magis serium usum habet in sacrificiis, itemque in bellis ingens militaris alacritatis instigatio. Itaque & Politicæ conjungi videtur: scribitque Polybius, quibusdam gentibus exuendæ ferociæ à victore Musices studium imperatum fuisse. Namque hoc sensu antiquitas tradidit, Orpheum hac dulcedine non feras modò, sed sylvas & saxa delinita traxisse; quod nimirum etiam agrestes animos admiratione hujus voluptatis captos mitigaverit. Pytagoras quoque Musicam Ethicæ conjungebat, ad quosdam affectus temperandos lyrâ utens, Plutar. *De virtut. moral.* Jam & Eloquentiæ hanc artem Fabius *lib.* 1. *cap.* 17. conjungit, tanquam adminiculum concinnitatis in compositione & pronuntiatione: citatque Platonem, qui

qui Politico eam necessariam censet; itemque Stoicos qui moderatiùs, & meo judicio rectiùs, nonnullos sapientum aliquam operam huic studio accommodaturos aiunt. Rectè inquam, ut si genius cujusquam eò ducit, is modicè id delibet, & cum Grammatica conjungat; quemadmodum & Arithmeticam. Geometria Dialecticę, Astronomia Physicæ sociari ab agilioribus ingeniis poterit (Vide Max. Tyrium *dissert.* 21.) sed cum temperamento. Atque hæc sententia erat Socratis apud Xenoph. *lib.* 4 *memorab.* Iterum enim testandum est, liberalia studia hactenus fructuosa esse, si accessio sint ipsis Sapientiæ, id est vel instrumentum, vel ornamentum: tantumque paucis permittendum in una aliqua artium harum, ad quam propitio & proprio genio ducuntur, curiosâ industriâ subsistere, sive ad instituendum alios, sive ad exhibendum Reip. usum, verbi gratiâ in metiendis agris cum de finibus regundis, aut computando cum de rationibus dispungendis perplexæ ambiguitates existunt.

CAPUT IX.

De Peregrinatione.

AD excolendos animos conferre quoque Peregrinatio videtur: quamvis de eo in utramque partem disputetur: quibusdam existimantibus tot hominum & nationum commercio mores infici; & peregrinitatem quandam hinc in patriam redundare; tantâ locorum mutatione curiositatem quidem pasci, sed & excitari, atque hinc desidiam levitatemque subrepere, non verò seriam acquiri prudentiam, quę laboriosè sed utiliter intendere negotiis animum sciat; tempus & opes prodigi, interim & valetudinem inexperto aëre tentatam labascere. Seneca ab hac parte stare videtur *epist.* 104. Quid per se, inquit, prodesse Peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperavit, non cupiditates refrænavit, non iras repressit, non indomitos amoris impetus fregit; nulla denique animo mala eduxit, non judicium dedit, non excussit errorem: sed ut puerum ignota mirantem, ad breve tempus rerum aliqua novitate detinuit. Ceterùm inconstantiam mentis, quę cum maximè ægra est, lacessit & mobiliorem levioremque reddit ipsa jactatio. Itaque quæ petierant, cupidissimè loca, cupidius deserunt; & avium modo transvolant, citiusque quam venerant, abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium formas ostendet, inusitata spatia camporum & irriguas perennibus aquis valles, & alicujus fluminis sub observatione naturam: sive, ut Nilus ęstivo incremento tumet: sive, ut Tigris eripitur ex oculis, & acto per occulta cursu, integrę magnitudini redditur: sive, ut Menander, Poëtarum omnium exercitatio & ludus, implicatur crebris anfractibus, & sæpe in vicinum alveo suo admotus; antequam sibi influat flectitur. Ceterùm neque meliorem faciet, neque saniorem. Inter studia versandum est, & inter auctores Sapientię, ut quę sita discamus, nondum inventa quæramus. Eandem sententiam & alibi exprimit, *Ep.* 28. Socratem allegans, qui cuidam querenti quod tot varietatibus locorum non discussisset tristitiam gravitatemque mentis: *Quid miraris*, inquit, *Peregrinationes tibi non prodesse cum te circumferas?* Hæc igitur Senecæ sententia est, sed æquo rigidior. Dicendum itaque Peregrinationem ita demum prodesse, si non fortuitò, sed judicio instituatur. Primò enim persona peregrinaturi contemplanda, an apta aut matura fructui peregrinationis: etenim ex certo fine & prudenti itinere dirigenda. Nam qui solam oblectationem & curiositatem spectat, non alium fructum reportabit, quàm quem Seneca insinuat. Finis igitur esse prudentia debet, id est peritia rerum hominumque & locorum, sibi aut Reipub. suæ pace aut bello futura usui. Non igitur in vete-

rum

rum sepulchrorum, sed rerum antiquitus gestarum monumenta inquirendum; non circa spectacula & comœdos tragœdosque desidendum, sed cognoscendum qui & quibus dotibus, meritis, & artibus primas partes in theatro regiminis sustineant: & penetrandum in notitiam illorum qui prudentiæ aut eruditionis famâ in exemplum eminent. Neque de ædificiorum, mœnium, templorum, aliorumque operum publicorum figurâ & symmetriâ præcipuè satagendum; sed potius de Reipub. formâ, ordine & harmoniâ; de moribus, legibus, institutis. Parum est hominum amictus, ædium ornatus, camporum æquor, montium juga, fluminum scaturigines, fontium perennitates, riparum viriditates, nemorum vastorum densorumque amœnos horrores, agrorum ubertatem, hortorum nitelas oculis mensum esse; quemadmodum plerique peregrinantium solent, sterili voluptate, nullo fructu: nisi tamen hujusmodi inspectio sublimius se efferat, opes viresque regionis, opportunitates aditus muniti aut facilis colligens. Itaque nec ad quamcumque gentem instituenda peregrinatio, sed quæ aliquid imitandum habet; nisi tamen ea sit, cum quâ tuæ regioni negotium esse solet bello aut fœdere. Unde etiam prænosse oportet vitia & virtutes proprias genti (quemadmodum in singulis populis variis ex causis has aut illas dotes vel labes eminere suo loco diximus) ad quam peregrinatio ducit: ut adversus illa præmunitus, ad istarum imitationem intentus sis. Hoc igitur proposito, hacque sedulitate, non verò ut per lusum & jocum peregrinandum. Hinc etiam æstimandam peregrinaturi personam dixi, an scilicet per ætatem, ingenium, indolem capax sit veri fructus quem insinuavi peregrinationis. Requiritur enim judicii bonitas & constantia, quod salutaria à noxiis discernat, nec ullâ blandientis novitatis aurâ corrumpatur, aut consuetudinis & seculi vortice abripiatur. Inde est quod Plato non nisi quinquagenarios peregrinari permittit, sententiâ alioqui usui alienâ: ubi enim aut quando hi utentur scientiâ peregrinatione quæsitâ? Spectandum nimirum, ut dixi, ad usum: & ideò peregrinatio cum modo quoque habenda, ne bonam ætatis partem absumat, vel studiis vel agendis rebus idoneæ: quanquam in ipsa peregrinatione studendum; estque inter ejus fructus eminentissima scientiarum & patriæ sua oracula audire.

CAPUT X.

De Religione: ejus descriptio, Vis & usus ac necessitas in Republica regenda.

Inter illa quæ suadâ quâdam, non violentiâ animos civium ad officia virtutis inclinant, principatum tenet Religio: quam dictam Cicero putat à relegendo, & diligenter evolvendo libros quibus ceremoniæ cultusque Numinis asservantur. Lactantius autem à religando mentes nostras Deo: uterque non ineptè. Nam & Sacra Eloquia Religiosum describunt, qui in Lege Divina diès noctesque meditetur: & nihil est quod nos Deo æquè conjungit & alligat, imò nihil ad quod magis obligatus homo quàm hoc Latriæ officium, quod Religio dicitur. Potest & hæc ratio nominis esse, quod nihil æquè ut Religio affectus hominum obliget, & cupiditates adstringat. Hæc enim est, quæ cives præcipuè officii admonet, & Principibus Legibusque obnoxios, inter se concordes, patriæ fideles, parentibus ut simulacris Dei obsequentes, pro aris & focis bellicosos in hostem, mansuetos suis reddit. Quidam Pietatem inter Religionemque distinguunt; illam interno, hanc externo cultu definientes: sic tamen ut hæc de radice ejus oriatur foveaturque, à qua si recedatur, intereat necesse est. Palam enim Deus profitetur, se, cùm spiritus sit, potissimùm spiritus obsequium exposcere. Religio quoque alia inspirata est, alia naturaliter insita:

sita; illa vel à Deo, quæ divinis eloquiis continetur, vel ab ejus adversariis Geniis corruptis & corruptoribus, ut idololatria. Naturalis Religio luce Rationis exoritur, auctorem fontemque suum agnoscentis & venerantis. Hæc quoque magnum in Repub. momentum habet. Inde est quod non Moyses tantùm verissimè in unum verumque Deum retulerit legum suarum ortum acque vim, sed & reliqui Legislatores, simulatione auctoris Numinis, suis edictis auctoritatem quæsiverint. Sic Soroaster Bactrianis Persisque leges tradens, in Horomasim; Trismegistus Ægyptiis, in Mercurium; Minos Cretensibus, in Jovem; Charondas Carthaginensibus, in Saturnum; Lycurgus Lacedæmoniis in Apollinem; Draco & Solon Athenienfibus in Minervam; Pompilius Romanis, in Ægeriam; Mahometus Arabibus, in Gabrielem; Zamolxis Scytis, in Vestam; Plato Magnesiis & Siculis in Jovem & Apollinem ut suasores inspiratoresque placita sua rejecerunt. Zaleucus quidem in procemio legum cives religionis admonebat tanquam illæ non efficaciùs sanctionibus pœnarum, quàm divinæ ultionis metu concilientur animis. Extat pulcherrimum ejus exordium apud Strobæ, *serm* 44. in hanc sententiam: *Quicumque*, inquit, *hanc regionem incolunt, firmâ opinione Numinis imbutos esse oportet: quam inferit & asserit inspectio cœli mundique ornatu, ordine & harmoniâ tantâ, ut non fortuitum aut humanarum virium, sed providentissimi summique & incomparabilis artificis opus hoc esse clamet. Proinde colendi Dii, ut bonorum omnium auctores, etiam quæ ratione & consilio fiunt. Colere autem pariter animam convenit, ut vitiorum immunis sit: hoc enim capitur & colitur Numen; non verò improbi adulatione seducitur, ut sumptuosis hostiis oblationibusque concilietur.* Deinde admonet judicii Numinis supremi, in quo quisque actæ vitæ rationem redditurus sit, cum ad metam morte pervenerit, excepturus aut palmam aut pœnam. Additque hujus rei argumentum, quod propius admota mors præcipuè conscientiam exagitet recordatione & pœnitentia malorum facinorum: quæ anxietas tædiumque malè actæ vitę non subiret moribundos, nisi tunc maximè

...... Præsaga futuri
Mens hominum fati. ....
Prospiceret non extingui omnia morte.

Latè Plato in *Gorgia* partibus procemiis leges suas conciliabat; atque adeò sanciebat Charondas quoque apud Strobæ. *ubi sup.* Ex quibus apparet admirabilis vis religionis in societate civium continenda atque regenda.

CAPUT XI.

De Religione Christiana & Quæstiuncula de Superstitione.

QUæ in Religionis laudem diximus, præcipuè & hodie solùm Christianæ conveniunt: reliquæ enim non tam Religiones, quàm Superstitiones dicendæ sunt. Illa præcipuè Principibus Magistratibusque morigeros cives reddit, docens illos Numinis in terris vicarios, & Politicum Ordinem Dei institutum esse, ita ut qui illis renitatur, gigantum more, cælo inimicitias & vim denuntiare videatur. Illa charitate cives indissolubili devincit, quippe cujus officiis etiam inimicitias extinguendas, adeò non promiscuam benevolentiam aliorum simultatibus diluendam docet. Illa tranquillitatis auctor, districtè omnem vindictam privatam interdicens. Sed non ideò minùs imprudens Machiavelli sententia est, existimantis Christianæ Religionis mansuetudine enervari civium animos; quippè ad patientiam magis dejectos, quàm ad fortitudinem erectos. Impiè ille certè veræ Religioni tribuit, quod Plato 3. *De Repub. in princ.* itemque Poëta persuasiunculis à superstitione;

.... Faciunt animos humiles formidine Divûm,
Depressosque premunt ad terram.......

Nam

Nam quis unquam Christianæ lenitatis nomen ad hanc ignaviam detorsit; ut pro patria & principe, libertate & legibus, conjugibus liberisque strenuum acremque pugnatorem damnaret? aut non crudelius putaret illa deserere, quàm hostes interficere? Jam persuasio beatæ immortalitatis quibus penitiùs infita, quàm Christiano Dogmate imburis, potissimùm officio virtutis immorituris? Cum Seneca dicam *Ep.* 112. *Hanc æternitatem qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tubâ, nullis ad terrorem minis agitur. Quid ni non timeat, qui mori sperat?* Describit Lucanus Druides *lib.* 1. hujus persuasionis umbrâ quâdam, animosos, in ferrum mortemque pronos; quòd supremum diem ut æterni natalem desiderarent potius quàm timerent. Unde apparet, etiam superstitionem magnum sæpè in rebus politicis momentum habere: Nulla res, inquit Curtius *lib.* 4. efficaciùs multitudinem regit, quàm superstitio. Polybius Romanos hac in parte laudat, qui jam inde à Numa Pompilio, ad superstitionem rebus divinis tragicè descriptis, populum in officio retinendum putaverunt, non aliter quàm pueri fictis larvarum terriculamentis compesci solent. Multitudo omnis, inquit Curtius, præsertim militaris, quæ alioqui impotens, sæva, mutabilis ubi vanâ religione capta est, meliùs Vatibus suis, quàm Ducibus Regibusque paret. Et non desunt exempla hâc ratione vel domi & inter se mitigatæ, vel in hostem bono successu instigatæ multitudinis; sed, si verum amamus, damnanda. Lips. ad *lib.* 1. *cap.* 3. *polit. in not.* & *lib.* 1. *cap.* 3. *in monit. & exem.* Nihil enim exosius Numini quàm hoc Religionis ludibrium. Etenim ut Plato illos scelestissimè injustos putat, qui Justitiæ simulatione lędunt; ita impiissimi sunt, qui fictæ Religionis imposturâ Numen eludunt. Unde talibus successus non alio fine alludit, quàm ut improvisos gravioribus casibus allidat.

CAPUT XII.

De Religionis unitate.

QUod Religionem Christianam firmissimum concordiæ vinculum diximus, verissimum est, ubi illi concentus & concordia sua constat: nam ubi in sectas distrahi & discerpi incipit, eadem funestissimum evadit discordiarum seminarium. Omni igitur ope nitendum, ut in uno regno, vera, pura, atque una Religio sit, nullis dogmatum divortiis scissa. Et vehementer errant, qui dissidium non improbandum putant, ut Symmachus olim & Themistius; existimantes incomprehensibilis Numinis vim inęstimabilem hoc inaccessæ Majestatis arcano censeri aut delectari, quod tantâ opinionum varietate curiosos torquet; sed & pro ingeniorum modulis subtilius aut rudius non immeritò comprehendi. His accedunt illi qui quamcunque cultus rationem ex sincero animo profectam placere Deo putant; stultissimo sanè errore: non aliter ac si dicant servorum officia, dummodo bonâ fide exhibita, etiamsi à præscripto abeant, satisfacere dominis. Quæ enim sinceritas aut bona fides servientium, si formam mandati negligant? imò quod omnino obsequium sumentium sibi arbitrium de mandato judicandi, eive derogandi? Porrò quis honor intelligi Numinis potest in varietate existimationum de ipso, cum utrique extra unam reliquas necesse sit falsas esse? nisi forte credunt Deum ex hallucinantium imbecillitate metientem suæ lucis magnitudinem sibi placere? aut erroribus hominum lætari? aut etiam extra verum delatis titulis honoribusque glorlari; cui nihil ęquè magnificum cogitari vel dici potest, quam quod idem verissimum sit? Igitur vel intereat Religionis veritas cultusque & honos necesse est; vel non dissolvatur unitas & harmonia: unde libertas Religionis nequaquam concedenda, nisi quandoque eo modo quo

gubernator in tempestate levandę navi merces jactat, ut incolumi nave & victoribus evadat.

CAPUT XIII.

De hæreticorum coërcitione.

SEculi infelicitas ubique quæstionem excitavit, an puniendi sint qui ab Apostolica & antiquitùs probata Religione dissident? Et de iis quidem qui concitandis seditionibus stabilire, propugnare & propagare impios errores nituntur, ferè convenit: quia eodem scelere Divinam & Humanam Majestatem violant. Nec secius proinde statuendum de iis qui peregrina dogmata vel ordiendo vel tuendo & docendo, occasiones tumultuum ministrant: idemque proinde de iis quorum conciones aut scripta valere possunt ad hoc incendium excitandum: melius enim est scintillas ipsas exstinguere, quàm eas negligere, dum in incendium erumpant. Cùmque ab omnibus id metuendum est, qui non contenti errore suo, eum docendo, disputando, scribendo, concionando dispergunt: ratio ipsa eò nos perducit, ut fatendum sit, tales omnes, si sanæ institutionis suadâ non vincuntur, justissimis pœnis subigendos esse. Non enim hi, quod tecti hęretici, sibique solis desipientes, prætexere queunt; conscientiam soli Deo approbandam, solum Deum animis imperitare, neminem invitum ad beatitudinem compellendum: non enim intra cogitationum claustra illorum furor fremit; nec mentes illorum coërcentur, sed sermones actionesque; nec tam ipsi ad æternam salutem eoguntur, quàm alios ab ea imposturis suis avertere, atque abducere prohibentur. Religionem Reipublicæ fundamentum esse, fatentur omnes: & quâ fronte quis inficietur, innovationem in receptis publicè sacris crimen quoque politicum esse, & proinde justè humanis pœnis compesci, nec utique Divino Judicio reservandum esse? Enimverò & Plato *in* 10. *De Leg.* Judicia ordinans ad tuendam vindicandamque disciplinam, primum & severissimum in violatores Religionis constituit: atque hanc summam omnium scelerum esse, imò in vindictam anteactorum flagitiorum, Deo permittente, impiis animis incumbere, qui novas (inquit Julius Paulus 5. *sent.* 21.) & usu vel ratione incognitas Religiones inducunt, ex quibus animi hominum moventur: honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur. Fuit jam olim hæc eadem ab hæreticis mota quæstio, & à D. Augustino dijudicata, dissolutis argumentis quæ hodie recoquunt. Sic enim scribit ad Vincentium *Ep.* 48. Nimium sunt inquieti Donatistæ: quos per ordinatas à Deo potestates cohiberi atque corrigi mihi videtur non inutile. Nam de multorum jam correctione gaudemus. Si quisquam, inquit, inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum currere videret in præcipitium: nonne tunc potius malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quàm si corripiendum curandumque ligaret? At enim quibusdam ista non prosunt. Nunquid ideò negligenda medicina, quia quotundam est insanabilis pestilentia? Deinde addit: Putas neminem debere cogi ad salutem; cùm legas patremfam. dixisse servis: Quoscunque inveneritis, cogite intrare. Cùm legas etiam ipsum primò Saulum, postea Paulum ad cognoscendam & tenendam veritatem magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum. Deinde ingerentibus Ecclesiæ propriam notam esse persecutionem pati, non inferre; reponit illud ex Psalmo: Detrahentem proximo suo secretè hunc persequebar. Aliquando ergo, inferens, & qui persecutionem patitur injustus est; & qui eam facit justus est. Sed planè semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos: illi nocendo per injustitiam, isti consulendo per disciplinam; illi immaniter, isti temperanter; illi servientes cupiditati, isti

iſti charitati. Paria ſcribit ad Donatum *Ep.* 204 Diſplicet tibi, inquit, quòd traheris ad ſalutem, cùm tam multos noſtros traxeris ad perniciem? Objiciebat ille quod in Evangelio ſcriptum eſt, receſſiſſe à Chriſto 70. Diſcipulos, & arbitrio ſuo malæ atque impię deſertionis fuiſſe permiſſos, interrogatoſque 12. qui remanſerant: nunquid & vos vultis abire? Reſpondet autem Auguſt. quod tunc primum Eccleſia novello germine pupullabat, nondumque in illa fuerat completa Prophetia: & adorabunt eum omnes Reges terrę, omnes gentes ſervient ei. Similia diſſerit contra litteras Petiliani *lib.* 2. *cap.* 79. Petilianus dixit: Si Apoſtoli perſecuti ſunt aliquem, aut aliquem tradidit Chriſtus: Auguſtinus reſpondit: poſſem quidem dicere ipſum ſatanam omnibus malis hominibus eſſe pejorem, cui tamen tradidit Apoſtolus hominem in interitum corporis, ut ſpiritus ſit ſalvus in die Domini. Itemque ad Vincentium *ep.* 40. Non invenitur, inquiebat ille, exemplum in Evangelicis & Apoſtolicis litteris, aliquid petitum à Regibus terræ pro Eccleſia, & contra inimicos Eccleſiæ quis negat non inveniri? Sed nondum implebatur illa Prophetia: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, ſervite Domino in timore. Adhuc enim implebatur illud quod in eodem Pſalmo paulò ſuperius dicitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus. Porrò ut idem ait ad Bonifacium Comitem *ep.* 50. Quomodo Reges Domino ſervient in timore, niſi ea quæ contra juſſa Domini fiunt, Religioſâ ſeveritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſervit quà homo eſt, aliter quà Rex eſt: quà homo eſt, el ſervit vivendo fideliter, quà verò Rex eſt ſervit leges juſta præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo. Denique idem Auguſt. vindictam Numinis in civitatem totam provocari ſcribit, ſi hujuſmodi potiſſimum facinora ad contumeliam Numinis pertinentia à Principibus inſuper habentur. Denique objicere ſolent illam ex Evangelio ſimilitudinem Chriſti, vetantis ziſania evelli, ſed permittentis creſcere unà cum tritico, jubentisque pariter in diem meſſis reſervari. Verùm ex aliis ſententiis Divinæ Scripturæ id ſic temperandum idem Auguſtinus docet *lib. De Fid. c.* 4. & 5. ne Rectores vel patientiæ nomine torpeſcant, vel obtentu diligentiæ ſæviant: ut cum ſalva pace Eccleſiæ poteſt in improbos nefarioſque correctio exerceri, aliis præceptorum aculeis ad ſeveritatem excitentur: ubi verò id non poteſt, non deficiat ziſaniæ odio vel charitas vel fides. Hinc illud notandum, & ſatagendum, ne, ut Tacitus ait, intempeſtivis remediis delicta accendantur. Etenim hujuſmodi tempora incidere ſolent, ut Hæreſis, quæ pertinaciâ cenſetur, inquiſitione, contentione, coërcitione inſtigetur & creſcat, ſtirpium inſtar quæ reciſæ denſiùs repullulant: Imò quia ambitione & ſuperbiâ viget, neglectu & contemptu ſubinde elangueſcit. Prudentiâ igitur opus, ne à Religionis conſenſu abeuntes ſic coerceantur, ut major tumultus concordiam omnem reſcindat: imò moderatione opus. Sic enim D. Auguſtinus ad Donatum *Ep.* 129. Unum, inquit, ſolum eſt quod in tua juſtitia pertimeſcimus, ne fortè, quoniam quicquid mali contra Chriſtianam Societatem ab hominibus impiis ingratisque committitur, profectò gravius eſt, & atrocius quàm ſi in alios talia committantur, tu quoque pro immanitate facinorum, ac non potiùs pro lenitatis Chriſtianæ conſideratione, cenſeas coërcendum. Addit: Ex occaſione terribilium Judicum ac Legum, ne in æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari. Sic igitur eorum peccata compeſce, ut ſint quos peccaſſe pœniteat. Eandem moderationem Marcellino Comiti circa Donatiſtas captos ſuadet *Ep.*

159. sed profectò immoderatam: violentiâ enim & cæde in Catholicos sævierant; meritò proinde occidendi, non tam quà Hæretici, quàm quà seditiosi: non enim superstitio extenuat, sed exasperat crimina ex instinctu ejus patrata. Quod Poëta ait,

.... *sæpius olim*
Religio peperit scelerosa atque impia facta,

de superstitione intelligendum & hæresi: ea enim si cohibetur, arrogantiâ libertatis, & opinione quâdam obsequii in Numen, tanquam æstro quodam instigat in vim, tumultus, cędes; tanto severiùs coërcendas, quanto licentiùs illo opinionis furore sęviunt, & contagione quâdam latiùs serpunt. Sed de plerisque horum distinctè ad Codicem Justiniani Cæsaris egimus *tit. De Hæreticis.* Cedendum tamen (ut iterum iterumque moneam) aliquando tempori & multitudini, ut pulchrè Augustinus *lib. 3. cap. 2. contra Epistol. Parmenion.* Revera, inquit, si contagio peccandi multitudinem invaserit, Divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est: nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atque sacrilega, quia impia & superba; & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos.

CAPUT XIV.

De Ecclesiæ Præfectis; illorum vitâ, potentiâ, auctoritate, opulentiâ, officio, & distinctione.

AD tutelam Religionis dispositi variis gradibus Præfecti & Antistites sunt, utilissimo sanè instituto, si non natalibus, potentiâ, elientelis, gratiâ, commendationibus ad hoc fastigium eluctentur; sed eligantur virtutis luce monstrari, qui per modestiam latere conabantur; meritis opulenti, & amicitiâ Numinis (quæ communionem opum facit) acquiescentes ad vulgarium divitiarum contemptum; exemplorum vi tam efficaces ad regendum, ut ex fortunæ apparatu quærere auctoritatem necesse non habeant; eâ scientiæ impleti luce, ut quoscumque natales illustrare possint. Neque tamen externa omnino despicienda, ubi potissimum ex institutis antiquis Episcopatus Principatibus junguntur, dummodò sciamus eas quas dixi potissimas atque unicas Episcopatûs dotes esse; atque in illa mixtura hunc eminere principalis vice, territorii jura esse sequelę & accessionis instar, ut undiquaque tueri Religionem possint. In eundem modum responderim de quæstione, An expediat Antistites Civili Regimini misceri? Utile nimirum id est hactenus, ut terrarum curæ non detorqueant animos à societate cœli: miscebuntur igitur non promiscuè, non ambitionis causâ, non ut materias occupationum consectentur, non cùm res non magni ponderis ad pompam tamen operosæ consultationis dicis causâ solemniter trahuntur, sed cùm operæ-pretium erit, eùm de Religionis negotiis, de magnis justitiæ exemplis, de præcipuis publicæ salutis momentis tractabitur. Quod verò aliqui tradiderunt utile Religioni esse, si ingentes sint Ecclesiæ opes: id mihi æquo ambitiosius videtur. Nec memorabo cultam laudatamque à Christo Apostolisque & Patribus paupertatem; tanquam quæ expeditos reddat ad emetiendam arctam confragosamque ad æternam beatitudinem viam. Ad hoc enim certè fortuna, ut tunica, concinna magis, quàm longa (ut concinnè quidam dixit) convenit. Accingendis ad hoc iter contrariæ sunt laciniosæ vestes. Dicent enim quòd quidam apud Senecam, Fabricios, Curios, Coruncanos ingerenti, quorum paupertate crevit Romana potentia: *tunc paupertas erat seculi.* Agnosco ipse: sed non video eur non præcipuè probanda sit illa mediocritas, quam votis Rex Salomon à Deo flagitabat, positam inter divitias egestatemque, tamquam inter Scyllam & Charybdim; ne vel illæ imagine felicitatis acquiescentes animos in oblivionem aut despectum veræ beatitudinis abducant, vel illa à fraudibus solatium

petat

petat aut animo curis gravissimis occupato, aut corpori necessariis subsidiis defecto. Eandem mediocritatem in civibus suis Plato desiderat, quia opulentia plerumque vanos, tumidos, feroces luxuriososque reddit animos; quos è contrario paupertas infra justam dignitatem dejicit; viles, illiberales, timidos anxiosque facit.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Regibus aulâ.

Id si Horatius omnibus Ecclesiæ magnatibus persuadeat, nullus in eâ laborabit indignâ aut indecorâ paupertate: eritque hoc charitatis, id est veræ Religionis, summum penes omnes argumentum. Non ideò tamen minùs perperam Hæretici Hierarchiam Ecclesiasticam damnant, omnesque Presbyteros exæquant, quia Christus Apostolos de eminentia quęrentes reprehendit: ambitionem enim non ordinem reprehendit, qui ipse Petro principatum detulit. Negant illi ordinem dignitatum congruere Ecclesiæ; tanquam profanum & Reipublicæ proprium: at quam incongruenter? fatentur enim ipsi politicum ordinem à Deo esse, Apostolo adstipulante. Non fuit quidem nascentis Ecclesiæ regimen in tot præfecturæ gradus distinctum, atque modò est. Sed cum exiguo admodum grege Ecclesia censeretur, absurdum fuisset, multos Præfectos esse, alios aliis gradatim altiores. Continebantur quoque tenellæ & primo germine pullulantis Ecclesiæ gubernacula institutionis magis suadâ, quàm imperii vi: sed postquam latè propagata est, utroque nunc indiget. Hinc illud quoque quæri solet, Theologisne potius an Juteconsultis mandandi Episcopatus sint? Ego hanc quæstionem non multum difficultatis habere puto: nam neque ad hanc præfecturam idoneum puto, qui omnem ætatem ingeniique vigorem, Theologiæ subtilitate occupavit, neque eum qui omnem jurisprudentiam facultate disceptandi lites metitur. Quid igitur? virum Sapientem volo, sive Divini humanique juris intelligentem, qui scilicet & ex Theologia, & ex Jurisprudentia tantum hausit quantum ad piè vivendum, & prudenter regendum satis sit, eaque cælestis gratiæ, & eximiæ indolis adminiculis in affectus, mores, consilia, tanquam in sanguinem & succum converterit. Multa enim hodie & in Theologia, & in Jurisprudentia sunt quibus carere Episcopus potest: multi quoque in utraque illa disciplina admirabiles, qui tamen neque ad insinuandum populo Christianæ Religionis dogmata, neque ad regendum consiliis judiciisque Ecclesiam suffecerint: Vide nostra *C. De Episc. & tit. De Episc. audient.*

CAPUT XV.

Custodiendæ Religionis monita.

PRæcipuum ad tuendam Religionis integritatem momentum in Antistitibus est, sive quod ad sapientiam & consilia illorum, sive quod ad vitam & exempla attinet: pręsertim cum ad illa totus ferè Ecclesiasticus ordo convertatur. Multi autem plus oculis, quam auribus de Religione credunt; & vanam existimant illam, cui vita improba connexa est; potissimum in iis qui illius administri & præfecti. Hoc igitur primum Religionis munimentum, si in ejus Mystis consentanea illi vita resplendet; si fidem pietate approbent, si Christi disciplinam non magis doctrinâ quàm imitatione affectant. Hinc fiet ut apud Reges gratiâ, apud populum auctoritate valeant, cumque civili magistratu concordiâ connexi, omnibus honore, admiratione, imitatione digni videantur. Huic proximum est, ut in Academiis Theologiæ studium non magis ad disputandum subtiliter, quàm vivendum piè sanctèque dirigatur: si nempe illius summa (priscorum Patrum exemplo) magis in cælestium oraculorum interpretatione, quàm multis adventitiis inquisitionibus collocatur: si in-

daga-

dagationes de divinis non longè ultra limites eorum quæ Divinis eloquiis monstrata sunt evagantur. Nam ubi id contingit, ubi naturæ auctorem, omni naturâ sublimiorem, diffusioremque & reconditiorem, naturalibus rationibus (cessantibus testimoniis ipsius) metiri incipimus, necesse est errores dissensionesque exoriri. Igitur infirmos oculos (si caligare nolimus) non immittamus nimis audacter in illum immensum solem: memores divinę denuntiationis: *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria.* Huic affine illud est, ut coërceatur promiscua & plebeia de Religionis articulis disputandi prurigo: hinc enim & audacia innascitur etiam imperitis suo ingenio indulgendi, suoque judicio innitendi; cùm tamen Religio magis auctoritate reverendâ constet, quæ intellectum quasi captivum abducat in obsequium Numinis. Sed neque perperam sentientium pertinacia disputationibus istis vinci solet, sed incitari: quæ etiam id sensim agunt, ut Religio magis in curiositate quæstionum, quàm sanctitate animorum reponatur. Vide Nos *C. De Summa Trinitat.* Etenim contra hæreses hoc quoque amuletum est, si persuadeatur populus, pulchriorem sanctioremque & difficiliorem Religionis partem in pietate & probitate esse: atque in hoc studium intentis non vacabit curiosis nimium esse; sic affectis non licebit hæresibus se præbere, quippe quæ ferè in solatium læsæ conscientiæ vel excitari, vel admitti solent. Illud quoque curandum, ut teneri ac sequaces puerorum animi altè imbibant fundamenta Religionis, nullis adhuc præjudiciis occupati, nullaque judicandi temeritate sollicitati aut ambitione. Huic quoque fini sollicitè agendum, ut ubique Pastores moribus, scientia, diligentia sancti disponantur: utque tales huic officio concilientur, assignandum ei ex proventibus Ecclesiasticis quantum modestas cupiditates sedare potest: nitendumque eo modo ut non minùs illa munera, quàm Canonicatus desiderentur. Qui ipsi ut gratuito pietatis affectu, & incorrupto judicio conferantur non nisi bene de Ecclesiâ meritis aut merituris; non verò ignavum aut lascivum inde otium instructuris, sollicitè providendum est: neque ratum habere patroni arbitrium antistites debent, si ex inquisitione, vel necessitudini, vel affectui inconsulto, vel ambitioni, vel muneribus, vel errori aut importunitati cessisse illum aut indulsisse deprehenderint.

FINIS LIBRI QUARTI.

DIO-

DIODORI TULDENI
DE
CIVILI REGIMINE
LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

De Origine & causa Scriptarum Legum: præstare eas arbitriis Rectorum & de Æquitate.

Sequuntur nunc illa quæ Civitatis diciplinam imperio fundant tuenturque, Leges, Judicia, Magistratus. Antiquissimi mortalium, in quibus adhuc integritas naturæ magis vigebat, nondum opinionibus malis obsoleta, nondum tot illecebris cupiditatum lacessita, contenti ejusdem naturæ lege, & optimorum Regum arbitriis erant, ut Seneca quidem *Ep.* 90. & Tacitus 3. *Annal.* opinantur. *Sed postquam*, inquit ille, *surrepentibus vitiis, in tyrannidem regna versa sunt, opus esse cœpit legibus.* Paria Tacitus: *Postquam*, inquit, *exui æqualitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incidebat, provenêre dominationes, multosque apud populos æternùm mansêre: quidam statim, aut postquam Regum pertæsi, leges maluerunt.* Ostendunt hæc originem legum, usumque salutarem, ut nimirum limitibus legum arbitria Regentium dirigantur, neu licentiâ effræni in tyrannidem evagentur. Hoc idem Aristoteles subtili prudentiâ explanat, legum præscripta extemporariis arbitriis Principum aut decretis Magistratuum præferens: illæ enim, inquit, quia in æternum sanciuntur, majore diligentiâ expenduntur & limantur; & quia in universum consulunt non verò in singulos gratiâ aut offensâ cognitos, affectibus non corrumpuntur; denique quia à paucis & eximiis viris excogitantur, plus prudentiæ habent, quippe quæ minimè promiscuè, id est tot Principibus Magistratibusque se vulgat. Nec verò contrà moverit aliquem, quod regendi judicandique rectè facultas non tam arte perpetuis præceptis descriptâ constare videatur; quàm Prudentiâ, omnibus præceptis diffusiore, quæ proinde melius in re præsenti, expensis singulorum factorum articulis decernit. Idenim æquitatis est officium, quam non excludimus, dum leges laudamus; quippe quibus optimè cum illa convenit, non aliter quàm corpori & animo: ut enim corpus ab anima vim regimenque capit, sed ipsa vicissim illo receptaculo dissoluto in auras (de brutis loquor) dissipatur: ita leges quidem duritiâ immotæ inhumanitate exsensæ sunt, remotâ æquitate; sed eadem in non minorem varietatem instabilitatemque dispergetur quam aër, si nullis legum limitibus coërcetur, nullâ Jurisprudentiâ dispensatur. Namque hæc ars est æquitatis: adeò ut quamvis non omnibus populis Romanæ Leges vel conveniant vel placeant, omnibus tamen salutaris sit Romanorum ingeniis studiisque inventa, exculta, descripta Jurisprudentia.

CAPUT II.

Definitio Legis. An Provincia Regni, cui subacta est, Legibus adstringatur, abolitis suis?

LEx est Majestatis Placitum, ad ordinandum Civitatis statum, dirigendosque Cives, & dirimendas controversias ipsorum, per præmia pœnasque sancitum & publicatum. Hæc definitio semina continet eorum, quæ de Legibus excutiemus. Et quidem quomodo Jus Majestatis sit potestas condendi Juris, in primo libro executi sumus. Hujus loci quæstio est, an Provincia recens adjecta Regno, ejus Juri Legibusque tacitè subjiciatur; an verò suas sibi retineat integras? Et recta est distinctio Interpretum Juris, prius illud adfirmantium, si ut accessio, vel membrum potius unius corporis coagmentatur: tunc enim quod adjicitur Regno id quoque Regnum est. *l. Si convenerit. §. Si nuda.* & *ibi* Bart. Id enim cùm sit universitas, capax est augmenti, quod naturam utique ejus sequatur. *l. Etiam.* & *ibi* Bald. *C. De jur. dot.* Sic Pontifex rescripsit de religiosa domo Cisterciensibus aggregatâ, quod eorum sequi instituta teneatur. *c. Recolentes. De statu mona. c. Cùm olim. De censib. c. De his. dist. 12. c. Translato. De constitut.* Ea enim vis est commissuræ, ut coagmentata redigat ad tandem quasi substantiam. *l. In rem. §. Si quacunque. ff. De rei vind.* Diversum igitur erit, si Provincia adjungitur Regno ut æquè principalis, nempe ei non confusa, sed retinens nomen suum imperiique titulum: quemadmodum responsum est à Francisco Ripa *lib. 1. resp. 21.* de Comitaribus Provinciæ & Tholosæ, itemque de Delphinatu Ducatuque Mediolanensi: quippe non tanquam Rex illa tenet, sed tanquam Comes, Delphinus, Dux. Canonistæ in *c. 1. Ne sede vacan.* & *c. Quia Monasterium. De Religios. dom.* Facit *l. Si quando. C. De appel.* & *l. Peculium. De leg. 2.* & *l. Grege. De leg. 1.* Francis. De Clapper in *centur. caus. fiscal. caus. 1.* Idem de castro tradunt; & in dubio non præsumi accessionis vice Provinciam conjunctam fuisse. Thomingus *Colleg. Lipsensis Decis. 41.*

CAPUT III.

Divisio Legum. Et primò de Legibus Moralibus.

DEfinitio Legis, quæ ejus vi atque officio vindicat disponere & firmare civitatis statum, excolere & conformare civium mores, definire denique lites aut prævenire potiùs, promptam insinuat divisionem, per quam dicamus Leges partim Politicas esse, partim Morales, partim denique Forenses. Principem locum tenent illæ, quæ ad fundandum Reipublicæ statum pertinent, & imperandi obsequendique partes gradusque distribuunt, & limites imperii obsequiique describunt: de quibus in tribus libris primoribus disseruimus. Proximo loco sunt eæ Legesquæ vitam hominum adstringunt: suntque in duplici differentia, vel enim maleficia tantùm vel etiam vitia persequuntur, ut maleficia in seminibus ipsis elidant. Ultimæ notæ Leges sunt, quæ controversias circa dominia & commercia emergentes dissolvunt: quibus præcipuè Justinianæum Jus constare, quasque solas ferè hodie dominari, quidam (nec immeritò prorsus) conqueruntur: hinc avaritiam accendi, hinc calumnias armari: denique non vivendi, sed litigandi Leges coli. Seneca quoque jam tum Jus Romanum hâc notâ postposuisse vetustissimorum Legislatorum sapientiæ videtur, *Ep. 90. Leges, inquit, inter initia tulêre Sapientes; Solon, qui Athenas æquo jure fundavit, inter septem ævi sapientiâ notos: Lycurgum si eadem ætas tulisset, sacro illi numero accessisset octavus. Zaleuci Leges Charondæque laudantur. Hi non in foro, nec in Consultorum atrio, sed in Pythagoræ tacito illo sanctoque secessu didicerunt Jura, quæ florenti tunc Sici-*

Siciliæ, & per Italiam Græciæ ponerent. Cicero non absimiliter, non à Duodecim Tabulis, aut Prætorum Edictis, sed à Naturæ fontibus, & ab ipsa Sapientia Jus arcessendum esse: aliter qui agunt, eos tantùm litigandi vias tradere. Jus quidem Romanum satis accuratè facinora & flagitia, vel singulis vel Reipub. noxia, persequitur atque vindicat. Sed non absurdè Xenophon *lib.* 1. *De Cyr.* eas imperfectas censet Leges; quæ maleficia quidem prohibent & plectunt, non verò satagunt maleficiorum elementa delere, alimenta subducere: id enim perinde censet Plato *lib.* 4. *De Repub.* ac si quis quotidianis pharmacis potiùs valetudinem adjuvare, quàm victûs modo & temperantiâ nitatur. Nec temerè Xenophon hac in parte Persarum Leges laudat, quæ educationem liberorum non permittunt parentum indulgentiæ, imperitiæ, socordiæ aut etiam pravitati; sed publicâ curâ ab ineunte ætate pueros ad honestatem formant, & ad rectè parendum Justitiamque erudiunt, non aliter quàm alibi literis imbuuntur. Deinde laudat, quòd contra ceterorum instituta populorum judicia pœnasque adversùs ignaros constituerunt, qui scilicet occasionem referendæ benemeritis gratiæ neglexerunt: ex hoc enim fonte ingens scelerum agmen profundi, impietatem nempe in Numen, contumaciam in Parentes, negligentiam erga patriam, perfidiam erga amicos; hinc sobolescere impudentiam, ingens in omnia flagitia incitamentum. In hanc sententiam Seneca 1. *De Benef.* 10. *Erunt*, inquit, *homicidæ, Tyranni, fures, adulteri, raptores sacrilegi, proditores: infra ista omnia ingratus est, nisi quòd omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus accrevit.* Sed & impudentiam tanquam vitiorum & deinde flagitiorum scaturiginem legibus Persæ opprimebant; prohibendo nominare quidem, quod factu turpe aut nefas esset. Idemque Charondas legibus suis sanciverat. Id quod & divinis legibus congruit. Præterea quis nescit multorum facinorum fontem fomitemque esse avaritiam, hujus verò causam esse luxum; luxum autem ab otio oriri? Etenim divitiæ ultra modum fasque quæruntur partim luxuriæ, partim ambitionis instinctu, partim, inquam, ad fruendum, partim ad ostentandum, partim ad gratificandum cupiditatibus per voluptates, partim ad honoris speciem & excellentiæ pompam. Prudenter igitur ad has criminum radices recidendas ex legibus Lucanorum judicia etiam luxuriæ & ignaviæ (quemadmodum & apud Athenienses otii) constituta erant. Stobæ. *serm.* 44 Ambitiosum verò luxum Charondas tali lege extinguebat: quisquis, inquit, templa, aut ædificia publica privatæ domus magnificentiâ antecellit, non honoratus, sed infamis esto: nihil enim privatum magnificum magis esse debet publico. Lycurgus verò callidius etiam, qui solis meretricibus versicoloris vestis splendorem permittebat. Quid quod ex Lacedæmoniorum institutis, senibus sub finem vitæ judicium dictabatur, quo de totius vitæ summa ad laudem vel ignominiam disceptarent? Quis autem neget, magnum ad honestè vivendum calcar esse in perennitate famæ? Jam & ebrietas legibus si coërceatur, ingens socordiæ, petulantiæ, contumeliæ, injuriæ, violentiæ seminarium extirpabitur. *Omne vitium* (inquit Seneca *ep.* 83.) *Ebrietas & incendit & detegit; obstantem malis conatibus verecundiam removet: plures enim pudore peccandi, quàm bona voluntate prohibitis abstinent.* Et mox diducendo: *Tunc*, inquit, *libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis quantum petierant, sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet: crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, malignitas livido.* Denique addit: *Cogita quas clades ediderit publica e-*

brietas: hæc acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit. Porrò: *quemadmodum*, inquit, *difficiles faciunt oculos diutini morbi etiam ad minimam radii solis offensionem: ita continuæ ebrietates efferant animos.* Igitur eadem ebrietas effœminat animos ad fortitudinem, & exasperat ad crudelitatem. Denique Seneca stupiditatem & vecordiam ebrietati imputans: *Cùm sæpe*, inquit, *apud se non sint, consuetudo insaniæ durat; & vitia vino concepta etiam sine illo valent.* Hinc igitur & Persarum & Lacedæmoniorum legibus temperantia quoque præscribebatur. Hinc Solonis lex ebrietatem in aliquo Optimatum morte mulctans, hinc Platonis leges 2. *De Legib.* vini usu pueros omnino interdicentes, dum ad virilem ætatem provectis per labores incipiat calor corporis nimius exhauriri: his enim demum permittit vini usum (citra ebrietatem tamen) & liberiorem postquam 40. annos impleverint; ut sicut ferrum ab igne, ita affectio ejus ætatis durior atque ad tristitiam inclinans mollescat, diffundaturque ad hilaritatem. In expeditione verò versantibus, Magistratu fungentibus, ad judicandum aut deliberandum de rebus magni momenti conventuris, item veneri litaturis vinum omnino interdicit. Pittacus quoque prospiciens non tantum ebrietatis incitamento, sed & impunitatis ab ea fiducia delicta frequentari, per ebrietatem commissis pœnam non mitigavit (ut ex Jure Romano contingit) sed duplicavit. Hujusmodi itaque leges eximiæ utilitatis essent, ad instar ejus medecinæ, quæ exercitia atque alimenta seligendo, disponendo, moderando, ex corporum natura, valetudinem iis conservat illibatam: hęc enim multo præstabilior est prę illa, quæ pharmacorum fastidiis, ciborum inediâ, quæ sectione ustioneque pulsis morbis, sanitatem restituere molitur. Adhęc Plato non sanctionibus tantum constitutiones putat muniendas, sed prooemiis quoque conciliandas esse. Cùm enim quidam bonæ indolis sint, alii pravæ, alii mediæ; prooemia egregior animos instigant, ut amore honesti, & studio ęquitatis, instinctuque virtutis alacriùs, pleniùs & constantius agant legibus jussa, declinentque vetita: quemadmodum sanctiones pœnarum metu improbos constringunt; mediæque mentes ipsâ auctoritate vetantis aut mandantis Legislatoris moventur. Non desunt tamen rationes quæ ancipitem de his cogitandi curam adferant. Prooemia legum Seneca damnat: quantum enim sollicitudinis in reddenda ratione ponunt, tantum diffidentiæ auctoritatis detrahere de majestate ipsarum videtur: & si Legislator ratiocinando voluntatem suam approbat, quidni suggerere ultro fiduciam atque occasionem videtur interpretatiunculis legum vim eludendi? Sed & idem Seneca: *Leges à scelere deterrent, præcepta* Philosophiæ *ad officia vitæ inhortantur.* Idemque per plures rationes probat, non oportere ingratitudinis judicium constitui: quia per id, inquit, *duas res, quibus in vita humana nihil pulchrius est, corrumpimus, gratum animum & beneficium:* facultas enim judicio vices reposcendi ex beneficio creditum facit; ex relatione gratiæ, solutionem: quibus certè non magna honestatis laus inest. Deinde hanc adjicit rationem, quod talis lex omnia querelis, calumniisque repleret: cùm plerumque beneficium qui dedit, ultra verum attollat, qui remunerandi necessitudine tenetur, extenuet. Adhæc non expedit judicio ingratos traduci. *Pudorem enim rei*, inquit, *tollet multitudo peccantium: & desinet esse probri loco commune maledictum.* Plura accumulat, quæ omitto, contentus selegisse ea quæ in commune conficere videntur, tantum flagitia, non etiam vitia legibus subjicienda esse: flagitiis carere, boni civis; vitiis vacare, tantum sapientis. Enimverò hujusmodi leges vel pœnam decernent vitiis; vel non decernent, indicasse,

caſſe, damnaſſe & prohibuiſſe contentę: ſi ſanctionem pœnæ omittunt, non leges civitatis, ſed nuda vitæ præcepta ſunt; & non ſatis decorè Philoſophi officium Legiſlator invadit. Et quem magis movebit Legiſlatoris auctoritas proſcribentis vitia, quàm Majeſtas Numinis eadem palam penes Chriſtianos damnantis? Si igitur ſanctio ſubjicietur, quam pœnam comprehendet? Exiliumne? Id verò erit ad ſolitudinem redigere civitatem. Mulctamne? Quid aliud id erit, quàm vitilitigatores præmiis incitare? An igitur ignominia pœna erit? Hanc verò maculam abſterget aut obſcurabit ne extet, ne emineat, ne notetur, ipſa multitudo pariter notatorum. Deinde *pudor, ut veſtis eſt* (ait Apuleius) *quanto obſoletior, tanto incurioſiùs habetur:* ideoque quibus per vitia fama conſumpta eſt, effrẹnes jam in flagitia erunt. Neque mirum eſt, antiquiſſimas leges præcepta virtutis complexas fuiſſe: rudis enim ille populus facilis erat ad obſequium; & quia docentium copia vix erat, in eorum partes Legiſlator ſuccedebat. Ego ut hæc talia non temerè dici poſſe animadverto, ita re diligenter expensâ, puto illa ſaltem vitia, unde non aliter flagitia exiſtunt, quàm ex contractione nervorum in fœnore claudicatio, legibus exſcindenda eſſe; reliquorum odium, æſtimationemque virtutis procemiis legum inſerenda. Sed nuda, inquit, civilium auctoritas legum neminem permoverit, quem non potiùs priuſque moverit Majeſtas divinæ aut Philoſophicæ doctrinæ. Ego verò, cum videam Plinii dictum, *Pauci conſcientiam; plures famam verentur*, ad vulgi indolem maximè accommodatum eſſe; non dubito, quin multi efficaciùs ex civilibus inſtitutis, quam ex ſacris aut Philoſophorum dogmatibus, abſterrendi à turpitudine, & concitandi ad honeſtatem ſint: præſertim ſi leges ejuſmodi famæ aut mulctæ periculo ſanciantur; per quæ apud Romanos Cenſuræ rigor diſtringebatur; (ſit tamen pœna infamiæ, quę compenſatione refectefactorum deleri poſſit) Neque enim Romani hujuſmodi legibus caruerunt, in Republica potiſſimùm integra & libera: directoque avaritiam, belluam indomitam, inſatiabilem adſtringebant, præſcripto jugerum modo ultra quem poſſidere nefas eſſet. Adeoque in Repub. jam corruptâ plures per leges Ambitus, itemque Repetundarum crimina ſeveriter compeſcebantur. Nihil æquè curandum Legiſlatori eſt, quàm ut à divitiis ad virtutem transferat civium ſtudia: id verò obtinebit, ſi coërcito luxu, immerentibus opibus ablatùm honorem vindicabit modeſtiæ, probitati, magnitudini animi & prudentiæ. Huc ſpectat Charondæ lex: *Divitiis, inquit, & pecuniæ ſerviens, contemnatur; ut puſillanimus, illiberalis, & ſumptuoſarum poſſeſſionum, vitæque tragico apparatu tumidæ ſtupidus admirator, viliſque mentis hujuſmodi homo cenſeatur. Magnanimus enim vir, omnia humana ſecum præmeditatus, neutrius vultu fortunæ perturbatur.* Tales erant Lycurgi leges, tales Platonis: qui pauciſſima de rebus ad patrimonium ſpectantibus, pleraque de animi cultu conſtituenda putat. Accipite, inquit *in Ep. ad Dion. Propin* ô Syracuſani primùm eas leges, quę vobis videbuntur non ad quæſtum & divitias applicituræ animos veſtros per cupiditates immodicas: ſed quæ inter animum, corpus, & externa, juſta diſtributione, animi virtutes in primo loco & cura habeant, in proxima corporis ut illius inſtrumenti dotes, in ultima divitias, tanquam eorum adminicula & miniſterium. Hujuſmodi, inquit, juris conſtitutio, ſibi obtemperantes reverà beatos præſtabit: contraria autem fama ſummum bonum opibus vindicans, ex nutricibus & pueris orta, miſera eſt, & ſibi credentes in miſeriam deducit. Hæc cum ita ſint, nullæ deteriores leges ſunt, quam quæ tantùm in controverſiis ad patrimonium pertinentibus occupantur:

Hæ enim ultro incitare ad Avaritiam videntur. Sint igitur primo loco & præcipuâ curâ descriptæ ejusmodi leges, sintque in publico omnibus conspicuæ, quæ animos & vitas civium ordinent, quæ pretium virtutum & odium vitiorum, inhonorasque divitias faciant; quæ Nobilitatem exemplis probitatis, prudentiæque & industriç benè de Republica meritæ vindicent. Namque hujus rei neglectus multis hodie in locis effecit, ut Nobilitati quàm minimum cum virtute commercii intercedat; & non majorum per pacis bellive artes præstantiâ ac famâ, sed opulenti & luxuriosi otii continuatione censeatur; non probitatę, sed licentiâ vitæ; non modestiâ, sed superbiâ, ferociâ, fastu.

CAPUT IV.

De Pœnis.

Leges quę ad hominum vitam regendam pertinent, sanciri pœnis & præmiis solent: quas binas Reipub. anchoras Solon appellabat. Etenim salutares admodum Pœnarum fines sunt; primò emęndatio ejus qui deliquit, admoniti damno maloque adductique in odium malitiæ improsperæ, & auctori noxiæ. Secunda pœnæ causa est, ut aut Dei majestas contra ejus violatores (quamvis in se inviolabilis) aut hominum dignitas vindicetur, ad humilitatem dejecto qui per superbiam aut ferociam læsit. Tertius pœnæ finis est exemplum, ut pœna ad paucos, ad omnes pari improbitate implicitos metus perveniat: denique securitas bonorum, coërcitis vel sublatis nocentibus. Ad hos fines respiciendum est in constituendis pœnis; mitigandis quippe vel intendendis prout isti dictaverint. Primus igitur finis id exigit, ut gradus sint coërcitionum, nec statim ad ultimum supplicium properetur. Ab admonitione irrita transibitur ad objurgationem comminationemque; à privata ad publicam: si hæc quoque frustra sunt, custodiâ, mox vinculis lubricæ indolis levitas coërcebitur; vel damno mulctisque materia libidinibus subducetur; vel corruptus corruptorque à cœtu civium removebitur; potestare insolescentes, eâ exuentur; ignaviâ ad egestatem & inde fraudes ac furta impulsi operibus publicis addicti ad labores incitabuntur. Et prout errata leviora, aut graviora, illæ ipsæ pœnæ longiores breviorésque erunt: quæ si elusoriæ sunt, graviores, & quæ sentiantur corpori infligi incipient. Huic quoque pœnarum fini congruit, non facilè irrogare infamiam sempiternam, sed potius quæ deleri rectefactis possit: cui enim honor in perpetuum periit, non habet cur pudori parcat. Secundus finis præscribit, ut etiam si pœnæ gratia facienda sit, semper tamen parti offensę satisfiat: ne alioqui elementia in sontem, crudelitas sit in innocentem: satisfiet, inquam, vel supplice reconciliatione, vel damni repensatione. Neque rectè sanè consuetudo derogavit Juri pœnas dupli, tripli, vel quadrupli parti offensæ applicanti. Finis hic quoque ostendit, pro dignitate personę in quam delictum patratum est, pœnam non iniquè augeri. Neque pro reliqua prudentia sua Tacitus 3. *Annal.* incusare Augustum videtur, quòd contra tenorem legis suæ, quosdam filiæ neptisque suæ adulteros morte aut deportatione puniverit. Ultimis pœnarum, quos dixi, finibus consentaneum est, ut ultimum supplicium ei remittatur, qui neque servatus in periculum Reipublicæ, neque interfectus in exemplum ibit. At quorum vita vel offendiculo lubricis mentibus futura sit, vel periculo bonis; eorum pœna aut mors illis terriculamento, istis securitati sit. Sequitur & illud ut pœnæ publicæ sint & conspicuæ. Unde etiam pœna veneni, aut quæ arbitrium mortis Reo permittit, Jure Romano damnatur. *l.* 8. *ff. De Pœn.* Hinc quoque illud sequitur, ut non facilè in universitatem ob commune crimen, veluti seditionem defectionemque, cędibus sæviatur; sed tantùm

tum in concitatores. Neque enim si propter totius corporis valetudinem membrum uri aut secari patimur; idcirco id ipsum in capite tentamus, aut si universum corpus morbo implicatur; sed præceptum potius magni Hippocratis sequimur, vetantis medicinam adhiberi morbis insanabilibus. Ut fines hi pœnarum obtineantur, nihil salutarius fuerit, quàm cum de uno crimine instituta accusatio est universam pariter anteactam Rei vitam ad examen vocare. Nec absurdè sanè Persę, qui non nisi ex totius vitæ summa de capitali crimine decernebant; expendentes, utrum id rectefactorum compensatione non aboleretur. Etenim si capitalis criminis reus, in reliqua omni vita non inculpatus tantùm, sed laudandus invenitur, illud Genio ejus aut fortunæ iratæ, aut affectui qui furore quodam mentem inundaverit, adscribendum videtur; quàm naturæ & instituto: ideoque parci sępe tali oportebit, cujus vita magis quàm mors Reipub. usui esse poterit; nec minùs anteactæ per laudem ætatis ratio habita incitaverit ad probitatem, quàm unius maleficii impunitas corruperit ad audaciam alios. Porrò quis pœnarum justus sit modus, in universum cum Plinio definiam: *Spectent*, inquit, *paria præmio damna, nec majores spes quàm metus habeant, timeantque quantum timebantur.*

CAPUT V.

An Dignitatis ratio in pœnis habenda sit?

Aristoteles censet non modò Dignitatem, sed nec anteactæ vitæ honestatem extenuare pœnam criminis commissi. Plato 12. *De leg. in princ.* hoc ampliùs graviorem pœnam benè nato, quàm servo in pari facinore decernit: hunc enim veniâ digniorem, quem non fundavit in amore notitiaque officii recta educatio. Cùmque & Nobilitatis & Dignitatis honor ex merito aut præsumptione virtutis pendeat; utramque scelere aboleri. Videntur huic sententiæ suffragari Sacræ Litteræ: *Dedecorantem, inquiunt, animam suam, quis honorabit?* Facinorosi animum suum, quem vitiis prostituunt, & sceleribus mancipant, id est seipsos, honore expoliant: & quis honorem à Judice illis habendum in pœnis putet? *Atrocius*, inquit Salvianus *lib.* 4. *De Gubernat. sub sancti nominis professione peccatur: quantò sublimior est prærogativa, tantò gravior est culpa.* Magistratus, inquit Cic., vitia non solùm ipsi accipiunt, sed etiam in civitatem transfundunt; nec tantum peccato, quantum exemplo nocent. Et quæ major iniquitas, quam viles tenuesque gravius puniri, quàm claros & opulentos: cum illis delictorum & irritamentum, & supplicii pars in malesuada paupertate sit? Cato olim graviter deplorabat privatos fures in nervis & compedibus; publicos in auro & purpura vitam exigere. Dicendum igitur est, rectè Jure Romano constitutum, ut honestioris ordinis homines leviore pœna defungantur; imò in speciem leviore, sed revera æquali. Deportatio enim verbi gratia tali viro non minus acerba est, quam vili obscuroque mors: illa enim illi dignitatem, famam, clientes, propinquos, opes aufert; & quæcumque vel solatia vel decora vitæ: at isti mors sæpe finis miseriarum; certè non sic amara, atque acquiescenti vitæ prosperæ delinimentis. Vicissim plebeio & ex artificio suo pendenti non magna pœna exilium: Artem enim, ut proverbium habet, quævis alit terra. Præterea honestiores non tam levibus causis ad maleficia impelluntur, ut vulgus: & plerumque meritis in Rempub. culpam pensant aut redimunt: sed & in honorem majorum, aut necessitudinem superstitum ipsis parci oportet. Atque hæc sententia solum in communibus maleficiis probanda; non etiam in iis quę tantum in Magistratus cadunt, ut crimina repetundarum; vel ad dignitatis violationem pertinent, ut peculatus,

tus, *l. un. C. De pecul.* proditio, seditio, defectio, conjuratio. Atque ita accipienda Salviani similiumque auctoritas. Loquitur enim ille de iis qui *per flagitia ac turpitudines suas nomen religionis infamant*. Nam ut in oculum, inquit, etiam si parva sordes incidat, totum lumen occœcat: sic in Ecclesiastico corpore, etiam si pauci sordida faciant prope totum Ecclesiastici splendoris lumen obscurant. *lib. 7. De guber.* Etenim virtutem professorum crimina indicant fraudem simulationis, & scelestam mentem. Sed & in mulctis graviùs damnabuntur Nobiles & honorati, quàm humilioris loci homines. Vide nostra *lib. 1. De princip. lib. 2. De corrup. judic. & lib. 1. Aphorism.*

CAPUT VI.

De præmiis: eorum usus, quare & quibus danda.

UT Medicina quæ morbos pellit magis necessaria videtur; quàm Gymnastica, quę vires exercet augetque: ita in Republica magis necessaria flagitiorum coërcitio apparet, quàm excitatio rectefactorum per præmia. Sed quemadmodum utcumque salva esse civitas potest, coërcitis maleficiis; ita florere viris, artibus, fortitudine, exemplis, gloriâ non potest, si præmia negliguntur. Pulchrè in hanc sententiam Plinius ad Traianum: *Prodest, bonos esse; cùm sit satis abundéque, si non nocet. His Honores, his Sacerdotia, his Provincias offers: hi amicitiâ tuâ, hi judicio florent: acuuntur isti integritatis & industriæ pretio: similes & dissimiles alliciuntur. Nam præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt. Pauci adeò ingenio valent, ut non turpe honestumque, prout bene aut secùs cessit, expetant fugiantve: ceteri ubi laboris, inertiæ; vigilantiæ, somno; frugalitatis, luxuriæ merces datur, eadem isti, quibus alios artibus consecutos vident, consectantur; qualesque sunt illi, tales esse & videri volunt; & dum volunt, fiunt.* Pronum enim imò præceps ad vitia; arduum & confragosum ad virtutes iter: faciliùsque Princeps ad illa quàm istas cives formaverit. Hinc sub Tyrannis tanta colluvies vitiorum civitatem inundat; dum illi liberos rectosque spiritus, partim ut dissimiles, partim ut dominationis obices oderunt; serviles verò mentes, & ad scelerum imitationem ministeriumque pronas, ut cognatas, amant; his adulationis in sese, calumnię in bonos illustresque pręmia persolvunt. Vide Tac. 2. *Annal.* Malè cum Repub. agitur, si nulla pręmia dispensantur, quia id illiberalitatis est; pejus, si immerentibus profunduntur; quia id prodigalitatis est; pessimè, si malè meritis prostituuntur, quia id Tyrannidis est: primum virium ęquitatem negligit, secundum jus violat, tertium ordinem omnem Politię, discrimenque honesti & turpis confundit. Pręmia omnia vel ad utilitatem, vel ad decus pręcipuè spectant, vel ad utrumque: tantoque honestiora sunt, quanto utilitatis steriliora. Prioris generis sunt congiaria, donativa, immunitates à vectigalibus aut tributis, muneribus civilibus. Tertii generis sunt dignitates sive officia publica: quę tamen promiscuè in pręmium venire non debent: magis enim spectandum, quis illorum administratione bene de Republica mereri potest, quàm quis extra eam bene meritus sit. Secundi generis sunt, laudationes potissimùm funebres; quę pulchro instituto olim usurpabantur. *Nostris verò temporibus*, inquit Plinius *lib. 3. ep. 21. ut alia speciosa & egregia, ita hoc inprimis exolevit: nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.* Inter hujusmodi pręmia eminebat triumphus, solitus belli Ducibus, eo feliciter confecto, magno apparatu celebrari. Anteferebantur ordine spolia hostibus erepta, deinde turba captivorum, ipsi Reges catenati, mox imagines Imperatoris:

Qui

Qui ipse currui insistebat, veste stellatâ Jovem referens, in cujus sinu depositurus laurum, & sacrificii causâ, Capitolium petebat, sequente exercitu. Denique comitatus Magistratibus & Senatu & amicis domum ibat. A triumpho differebat ovatio: cùm victoria subitâ & incruentâ hostium deditione obtigisset, aut viles ii essent, ut servi, latrones, piratæ, aut ex bello non ritè indicto, aut minus justo. Tali victori non laurea, sed myrtea corona erat, Veneris fronde facilitatem significante. Apud Lacedæmonios optimâ ratione majori gloriæ erat, victoria stratagemate, quàm prælio parta. Eodem pertinebant penes Romanos coronæ militares: veluti Obsidionalis, quam obsidione liberati liberatori è gramine dabant: item Civica è quercu, ei qui civem hoste occiso servaverat, neque loco cesserat: Muralis, ei qui primus mœnia hostium transcendit, muri pinnis decora: Castrensis, ei qui primus vi in castra irrupit, vallo insignis: Navalis ei, qui primus in navim hostilem vi armatus transilivit. Hæ tres ex auro erant: reliquæ materiâ viles, honoræ, magnificæ; & non nisi summo judicio distribuebantur. Vilescit enim honos si vulgatur. Et M. Cato Fulvium incusasse legitur, quod in his præmiis indulgentior æquo fuisset, coronis donans milites ob vallum curatum, aut puteum strenuè fossum. Adeoque de eo qui civem in prælio servaverat, duobus hostibus interemptis, locum autem non retinuerat, consultus Tiberius fuit, an Civicam meruisset? Isque rescripsit, meruisse, quod appareret è tam iniquo loco civem ab eo servatum, ut etiam à fortiter pugnantibus retineri nequiverit. Agell. *lib. 5. Noct. Att. cap 6.* Porrò honorata præmia præcipuè generosis tribuenda; utilia, demissioris animi viris: illa opulentis, ista tenuioribus. Distributio autem harmoniaca esse debet, quæ secundùm Arithmeticam proportionem nullius quidem in Rempublicam meritum inhonoratum transmittat; secundùm Geometricam autem, majora altioribus tribuat. Nam hîc potissimum Plinii scitum obtinet: *Si ordinum, dignitatum, graduum discrimina confundantur, nihil esse æqualitate ipsâ inæqualius.* Danda quoque præmia pro opibus Reipublicæ. Atque ita dispensanda, ne fontem liberalitatis exhauriant. Hinc quod quidam querendum putaverunt, utrum præstet præmia modica in plures spargere, an verò magnificentiam in paucis ostendere? Non dubito, quin longè melius sit, plurium industriam incitare, quàm paucorum diligentiam ipsâ munerum satietate resolvere: longè melius, plurium benevolentiam imò omnium animos modicâ sed facili æquabilique liberalitate promereri, quàm omnium irritare invidiam, in paucorum sinum congerendo omnia. Tacitus 3. *Annal.* inter causas cur Regum amici tandem languescant, *An*, inquit, *satias capit aut illos cùm omnia tribuerunt; aut hos cùm jam nihil reliquum est quod cupiant.* Illa justissima præmia sunt, quæ, ut apud Athenienses quondam, emeritorum ætati fessæ, & publicis curis laboribusque attritæ, cum neglectu rei familiaris, solatia tribuunt; quorumque gratitudo etiam longiùs consulit, viduis nempe pupillisque eorum qui publicam salutem suis mortibus redemerunt. Illis, si quod ad alimenta dotesque attinet, in vicem patris patria succedit; admirabile id reliquis incitamentum est ad audendum pro illa periculosissima quæque. Non minùs præmiis inliciendos, qui pacis, quàm qui militiæ artibus Rempublicam ornant, adjuvantque, liquere ex iis potest, quæ in tertio libro disserui. Hippodamus Milesius præmium ei decernendum censebat, qui aliquid utile Reipublicæ invenisset; consilii, legis, instituti, artisque salutaris auctor. Id quod Aristoteles quidem reprehendit, quia ignea & levia ingenia incitari hac occasione possunt, ad movendum non movenda, calumniandumque antiquitus placita studio novandi. Sed respondeti potest, non de cujuscumque,

sed salutaris novitatis repertore Hyppodamum loqui; non ante ablaturo præmium, quàm eam prudentiæ Principis aut Magistratus approbaverit. Et Xenophon eandem sententiam distinctiùs in eum dirigit, qui aliquid ad egregium publicum abque injuria cujusquam invenerit. *In Nerone.* Et sanè in populari Repub. non improvidè sentire Aristoteles videtur: populus enim levi impetu, sine delectu aut judicio acriore, subtili novitati applauderet.

CAPUT VII.

De Legibus Forensibus. An paucæ simplicesque præstent artificio Juris Romani?

Superest ut de forensibus legibus agamus; quæ ad disceptandum de controversiis circa bona pertinent: in quibus Romani Juris admiranda diligentia & subtilitas apparet; vel etiam curiositas calliditasque, ut quidam interpretantur: Qui ei imputant tantam fœcunditatem litium, tantam improbitatem calumniæ; tot trieas quibus judicia impediuntur, tot remoras ad quas æquitas adhęrescit. In conjecturam hujus rei majores nostros proferunt, populosque adhuc jurisprudentiæ expertes, penes quos tam raræ contentiones, tam expedita judicia. Magis tamen puto, calliditatem hominum Jurisprudentię exegisse subtilitatem; quàm ab ea populos ad litium astus instructos fuisse: haud aliter, atque medicina operosior evasit, dictante atque exigente perplexitate tot morborum, quos luxus invexit & varietas ciborum condimentorumque, non sedandę sed irritandę famį, non sanitati sed voluptati servientium. Id propius verò, quàm ut ex artificiosiore medicina descivisse corpora ab antiquo vigore dixeris. Vide Platonem 3. *De Repub.* Eundemque ad modum Seneca & Tyrius de Philosophia censent, copias viresque eam auxisse contra incrementa vitiorum; exuisseque simplicitatem priscam nudorum paucorumque præceptorum, quibus assentiebantur olim animi, nondum ingeniosę nequitię decretis obligati. Itaque ut populum rudi æquitate contentum, non probaverim Romanarum legum subtilitate acui: ita in gente ad astus exercita insigne calumniarum amuletum esse puto Jurisprudentiam Romanam.

CAPUT VIII.

De Emendandis Judiciorum vitiis. & primò de Judicibus. Principem iis intendere debere.

Unde igitur, inquiet aliquis, in tanto Jurisprudentiæ vigore & luce, tam lenta, invalida & ægra judicia sunt, unde tanta circa æquitatem contentio atque hallacinatio? Nimirum iniquè artibus imputantur hominum vitia, contagione suâ corrumpentium artes quas exercent. Culpa igitur penes Judices est causidicosque, qui ex litium copia & pertinacia, haud aliter quam ex promiscua morborum lue quæstum medentes petunt. Inprimis judices, ne clientum cultu & tributis, unà cum litibus, destituantur, etiam calumniis indulgent. Primum igitur remedium erit, ut Jurisdictionibus admoveantur prudentes justique, nempe æquitatis quàm pecuniæ; otii pacisque, quam negotiorum contentionumque avidiores; id est (uno verbo) non ambientes. Claudius sanè Imperator non pro reliquo stupore in hac re sese gessit, nam memorante Suetonio *cap. 15. in Claud. Cum decurias rerum actu expungeret, eum qui dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat; ut cupidum judicandi dimisit. Alium interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque cognitionis rem sed ordinarii juris esse; agere causam confestim apud se coëgit, proprio negotio documentum daturum, quàm æquus Judex in alieno negotio futurus esset.* Enimverò secundum hoc erit remedium, ut Princeps nullos tam liberâ

liberâ vel lubricâ potius jurisdictione extollat, quin iis ut arbiter immineat, ut censor intendat: & hoc certè fine non omnino à suis muniis removere religionem judicandi debet. Exemplo sunt tot Imperatores Romani; etiam ipse (quod miremur) Domitianus, de quo Sueton *cap.* 8. *Jus*, inquit, *diligenter & industriè dixit. Plerumque & in foro pro tribunali, extra ordinem ambitiosas centumvirorum sententias rescidit. Recuperatores ne se semper persuasoriis assertionibus accommodarent, identidem admonuit. Nummarios judices cum suo quemque consilio notavit: auctor & tribunis plebis fuit Ædilem sordidum repetundarum accusandi, judicesque in eum à Senatu petendi. Magistratibus quoque urbicis provinciarumque præsidibus coërcendis tantum curæ adhibuit, ut neque modestiores unquam, nec justiores extiterint: è quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus.* Successit enim Nerva qui ut ab omni specie sævitiæ Domitiani alienus esset, etiam à severitate abhorruit; indulgentiâ nimiâ remissus: adeò ut quidam de eo dixerit: *Æquè malum Principem esse, sub quo omnia, & sub quo nihil liceret.* Apparet igitur, quis fructus sit, si Princeps Judicum judicem, & judiciorum vindicem agat. Quæ pernicies, si (ut hodie ferè) hanc curam omnino seponit? Plato quidem *in Polit.* Regiam autem potestatemque separatam à muniis jurisdictionis scribit; perinde ut à belli præfectura; sed tamen iis similibusque præsidere & temperare adfirmat; quæ, quomodo & quatenus hæc exsequenda sint præscribentem. Id autem consequi certè Princeps nequit, nisi interim curas suas in tribunalia permittat, saltem de querelis publicis aut privatis adversus judices coortis cognoscendo. Tiberii hac in parte laudabilem diligentiam describit idem Suetonius in vita ejus *cap.* 33. *Magistratibus*, inquit, *pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, assidebatque mixtim, vel ex adverso in parte primori. Et si quem reorum elabi gratiâ rumor esset, subitus aderat; judicesque, aut è plano aut è quæsitoris tribunali, legum & religionis & noxæ, de qua cognoscerent, admonebat.* Et hactenus certè adfirmaverim quod quæri solet, an Principi conveniat judicem agere? Judicem enim aget ipsorum Judicum, si de corruptelis & iniquitate ipsorum querela est; judicem quoque aget in causis non vulgaris magnitudinis aut exempli, & ut subinde reverentia sui calumniam compescat, & judicia paulatim ad sinceritatem exemplo redigat. Rex qui sedet in solio judicii, inquit Salomon *Proverb.* 20. dissipat omne malum intuitu suo. Sic de Traiano Plinius: *Stant ante te litigatores non de fortunis suis, sed de tua existimatione solliciti: nec tam verentur quid de causa sua, quàm quid de moribus sentias. O veri Principis atque etiam Consulis, reconciliare æmulas civitates, tumentesque populos non ratione magis quàm imperio compescere! Intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere quicquid fieri non oportuerit!* Specimina autem & exempla æquitatis gravitatisque & solertiæ Traiani in Jure dicundo idem Plinius refert integra Epistola 31. & 22. *lib.* 6. Leges quidem diligenter & severiter contra corruptelas judicum prospexêre justitiæ; sed irritæ eæ sunt, Principe non intendente; hodie maximè, cum jurisdictiones ferè sunt perpetuæ. Leges autem, quarum executio desideratur, quasdam subjiciam: *Judices Pedanei si pecuniâ corrupti dicantur, plerumque à Præside, aut curiâ submoventur, aut in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur:* inquit Paulus in *l. Si quis aliquid. §. Judices. ff. De pœn.* Interest enim civilis causa sit, an criminalis. Etenim, ut idem ait 5. *sent.* 23. *Judex qui in caput fortunasque hominis pecuniam accipit, in insulam, bonis ademptis deportatur. l. 1. ff. Ad leg. Corn. De Si*-

car. Quod si pecuniâ acceptâ reum absolverit Judex, succedaneum se pœnæ reum facit. Paulus 5. *sent*. 16. Sed per administros familiamque magnorum Judicum corrumpi sinceritas jurisdictionis solet: adversus quam talis exstat lex apud Paulum 5. *sent*. 25. *Si qui de judicis amicitiis vel familiaritate mentientes, eventus sententiarum ejus vendunt, quidve obtentu nominis ejus agunt: convicti pro modo delicti, aut relegantur, aut capite puniuntur. l. Explicandi. C. De accus.* Hi sunt, inquit Sidonius *lib*. 5. qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant. Denique Judex qui contra sacras Principum Constitutiones, contrave jus publicum quod apud se recitatum est, pronuntiat, in insulam deportatur. Paulus 5. *sent*. 25. *l*. 1. *ff. De fals.*

CAPUT IX.

De industria Judicis in veritate deprehendenda & sententia acceleranda.

Illud jam tertium erit labentium hodie Judiciorum fulcrum, ut non specie tenus, sed reverâ cognitio Judicis interveniat. Jubeat ille partes coram sisti, & cominus disceptare: ex horum simplicitate vel astu faciliùs ad causæ intima & arcana penetrabit, quàm per alienæ eloquentiæ offucias. Illius quippe larva sæpe geminum litis vultum tegit. Utque illius impostura inhibeatur aut detegatur, consultissimum erit, Neronis exemplum sequi: qui, ut scribit Suetonius *cap*. 15. *In cognoscendo morem eum tenuit, ut continuis actionibus omissis, singulatim quæque per vices agerentur*. Similiter de Traiano Plinius *lib. 6. Ep*. 22. *Recepta*, inquit, *cognitio est. Fui in consilio. Egit uterque pro se: egit autem carptim, &* κατὰ κεφάλαια: (id est capitulatim) *quo genere veritas statim ostenditur*. Ita ingenuè Plinius quamvis Orator. Etenim perpetua oratione Facundia viget, quæ si interrumpitur, & ad quæsita ac singulos quasi nodos sistitur, jam quasi de regno suo dejicitur; jam non licet exspatiari, & à statu causę in plausibiles locos excurrere, intentionem Judicis avocaturæ ab iis quæ causam premunt, eaque aliis in speciem favorabilibus elusuræ. Atque ut in vastæ sylvæ libertate etiam ignava animalia astu, cursu, latebris venatorem eludere queunt; non etiam si in angustis septis deprehendantur: ita causa infirma quidem, sed eloquentiæ ingenio adjuta in perpetuæ orationis campis effugere Judicis cognitionem potest; non item si arctis limitibus concluditur de singulis controversiæ articulis non ultrà quàm ad quęsita respondendi. Sed ut per eloquentiam Oratores Advocatique causę ingenium tegunt; ita quoque aliâ arte homines quidam non jure, non eloquio instructi, sed versuti formularum aucupes, articulorumque litigandi pręcones. Hi longè perniciocissimo rati solennisque ordinis judiciorum pretextu identidem remoras cognitioni Judicis objiciunt, ne ad notitiam definitionemque perveniat controversi negotii. Alias atque alias quęstiones suscitant, sine quarum decisione obseptum iter ad principalem causam videri volunt. In hanc perniciem remedium erit, exolvere religionem Judicum nexibus religiosi, vel superstitiosi potiùs, ordinis Judiciorum. Nam si id religioni & diligentiæ judicandi contrarium est, quâ fronte ipsi illi, qui has ambages præposterâ industriâ commenti sunt, iis non Principem tantum, sed suprema tribunalia liberant? Mynsing. *Cent*. 4 *obs*. 5. Sic & illum cui Princeps committit causam dijudicandam, sola veritate inspecta, vel summariè, simpliciter, de plano, sine strepitu & figura judicii, non adstringi nodis solennis ordinis, sed eum animi sententiâ moderari posse, aiunt; dummodo jus Gentium non lædat. Myns. *cent*.3.*obs*.70 Et posse talem Judicem ab articulis incipere, iisque probatis ad sententiam pervenire. Quod si fortè

si forte vel prorogandi studio, vel tardioris ingenii conscientia, aut naturali cunctatione, solennem ordinem elegerit disceptandi; ipsum esse coërcendum, non verò idcirco sententiam oppugnari posse: ne quod in favorem celeritatis introductum est, cedat in augmentum moræ. *Arg. l. Nulla. ff. De legib.* Mynsing. *cent.* 6. *obs.* 17. Ego puto, ad expediendas lites pertinere, si tantundem omnibus ex æquo Judicibus permittatur. Nunc enim culpam vivacitatis litium ut litigatores ad causidicorum artes, ita hi ad judicum supinam negligentiam indulgentiamque, ipsi denique judices ad religionem ordinis judiciarii rejiciunt. Adhæc fatalis litium meta quam Justinian. triennio in civilibus, biennio in criminum quæstionibus, descripsit, citerioribus spatiis (veluti semestri, aut si testes extra provinciam sunt anno. Barclai. in *Argen. lib.* 5.) contrahenda est. Idenim non rescripto Principis tantùm Mynf. *cent.* 3. *obs.* 46. sed & consensui partium ipsi Interpretes Civilis Juris licere fatentur. Mynf. *cent.* 3. *obs.* 47. quamvis voluntati partium non eandem in prorogando vim tribuunt. Hartman. in *Miscel. cap.* 1. *obs.* 16. & Mynf. *ubi supra*, *obs.* 48. nisi, inquiunt, agatur de fatalibus terminis prosequendæ appellationis. Mynsing. *cent.* 3. *obs.* 69. Ego nec in his prorogationem admiserim: præsertim cum ipsi interpretes non patiantur prorogari decendium intra quod nisi appellatur à sententia, ei porrò acquiescendum est. Mynf. *cent.* 2. *obs.* 68. Sed & coram arbitro si disceptetur, hic quoque non minus quam in judiciis fatalem metam obtinere rectè censent. Mynf. *cent.* 3. *obs.* 44. Quod si Judices conquerantur diligentiam suam tam arctis abruptisque spatiis vel fatigari, vel coërceri, vel præcipitari; remedium erit, ut cogantur causas redundantes in delegandos à se Judices partiri. Hanc coactionem non temerè remedium vocavi: recidet enim superflua & inania, excitabit verò industriæ feriæ vigorem, æmulatione quadam, ne quasi in potestatis lucrique consortium recipiant alios. Eodem pertinebit, si nullum salarium interlocutionum recipere Judici licebit, nisi lite definitâ. Jam & appellationum licentia refrænanda est: quomodo illa in supremo Germaniæ tribunali non recipitur; nisi lis 150. florenis ad minimum æstimetur. Mynf. *cent.* 3. *obs.* 89. sed magno fomento litium abrogata est lex *Codicis*, ne in unâ eademque causa liceat tertiò appellare. Mynsing. *cent.* 1. *observ.* 15.

CAPUT X.

De Causidicis, Testibus, & ipsis Litigatoribus.

Superest de Causidicis agamus: quorum ingens numerus minuendus; nisi proportione causarum numerum succrescere volumus. In magno enim eorum exercitu multi, quia justas lites non inveniunt, vel iniquas suscitant, ne languente & neglectâ ipsorum operâ per professionis inane nomen despiciantur. Pauci igitur sint, sed spectatâ fide & integritate inimici calumniæ: quam præterea in singulas quas ordiuntur causas ejurent: atque si tam sanctum jusjurandum violaverint, pœna sit quæ plus quàm divinæ ultionis metus impios percellat. Plato sanè in Undecimo de legibus, cum diligenter judicia descripsisset; ad extremum accuratâ lege calumniam compescendam putavit. Multæ, inquit, res sunt suapte indole salutares, quibus tamen diræ quædam calamitates adhærescere solent, improbitate iis abutentium. Salutaria sunt judicia, per quæ potissimum genus humanum mansuescit: proinde & laudabile in judicio patrocinari alicui. Sed quidam in nefas & perniciem hoc convertunt, professi vel artem, vel expertem artis exercitationem, per quam fucis quibusdam vel assimilent justum verumque vel adulterent. Si quis igitur, inquit, his præstigiis oculos judicis a dispectu æquitatis veritatisque detorquere conatus fuerit; omnibus Jus sit, Calumniæ Judicium

dicium ei inferendi. Et si quidem civis hujus noxæ convincatur, capitale sit, sive avaritiâ, muneribus aut promissis inescatus; sive ambitione, id est studio contentionis, ostentandique ingenii id patraverit: peregrino autem non nisi ob sordes id capitale erit; ob ambitum verò hujusmodi, silentio & exilio fori perpetuo aut ad tempus, arbitrante Judice, mulctabitur. Hæc Platonis Lex si sanciatur, ociùs calumniæ facessent. Quod si tantæ severitati modò pares non sumus: saltem interdictione advocationis, mulctisque coërceatur calumnia: Judicibus permissâ potestate non minùs de Jure cujusque causæ, quàm de justitiâ Causidici inquirendi pronuntiandique. Mulctas autem quas Causidicus ob calumniam persolverit, repensari à Cliente nefas: ut & Tribunalis Cæsarei instructione continetur, & *l.* 46. *ff. De Procur.* Quærunt tamen quidam, an ultro oblatam repensationem recipere possint? Et distinguunt, utrum prohibiti sint exigere, an recipere. Mynſ. *Cent.* 5. *obſ.* 53. Ego nec recipere ab ultro offerente posse puto: ne alioqui prompta occasio sit eludendi Constitutionem. Facit *cap. Exigit. De Censib. in* 6. Sic enim in simili specie Jureconsultus *ff. De Jure Patronat. Adigere*, inquit, *Jurejurando libertam, ne nubat, etiam is intelligitur, qui jurare patitur.* Sed & circa calumniam quidam id quærendum putaverunt, an intentio plura continens capita ob falsitatem unius negari generatim possit? Et rectè judicatum est, inficiationem talem calumniæ obnoxiam esse, quamvis unus tantum articulus verus sit. Mynsing. *Cent.* 2. *obſ.* 55. Adhæc salarium prohibeatur advocatis persolvi ante litis finem, quemadmodum in tribunali Cæsaris observatur. Mynsing. *Cent.* 3. *obſ.* 75. jam contentiùs ad metam current. Quibusdam quoque videtur constituendum, ut à cliente victo nullum, vel admodum modicum honorarium debeatur Advocatis: quo scrupulosiore scrutinio, antequam litem instituant, causæ æquitatem examinent. Victorem verò clientem remunerari industriam patroni jubent æquali mercede atque judicibus persolvitur. Ego utilissimum putarem, ut dixi, & repetens iterumque iterumque moneo, si qui de principalis causæ, idem de Advocatorum meritis pariter judicaret: pro litis amplitudine & difficultate, proque doctrinæ & præstitæ operæ modo, honorarium definiturus; ob calumniam autem mulctaturus etiam, ob negligentiam verò negaturus mercedem. Sed de his omnibus itemque testibus & litigatoribus peculiari tractatu egimus curatius. Nunc spicilegii vice illud de testibus quæramus, an fas sit parti, illos, ante examen judicis, instruere in memoriæ adminiculum? Quidam adfirmant: ne immeditatus imparatusque inutili sumptu & occupatione & judicem & partem oneret. Mynsing. *Cent.* 3. *obſerv.* 75 Alii verò hæc subornationis vel velamenta, vel clementa damnant; tantumque antè sciscitari permittunt, ecquid de negotio sciat. Hartman. *tit.* 15. *De teſt. obſ.* 16. quibus & ego assentior. Testis autem, ut præsenti justitiæ terrore reprimatur à fallacia, rectè subjicietur coërcitioni judicis quem decepit: *l. Nullum. C. De teſtib.* etiamsi aliàs speciali privilegio ab ea jurisdictione sit exemptus. *Arg. c.* 1. *De privileg. in* 6. adeoque Clericum excipientium opinio neque in Gallia neque in Germania servatur. Excipiunt & judicem delegatum, quippe jurisdictione destitutum, nisi tamen à Principe sit delegatus. Mynſ. *Cent.* 6. *obſ.* 22. De pœna autem falsi testis Julius Paulus in Receptis sententiis *lib.* 5. *tit.* 15. sic scribit: *Qui falsò vel variè testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt: aut in exilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut curiâ submoventur.* Denique quidam existimant, arcendos esse litigatores à justo certamine per causidicos committendo, nisi re ante per ipsas partes coram tribus Judicibus ventilatâ, quibus

ex

ex æquo & bono satis de causa non liqueat. Hos quippe non adstringendos apicibus juris, sed arbitrorum instar fore. Satis multa Romano Jure ad inhibendam calumniam cauta sunt, si servarentur: veluti illud ad cunctationem contumacium abrumpendam apud Paulum *5 sent. 5.* Trinis litteris vel edictis, aut uno pro tribus dato, aut trinâ denuntiatione conventus, nisi ad Judicem à quo sibi denuntiatum est, aut cujus litteris vel edictis conventus est, venerit: quasi in contumacem dicta sententia auctoritatem rerum Judicatarum obtinet. Quinimo nec appellari potest ab ea. Ad compescendam calumniam illud quoque utiliter Jure Romano constitutum, quamvis à Justiniano omissum est, quòd possessor rei alienæ, ad duplos ex die litis contestatæ fructus condemnaretur. *l. 1. C. Theod. De fruct. & lit. expens.* Non rectè quoque silentio & inusu exolescere passus est Justinianus, quod Appellator victus victori sumptus reddere cogebatur in quadruplum. Paulus *lib. 5. cap. ult. Recept. sent.* Sed & sponsio aut depositio pœnæ in usu erat, committendæ scilicet victori ab appellatore victo. Paulus 5. *Sent.* 33.

CAPUT XI.

Magistratuum descriptio, & distinctio. Quæstio item, mutabiles an continuos esse melius sit?

JUridicè quidem Magistratus est, qui jurisdictioni præest, sed politicè latius paret, comprehendens quoscunque instructos potestate judicandi, consultandi, imperandi: qui à Majestate in consortium administrationis assumuntur; eique ut oculi, aures, manus inserviunt. Planè quidam ex iis directò Majestati operam navant, illi soli obnoxii; suntque altioris hi ordinis: quibus ipsis subjecti sæpe alii, & ab eorum præscripto pendentes, inferioris gradus sunt, ut Magistratus Municipales. Dividuntur adhuc in urbanos, Provinciales, militares. Item quidam præcipua imperii momenta exequuntur, quidam judiciis præsident, quidam morum censuram gerunt, alii denique opibus aut operibus publicis curant. Præterea quidam hereditaria potestate regunt, alii mandato imperio utuntur. Ex his ipsis quidam temporarii, alii perpetui. Circa quam distinctionem quæri solet, præstentne definitâ certo tempore potestate, & insolentiam inhibere eam quandoque depositurі, obnoxii reddendis rationibus, & reliquorum suas in honoribus vices sperantium exstimulare industriam; an verò ipsa perpetuitate augere dignationem Magistratus, & peritiam instruere experimentis? Præsertim cùm sic magis idem regiminis tenor, sine motu aut invidia innovationis, custodiatur; neque recentibus inanium cupiditatibus Respub. identidem subjiciatur. Et quidem de minutis officiis in quibus non tam potestas quàm ministerium cernitur, non est quod hæreamus, quin melius & benignius sit, perpetua esse. At verò ampliores dignitates, in Democratia quidem custodiendæ æquabilitati mutabiles esse debent; in Monarchia autem perpetuæ, exceptis altissimis præfecturis, quarum potentia ne plus quàm civilia agitet, utiliter temperabitur temporis brevitate. Consiliarii autem perpetui ut sint, expedit, & ad arcanorum custodiam, & ad prudentiæ incrementum, & ad fidem auctoritatemque, & denique ad unum eundemque imperii tenorem. Novi namque ut industrię specimen edant, laudem sibi ex reprobatione antecedentium aucupari solent; instar architectorum, qui operi ab aliis penè perfecto superinducti semper aliquid carpunt mutantque.

CAPUT XII.

Qui qualesque Magistratus legendi.

IN Magistratibus eligendis tres potissimùm dotes requirit Aristoteles, Virtutem, Peritiam, Charitatem status Reipublicæ. Primum quod attinet, Plato

Plato hoc præcipuum putat, *ut iis in quorum tutelam atque fidem Respublica ulla credatur, auri atque argenti habendi cupido nulla sit, nec specie communi privatas opes appetant.* Apuleius *De Philos.* Avari igitur tam procul abigendi à dignitatibus, quàm ipsi à virtute recedunt. Quæ dubites, ornamenti plus instrumentique conferat dignitati, an ex ea recipiat: quia non minùs verè dixeris, quòd vir Magistratum illustret; quàm quòd Magistratus virum ostendat. Nusquam enim uberiorem Virtus materiem habet, quàm in Magistratu. Tunc enim ad plures Justitiæ fructus manat; imò ipsa Justitia: privati enim se justos præstant; Magistratus, & alios. Prudentia quoque in angusto lare conclusa modici usus est; at diffundit longè latèque radios, dum Rempublicam vegetat illuminatque universam. Divinæ quoque litteræ eam Temperantiam eximiam maturamque censent, quæ in lubrico vestigium tenêre potuit; & impotentiam animi refrænavit in potentia fortunæ; & in potestate licêre sibi non quod liberet, sed quod deceret credidit. Fortitudo quoque in Magistratu tanto est illustrior, quanto pluribus discriminibus, laboribus, contentionibus, offensisque potentiorum, & calumniis patium, pro tuenda æquitate objicitur. Hæc in Magistratibus eligendis spectabat Julianus; ad quem Mamertinus in *Panegyrico: Quisquis*, inquit, *capere Magistratum voles, auri atque argenti negligens esto, nullas ostiatim potentium ædes obito, nullius pedes, nullius genua complectitor: adhibeto tantum tibi gratuitas & paratu facillimas comites, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam atque Prudentiam; ultro ad te maximus Imperator accedet, & ut capessas Rempublicam flagitabit.* Igitur omnium chorus virtutum in Magistratu requiritur; nec Temperantiæ sedatio sine Fortitudinis vigore sufficit; quia æquo remissior est: nec fortitudo sine moderatione satis est, quia temeraria insolensque. Quod si hæc in uno temperies obtineri nequit: id agendum ut modesto placidoque acer & vehemens collega jungatur: ut illius cauta & benigna atque æqua consulta hujus acrimoniâ & alacritate animentur. Plato in *Polit.* Virtus itaque Magistratibus convenit & necessaria est: ex adverso improbis potestas non magis congruit, quàm furenti gladius; quam Suis naribus annulus aureus. Secunda dos est prudentia demandato muneri par. Nam assessorum adjutorumque opera ita demum utilis esse potest, si illi ut oculi manusque Magistratus sint, quos ipse tanquam animus moveat & moderetur. Sin aliter, ipse ex iis pendet; nec ipse, sed ii regunt. Scientiæ quidem, si ad eum hauriuntur modum quem suo loco descripsimus, Prudentiæ vim excitant ejusque opes augent, & usum dirigunt: quidam tamen Magistratus naturali industriâ contenti, doctrinam non requirunt; adeoque humiliores operas exigunt, quàm quibus sublimior cultiorque mens intendere se sustineat; & proinde ab ineruditis animis meliùs subeuntur; quia intentiore curâ, & impensiore diligentiâ. Apposité Seneca *de Brevit. vit. cap.* 18. *Aptiora exportandis oneribus tarda jumenta sunt, quàm nobiles equi: quorum generosam pernicitatem quis unquam gravi sarcinâ pressit?* Porro in conjecturam virtutis, administrandæ Reip. paris, inspici œconomia Candidati debet: nam prout domui benè aut secus consuluit, perinde in Republica versaturus Isocrati aliisque prudentiæ auctoribus videtur. Sed id hodie pravè videtur intelligi. Cernimus enim maximè extolli acerrimos patrimoniorum fabros: quos tamen necesse est avaros, id est non abhorrentes ab injustitia esse. At non tales Curii & Fabricii, quibus Respublica, & cum privatæ neglectu, curæ erat. Ita igitur consideranda industria œconomiæ, ut potior esse justitia intelligatur, quâ vix est ut Pluto propitietur.

Verè

Verè Symmachus, infirmam semper bonis temporibus opulentiam, dixit. Denique eos in Magistratus adoptat Atistoteles, qui benè de Rep. sentiunt, nec statum ejus præsentem aversantur. Sic Augustus, cùm ætatem eam illustrarent duo Juris antistites Atteius Capito & Antistius Labeo; illum evexit ad consulatum; posthabito Labeone quamvis præcelleret. Hic enim Rempub. veterem & libertatem adeò spirabat, ut (scribente Agellio) jam imperitante & legum arbitro Augusto, nihil tamen pensi haberet nisi quod in antiqui juris monumentis invenisset. Labeo, inquit Tacitus, incorruptâ libertate, Capitonis obsequium dominantibus magis probatur. Sed cum aliàs virtutum viriorumque confinio falli facile est, tum Reipub. moderatoribus in hac parte facillimum; si nempe vividos erectosque animos, tanquam Monarchiæ contrarios aversentur: nullum enim ei periculum ab erectis, si pariter recti sunt: tantumque à contumacia fides & obsequium generosorum abest, quantum à servitute. Vide Senecam *Epist.* 72.

CAPUT XIII.

An ætas, patria, genus, fortuna pariter spectanda in electione Magistratuum? De proludiis Juvenum ad Reipub. administrationem adspirantium.

Et illa quidem tria potissima sunt; alia præterea quędam vel in accessionem, vel in experimenta istorum exigenda sunt. Inprimis ętas senescens aut saltem matura. Cujus rei, inquit Pacatus ad Theodosium, ita fuit cura Majoribus, ut non solùm in amplissimis Magistratibus adipiscendis, sed in Præturis quoque aut Ædilitatibus capessendis, ætas spectata sit peritorum; nec quisquam tantum valuerit Nobilitate vel gratiâ vel pecuniâ, qui annos comitiali lege pręscriptos festinatis honoribus occuparit. Nec injuriâ id quidem. Nam & qui venturi sunt in Virtutis adoptionem, illo tamen adolescentiæ lubrico, ut non cadant, titubant. An non Clarissimos Nominis Romani Viros, illos Catulos, Scipiones loquor, aliquamrisper sibi luxuria vindicavit? Quos etsi ad portum mutati in melius revexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo jactavit; & naufragos atque fluctuantes ab illis quibus mersabantur erroribus ægrè ætas recepit. Sic Galba Pisoni quem adoptabat, Ea, inquit, tibi ætas quæ adolescentiæ cupiditates effugerit. Sed non sola hæc causa adolescentiam à Repub. arcet, senesque præponit: sed præterea Senectuti naturalis quædam veneratio Auctoritatem conciliat; sive ea ab experientia est. Omnes certè lubentius senectuti concedunt, quia sic nihil sibi decedere putant, ejusdem prerogativę vices pręstolantes. Verùm procerum & nobilium liberi dum nondum per adolescentiam eum suffragii jure intervenire Reipub. debent, ita discendi causâ aliquatenus admittendi. Erat, inquit Plinius *lib.* 8. *Epist. ad Aristonem.* antiquitus institutum, ut à majoribus natu non auribus modò, verùm etiam oculis disceremus, quę facienda mox ipsi, ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo; Duces agere, dum sequuntur adsuescerent. Inde honores petituri adsistebant curię foribus, & consilii publici spectatores antequam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro, ac cui parens non erat, maximus quisque & vetustissimus pro parente. Quę potestas referentibus, quod censentibus jus, quę vis Magistratibus, quę ceteris libertas; ubi cedendum, ubi resistendum; quod silentii tempus, quis dicendi modus, quę distinctio pugnantium sententiarum, quæ executio prioribus aliquid addentium: omnem denique senatorium morem (quod fidelissimum pręcipiendi genus) exemplis docebamur. Itaque quemadmodum futuro Gubernatori necesse est sæpe in

puppi ſtetiſſe ſpectatorem certaminum cum procellis, fluctibus, & tenebris: ita (inquit Plutarch. *cap.* 22. *An ſeni Reſpub.*) civitatem quandoque recturus, populumque aut ſenatum amabili ſuadę violentia tracturus, neceſſe eſt ſæpe adſtiterit fręna tenentibus clavumque moderantibus oratoribus & Ducibus, peritię & fortunę auxiliis certantibus. Sic enim cum iis in utramque partem inclinando, non ſine periculis & negotiis oportet didiciſſe Reipub. regimen. Atque hæc Juventutis proludia erunt, applicare ſe ſeni in adminiſtratione Reipub. admirando: ipſorumque jam ſenectute ad externa molimina languentium has in gerenda Repub. ordine quidem ſed non dignatione poſtremas partes Plutarch cenſet *cap.* 26. *ubi ſup.* Oportet, inquit, Politicum jam ſenem expertem invidię eſſe, neque inſtar veterum truncorum faſcino quodam juxta virentia & ſuecreſcentia ſucco ſpoliare, & incrementa impedire; ſed candidè ſeſe adjungentes quaſi in diſciplinam recipere clientelaque, dirigendos, manu ducendos, non præceptis modò monitiſque, ſed impartiendo materiam tractandi publica; verùm materiam benignam, facilem, nec in damnum Reipublicæ, aut offenſam populi proclivem, ſed ei gratioſam, & unde gloria manet, quæ illecebrâ ſuâ ineſcatum animum ad induſtriam excitet. Ceterùm actiones quæ medicamenti inſtar exaſperant, antequam fructus appareat, eas ſenes ſuæ potius auctoritati reſervabunt. Hactenus igitur publicis negotiis Juvenes generoſi intervenire poſſunt; in proludium, inquam, & ſub ductu auſpiciiſque ſenum, itemque ut prudenter conſulta validè & maturè exequantur. Senibus enim ut vires corporis, & cum iis impetus celeritaſque & alacritas agendi languent; ita animus conſiliis viget, in ſe quippe jam collectus, nec perinde deficienti corpori immerſus, aut cupiditatibus ejus diſtrictus. Sic Sacræ, *Job.* 12., ſic Profanæ litteræ judicant. Quæ tamen intelligenda ſunt de animis beneficio naturæ & induſtriæ vegetis; ceterum enim ſtupidi fluxique, non magis ætatem fetunt, quàm levia vina. Cic. *in Catone.* Sic enim quod Seneca dicit *Ep.* 104 *Senectutis maximum fructum eſſe, ſecuriorem ſui tutelam, & vitæ uſum animoſiorem*; id in egregiis quidem mentibus locum habet. Quomodo Solon, cùm adverſus Piſiſtratum, quem tyrannidem moliri, decepto per blandimenta populo, proſpexerat, ſolus proruliſſet arma ſua, cives ad defendendam libertatem exemplo & oratione exſtimulans; interroganti Tyranno, quâ fiduciâ iſta patraſſet? Reſpondit, Senectutis. Plutarch. *ibid. cap.* 32. At ſanè vilioribus animis non plus animi contra terribilia, plus libertatis in ſententiis, pluſve ſpiritus adverſus potentes infundit ſenectus: ſed illi juxta ac Juvenes mortem horrent, adeò ut ab ipſa ſenectutis æſtimatione, ab ipſo nomine & omine abhorteant. Vide Senecam *De Brevit. vit. cap.* 11. Ad hos pertinet Epicuri ſententia: *Inter cetera mala hoc habet ſtultitia proprium; ſemper incipit vivere:* qui ſæpe in exitu nova vitæ fundamenta moliuntur. Seneca *ep.* 13. Unde ſenes nunc primùm ad Rempublicam accedentes, non promovendi ad dignitates, tanquam intempeſtivâ ambitione juvenilem intemperiem æquantes aut antecedentes etiam. Adeoque qui in Republica conſenuit, non quibuſvis ſe actionibus offerre debet, ſed magnis tantùm, & rogatus. In hanc ſententiam Plutar. *cap.* 30. Fortaſſe juvenem, ut eſt apud Homerum, decent omnia; civeſque eum amplectuntur ubique; in parvis crebriſque actionibus, ut popularem & impigrum; in magnis, ut magnificum & generoſum: adeò ut etiam temeritas ejus aut contentio interdum non ingrata ſit. Diverſa ſenum in adminiſtranda Repub. ratio eſſe debet: quorum odioſa eſt & importuna oſtentatio vel arrogantia, ſi promiſcuis ſeſe offerunt negotiis, ut vecti-

vectigalium locationibus, procurationibusve portuum aut fori, legationibus quoque ad Regulos magis ad pompam quàm necessitatem Reipublicæ pertinentibus. Senem enim, inquit, ne Magistratum quidem gerere oportet, nisi præ aliis insignem: verùm ne talem quidem ambire debet, sed ambiri; neque illum sibi affectare, sed se illi indulgere. Tiberius magnum imperitiæ sui probrum putabat, si quis post 60. annum Medico porrigeret manus: at multo per abjecti animi notam infamius est, si quis eâ ætate ad populum tendat manus suffragii causâ. Is igitur si gravitatem tueri ætatis cupit, neque in concione, neque in Senatu passim contendet aut obloquetur junioribus: sed potiùs suo exemplo verecundiam in illis suæ reverentiæ integram servabit: adeoque & ab iis suam quandoque sententiam examinari aut reprehendi civiliter feret; ut auctoritatem retineat sibi illibatam, contradictionemque à morositatis suspicione puram, cum operæ pretium erit. Quomodo Appius Claudius, non senex tantum, sed cœcus, in curiam deferri se jussit, ut dissuaderet indecotam cum Pyrro pacem, in quam cladibus fractus inclinabat Senatus. Sequitur nunc consideranda origo. Et plerique ferè omnes populi sese indigenarum Magistratuum fidei amorique in patriam, & peritiæ morum, committere malunt; infensissimâque invidiâ, nec sine suspicione opprimendæ libertatis, adspiciunt exteros à Principe in curiam & tribunalia induci. Vide Mynsing. *Cent*. 4. *obser*. 30. Itaque videtur rectè dictum: *Suis quique paret placidiùs*. Curt. *lib*. 6. Alii verò Jurisdictiones, potissimum quæ ad coërcitionem criminum pertinent, mandare exteris malunt, tanquam sine odio & gratia incorruptiùs inter extraneos agitaturis: nam indiginæ affinitatibus necessitudinibusque variis impliciti, magis affectibus obnoxii videntur. Idque à Jure Romano non prorsus alienum putant. *l. Si ea. ff. De Offic. Assessor*. Antonius Thessaur. *Decis*. 268. In ea Provincia, inquit Paulus 5. *sent*. 12. ex qua quis originem ducit, Officium Fiscale administrare prohibetur: ne aut gratiosus aut calumniosus apud suos esse videatur. Sed & Principem non adstringendum censent, quo minùs ex omni mortalium genere deligere in consilium sibi prudentissimos possit. Dicendum itaque est, obsequendum hac potissimùm in parte institutis Reipublicæ esse: quod si per ea licet etiam peregrinos ad Rempublicam admittere, non tamen temerè id Principi committendum esse; sed si exteri alicujus eximia & quotidianam laudem longè supergressa sapientia eum in admirationem traxerit. Hic enim talis non uni adscriptus glebæ; sed, ex Stoicorum magnificâ sententiâ, universi civis censeri debet. Verumtamen & hic ita melius Reipublicæ honoribus miscebitur, si & legum, periculorum cladiumque societatem subierit, civitati insitus pleno jure. Quare tales jubendi bona immobilia in ea quam elegerunt patriâ possidere, nulloque modo permittendi, ut pecuniam quam ibi lucrantur in natale solum mittant, istic rerum ac fortunarum summam retenturi. Sic Traianus candidatos *patrimonii tertiam partem conferre jusserat in ea quæ solo continerentur: deforme arbitratus, honorem petituros, urbem Italiamque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo quasi peregrinantes habere*. Plin. *lib*. 6. *ep*. 19. Multò minùs connivendum, ut suæ vel aliis civitatibus devincti stipendiis maneant, aut honoraria aliunde recipiant: cumque negotia ad ipsorum patriam spectabunt, abstinere consilio debebunt. Utcunque autem exteri ad Rempublicam admittantur; nequaquam tamen profugi à suis: ne quasi serpens frigore contractus in perniciem foveatur. Tales enim sæpe Reipublicæ in qua excellunt proditione reconciliationem cum patria sua moliuntur: aut certè quia non animorum, sed temporum inclinatione alienæ civitati se miscue-

miscuerunt, levibus iterum rerum momentis infidè ab ea desciscunt. Hoc amplius si Princeps ipse peregrinus est, omni ope annitetur, ut tantum indigenas honoribus complectendo suæ peregrinitatis invidiam aut suspicionem deleat atque obliteret. Quod si unus Princeps distinctas ditiones teneat; quo magis ex animis moribusque coalescant, ex una in aliam, quasi permutatione factâ, Magistratus mittet, iniquitatis speciem æqualitate ipsâ abolente. Si verò Principatus provincias habet, earum gubernacula non permittet indigenarum suspectæ fidei: ne tamen illi id intelligant, (nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, inquit Seneca) minora officia, veluti municipales Magistratus, & quibus non satis ad rebellandum virium insit, solis indigenis committet. Consequens est, ut de genere quæramus, prçstetne dignationem Magistratibus quærere, soli Nobilitati eos conferendo; an verò utilius sit bonis artibus excitandis, non majorum imagines & Nobilitatis fucum, sed nudam animi speciem intueri? Etenim ut Sigismundus Imperator dictitabat, Nobilitatem non est quod fastidiosè quçrat Majestas, cum dare eam possit; at sapientiam & virtutes dare aut supplere nequit, magna & rara solius cœli munera. Spectanda & hic consuetudo est aut lex patriç: quæ tamen Nobilitati Magistratus deferens, hactenus obtinebit, si illi animis ingeniisque pares: tunc demum prærogativa illis sua erit. Sed si solis Nobilibus dignitates lex defert, vix est ut non hâc fiduciâ illi in superbam inertiam resolvantur. Igitur id agendum est, ut Nobilibus mixti qui sapientiæ gloriâ Nobilitatem sibi suisque ordiuntur, & illos æmulatione, & ceteros sparium ornamentorum ad industriam accendant: memores autem originis & progressus, ut ab illa contemptum arceant, intendant industriæ nervos; ut hunc invidiæ subducant, modestiam colant. Nimirum

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Fortunam reverenter habet, qui eam non ut mancipio sibi datam, sed ut arbitrii sui ipsam instabilemque adspicit, nec exultat, ferocit, lascivit; sed temperanter benigneque eâ utitur, & in sinu (ut proverbio dicitur) gaudet, quem non fastu luxuque, sed liberalitate tantum excutit. Tiberium Tacitus laudat, quod honores mandabat Nobilitatem majorum; claritudinem militiæ, inlustres domi artes spectando. Nobilitati igitur æquabat claritudinem pacis aut belli artium. Adeoque ex omnibus honestioribus civibus ad Reipub. administrationem legentur aliqui, ut omnium ordinum amica consensione, tanquam congruentium membrorum symmetriâ, in unum corpus collecta Respub. munitior fit. Dixi *ex honestioribus civibus;* non enim facilè ex Mechanicis Magistratus legendos alibi monui, etiam Siracide edicente *cap.* 38. Denique opum aliqua ratio habenda videtur, quippe quæ obsidis vice Reipub. sunt, & per quas vel adimatur occasio fraudum, vel damnum ab iis datum Reipub. resarciatur. Apud vulgus quoque auctoritatem orationi opes conciliant; Syrach. *cap.* 13. & despecta ferè paupertas. Omnia quieta & salva civitati esse, divitibus magis expedit: egentes autem odio suarum rerum (ut Salust. ait) immutari omnia velunt, lucrumque quodcumque honesto præponunt. Verum hæc non pertinent ad eximiam inusitatamque cum probitate Prudentiam: cujus certè in administratione Reipub. primç esse partes debent. Sed nec quod de divitiis diximus, ad ingentes magis, quàm mediocres & dignitati sufficturas facultates spectat. Enimverò magnæ opes exiguo tempore accumulatæ, aut aliàs per fraudes sordidove quæstu partæ non ornant magistratum, sed dedecorant.

CAPUT XIV.

An Sapiens ad Rempub. accedet?

EST hec vetus admodum quæstio, beatiorne Sapientis vita sit in se con-

conversi, otioque litterario omnium operosorum negotia superantis, dum non unius seculi, uniusve regionis, sed generis humani Rempub. curat; nec unum Magistratum gerit, sed omnes format: an verò è contrario verè Poëta censeat:

Major & utilior fato conjuncta potenti,
Vile latens virtus. Quid enim submersa tenebris
Proderit obscuro? veluti sine remige puppis,
Aut lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Vilem appellat virtutem, quæ latet intra conscientiæ latebras; an etiam jactantiæ involucra? quæ vel timiditate, vel mollitie, vel civilis societatis aspera ratione, à Reipub. luce refugit; umbra & silentio marcescit. At ut Sophocles ait:

Æris instar quod longo post tempore
Usu refulget attritum, virtus viri
Comperta splendet actionibus probis.

Sicut contrà otio obsolescens ingenium velut ærugine consenescit, ut Plutar. ait *lib. De occultè vivendo cap.* 4. & 5. Alta illa & immota quies corpora & animos quasi tabe corrumpit, desidiâ & & inusu senescentibus animæ facultatibus: haud aliter atque vitium aquæ concipiunt, quas umbra locique positura à flatu & fluxu prohibet. Ut sidera & cœlestia ipso motu & agitatione sese vegetant & perennant: ita cognatæ iis mentes agilitate gaudent & crescunt. Dicit Poëta virtutem in privati laris tenebris conclusam non prodesse obscuro: certè vix prodest aliis. Sicut lumen; inquit Plutarch. 16. *cap.* 4. non manifestos tantùm nos, sed & utiles invicem facit: ita notitia non gloriam modò, sed & actionum insignium materiam virtutibus subministrat. Comparat Poëta deinde illos qui virtutem & prudentiam operibus non experiuntur, navi quæ non navigat; lyræ quæ ad concentum non animatur, arcui qui ad usum non tenditur: tales enim gubernandi peritiam profitentur, & ab undis ac procellis refugiunt, eloquentiâ gloriantur, & doctam illam Suadam in concionibus aut Senatu nunquam proferunt, quæ ad harmoniam æquitatis affectus componat; virtutes jactant, & fortitudinem cum industria, nec unquam civicis negotiis contentionibusque intendunt animum. Idemque Vates inducit justitiam Mallium sic adloquentem:

..... Melius magnoque petendum
Credis, in abstrusa rerum ratione morari?
Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexêre magis, quàm qui responsa secutus
Obruit Eoas classes, urbesque carinis
Vexit & arsuras Medo subduxit Athenas
Spartanis potuit robur præstare Lycurgus
Matribus & sexum leges vicêre severa.
At non Pythagora monitus annique silentes
Famosum Oebalii luxum pressêre Tarenti.

Igitur utcumque se Respub. dabit, inquit Seneca *De Tranquil. cap.* 3. *utcumque fortuna permittet, ita aut explicabimus nos aut contrahemus: utique movebimus, nec alligati metu torpebimus. Imò ille vir fuerit, qui periculis undique imminentibus, armis circa & catenis frementibus, non allíserit virtutem, nec abscondérit.* Laudat ecce eum qui etiam turbatæ Reipublicæ periculosæ administrationi se miscet: eo scilicet temperamento, ut nec abscondat virtutem, socordi desidiâ, vel deformi adulatione; nec eam allidat immodicâ libertate famam fatumque provocans. Qualem moderationem in L. Pisone, M. Lepido, agricola suo, aliisque qui sub Tyrannis columina & solatia fuêre civitatis; laudat passim Tacitus. Aliis verò placet (ut dicebam)

Nulli nota Quiritibus
Ætas, per tacitum fluens.

Nam ut Philosophos omittam, qui contra potentiæ & gratiæ admiratores laudant otium placidum, suique juris animum, ab externis ad æterna, ab alienis ad sua, à terrenis ad cœlestia, à tumultuosis ad tranquilla conversum: Quid ipsi Proceres, Regesque? Non memorabo Antigonum, qui muliereculæ Regni felicitatem admiranti: *Si quis sciret*, inquit, *mulier, quantum mali sub illa fascia* (diadema insinuans) *lateret, nec humi jacentem tolleret.* Augustum videamus: adeptus

tus ille tot laboribus, tot periculis bellorum, tantâ strage civium imperium omnium florentissimum; an saltem fructu ejus tandem acquievit? Imò verò non cupidiùs illud quæsivisse, quàm postea privatæ vitæ quietem desiderasse videtur. Exstant vota & suspiria ejus consignata litteris ad Senatum. Vide Senecam *De Brevit. vit.* Sed ille hanc quoque summæ potentiæ servitutem expertus est, quod minorem facere tutò se non posset; promptiusque esset de tali fastigio dejici, quàm descendere. Quid Mecenas? Qui in primo potentiæ & amicitiæ gradu apud Augustum constitit: *Ipsa*, inquit, *altitudo summa attonat.* Seneca Quo sensu? *Quæ aliis*, inquit Seneca *Ep.* 94. *videntur excelsa, ipsis prærupta sunt. Itaque exanimantur & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maximè lubricos: tunc appetita formidant, & quæ illis alios graves reddit, gravior ipsis felicitas incumbit. Tunc laudant otium lene, & sui juris: odio est fulgor, & fuga jàm à rebus adhuc stantibus quæritur.* Sed frustra sæpe. Nam quid ipse Seneca? Nunquid Princeps jam potentiæ, exuere eam concupivit, nec potuit? *Nimia* enim (ut Plinius ait *lib.* 14. *cap.* 4.) *supra ipsum ruit.* Ipsum Senecam de se audiamus in *Tragœd.* potentiam vel exilio permutaturum:

Quid me potens fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum meâ,
Altè extulisti? gravius ut ruerem editâ
Receptus arce, totque prospicerem metus?
Melius latebam, procul ab invidia malis
Remotus, inter Corsici rupes maris:
Ubi liber animus, & sui juris mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quàm juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cælum intueri! .....

Seianus apud tacitum 4. *Annal.* negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, *extollens laudibus quietem & solitudinem, queis abesse tædia & offensiones, ac præcipua rerum maximè agitari.* Ille quidem non ex animi sententia jactabat ista, sed sententiæ veritatem infami & atroci exitu ipse quoque comprobavit. Reverà, nihil omnium rerum humanarum æquè instabile, ut potentia non suâ vi nixa: quod Taciti veriloquium Philosophus ille illustrat, qui in aula potentes computatorum calculis comparabat, qui levissimis momentis nunc asses, nunc ingentes summas repræsentant. Meritò itaque Sen. *Ep.* 115. *Utinam*, inquit, *honores petituri, cum ambitiosis, & summum adeptis dignitatis statum, deliberarent! profectò mutassent. vota.* Et cum Tragico exclamarent:

Stet quicumque volet potens,
Aula culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies:
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.
Sic cùm transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.
Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi. Senec. in *Thyest.*

Privatæ vitæ fructum duplicem præcipuè insinuat, Otium lene, & Notitiam sui: illud tranquillitatem animi designat: quam Democrati monitum promittit, *Si neque privatim, neque publicè, multa aut majora viribus nostris egerimus. Nunquam tam feliciter*, addit Seneca 3. *De Ira c.* 6. *in multa discurrenti negotia dies transit, ut non aut ex homine, aut ex re offensa nascatur, quæ animum in iras paret. Quemadmodùm frequentia urbis loca properanti in multos incursitandum est; & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi: ita in hoc vitæ actu dissipato & vago multa impedimenta, multæ querelæ incidunt. Itaque non est*, ut cum eodem Seneca dicam *Ep.* 36. *quod tibi isti persuadeant, eum esse felicem, qui à multis obsidetur* (clientibus) *sic ad illum, quemadmodùm ad lacum concurritur; quem qui exhauriunt, & turbant.* Ap-

tâ imagine potentes illos in Repub. cum lacu comparat: clientes enim, aliique specie cultus & amicitiæ, assiduè perunt ab illis aliquid; eosque distringunt & inquietant negotiis: atque ita illi non sibi, sed aliis vivunt; quantoque notiores aliis, sibi ignotiores, & quia vitæ inanes acerbâ & quasi semper immaturâ morte excedunt. *Quemadmodùm*, inquit Sen. *De Brevit. vit. cap.* 9. *quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, pervenisse se antè sciunt, quàm appropinquasse: ita hoc iter vitæ assiduum & citatissimum, quod dormientes vigilantesque eodem gradu facimus, occupatis non apparet nisi in fine.* Neque verò Sapientiam otio dedicatam inerti laudamus, cum Epicureis; sed quæ commentando, docendo, monendo semper in opere sit: hæc enim majora quàm quisquam ex occupatis agit; divina & humana tractat. Seneca *ep.* 8. Etenim contemplationi intentorum vita non minore divortio distat ab otio in voluptates resolutorum, quàm à contentione in negotiis Reipub. versantium: hanc enim triplicem vivendi sectam esse constat. In hanc sententiam Athenodorus apud Senecam *De tranq. cap.* 11. *Quia in hac*, inquit, *tam insanâ hominum Ambitione, tot Calumniatoribus in deterius recta torquentibus, parum tuta simplicitas est, & plus futurum semper est quod obstet quàm quod succedat: à foro quidem & publico recedendum est: sed habet ubi se etiam in privato lare explicet magnus animus. Nec ut leonum animaliumque impetus caveis coërcetur; sic hominum, quorum maximè in seductu actiones sunt. Ita tamen delituerit, ut ubicumque otium suum absconderit, prodesse velit & singulis & universis ingenio, voce, consilio.* Quid, quod ipso exemplo boni prosunt aliis; non aliter quàm nocere non sibi tantùm, sed reliquis quoque contagione intelliguntur vitiis mancipati? Sen. *De Otio sapient.* Epict. in *Enchir.* *Ut salutaria quædam*, inquit ille Sen. *De Tranq. cap.* 3. *citra gustum tactumque, odore proficiunt: ita virtus utilitatem etiam ex longinquo & latens fundit.* Peripatetici quidem virtutem usu ferè solo censent: sed contrà hos, eam ipso habitu optimæ mentis compleri, rectè Stoïci censent. Sed ut tandem controversiam hanc definiamus: inspiciendum sequendumque suum cuique genium dicimus, deinde examinandam sortem temporum & Reip. in quam natus est. Multis enim non ea animi alacritas, ut contentionibus civicis par sit, quæ promptum excitatumque ingenium desiderant: quales tamen sæpè placidâ & sedatâ mente studiis contemplationique aptissimi sunt. Multis quoque non ea per fortunam dignatio, ut cum auctoritate versari in Repub. possint: multis valetudo laboribus impar. Jam & Respub. depravatior interim esse solet, adeò ut non magis ibi locus Sapienti sit, quàm sobrio inter ebrios: istic intempestiva Sapientia vel irrisui & contumeliis, vel periculis etiam & suppliciis sese objectabit, si (ut in proverbio est) cum furentibus insanire dedignetur. Tunc igitur locum habet Chrisippi sententia. Interrogatus enim cur Rempub. non administraret? Ne, inquit, si perperam administrem, Numen; sin rectè, homines offendam. Id Catoni accidit, dum furentium procerum contentioni arbitrum se objicit, & bellum civile jam nascens elidere conatur: non fuit certè arbitrante Seneca *ep.* 14. atque ipso Catonis exitu clamante, tunc Respublica, cui misceere se Sapiens deberit. Perversior etiam Respub. erat sub Nerone, cui cum Petus Thraseas pari constantia & moderatione intervenires, ut furentis Principis repagulum quoddam esset, & abjecti Senatus incitamentum, solamenque adflictorum civium, & caliginosi seculi sidus; non feliciorem Catone exitum sortitus est. Admonebat ille supremis sermonibus insignem æmulatorem virtutis suæ Helvidium, non esse illud tempus, quo Respublica

ea Sapienti administranda esset: sed generosum spiritum non inhibuit, quin pergeret complectendo Rempublicam tendere ad similitudinem fati ejus, per cujus virtutum vestigia semper iverat: nam ne exilio quidem, quod sub Nerone sustinuerat, debilitati animi libertate, sub Vespasiano, occasionem mortis provocavit. Exempla non colligam, obvia enim sunt (pro dolor) & innumerabilia. Breviter igitur & distinctè de sententia Stoicorum Seneca *Ep.* 68. *Nec ad omnem Rempublicam mittimus, nec semper, nec sine ullo fine.* Non semper, inquit: optimum enim contemplationem actionemque miscere, quia ut illa sine hac sterilis, inefficax, atque enervis videtur; ita hæc sine illa cœca est & præceps, servilis & inquieta. Denique nec sine ullo fine, inquit Seneca, ad Rempublicam mittimus: senectus enim finem ponat oportet, tota Sapientiæ dedicanda. Plato 6. *De Repub.* Sic Paulinum Seneca à Præfectura annonæ jam senem abducere cupiens; *De brevit. vit. cap.* 18. *Satis jam, inquit, per laboriosa & inquieta documenta exhibita virtus est: experire quid in otio faciat. Major pars ætatis, certè melior, Reipublicæ data sit: aliquid temporis tui sume etiam tibi.* Deinde addit: *Tu quidem orbis terrarum rationes administras, tam abstinenter quàm alienas, tam diligenter quàm tuas, tam religiosè quàm publicas: ... sed tamen, mihi crede, satius est, vitæ suæ rationes, quàm frumenti publici nosse.* Eadem est Maximi Tyrii de hac quæstione sententia *dissert.* 6. Nam præter naturam fortunamque, rationem quoque ætatis habendam putat. Juventuti, inquit, decora est actio, adstipulante etiam Homero:

...... *Decet quodcunque Juventam.*

Philosophus ergo dum Juventus patitur, agat, dicat, Rempublicam administret, militet, imperet. Nam & frequentes illæ Platonis Profectiones in Siciliam, crebrique labores, potissimùm in Dionis causa exantlati, in ætatis flore acciderunt. Senectutem verò ejus Academia, profundum otium, pulcherrimæ disciplinæ, atque inoffensa contemplatio veritatis excepit. Ita Xenophontem laudo, qui in actione Juventutem, Senectutem in contemplatione Sapientiæ collocavit. Sed his Plutarchus contradicit (vide Platonem *in fin.* 7. *De Repub.*) integro Commentario probans, incivile esse, senem à Republica quam semper amplexus fuit divortium facere in ea ætate, eujus experientia, prudentia, & auctoritas præcipua dos est: cui quoque idcirco hæc functio facilior est, quòd gloria quæ paulatim invaluit, jam invidiam fugavit; haud aliter quam flamma jam adulta fumum. Ut canes enim notis mansueti ignotos & peregrinos allatrant: ita invidia obtrectat recentes in administratione Reipublicæ, mansuescit autem erga adsuetos. Verùm Plutarchus eo dilectu & modo Senes Reipublicæ miscet, ut non validè contradicat. Adhæc non absurda est ejus moderatio, qui sic ad Rempublicam accedendum dictitabat, sicuti ad ignem: nam si longè nimis ab illa recedas, contemptu aut etiam desidiâ frigebis; sin ambitione quâdam immodicâ in eam te penetras, periculum est ne invidiâ flagres, & calumniis obruaris. Hoc etiam temperamento misceri facilius Contemplatio atque Actio inter se poterunt; neque enim dubitandum videtur, quin perfectissimus animus sit, qui pulchritudinem Contemplationis vigore actionis quasi animat, & virtutis fructum longè latèque diffundit, exemplisque præcepta confirmat. Plutarchus *De educan. liber.*

CAPUT XV.

De Ambitione & Nundinatione honorum arcendâ.

SEd ne diverticuli amœnitas longiùs nos ab instituto itinere abduxerit; quędam de improbatis modis emerendi-

rendi Magistratum dicamus. Inter hos longè fœdissima est & noxiosissima nundinatio: quæ & Magistratus decus reverentiamque obliticrat, & religionem sinceritatemque ejus corrumpit. Quid enim, quæso, magnificum dignitatibus inest, si commercio, instar vilissimarum rerum, vulgantur, & pecuniæ subjiciuntur? Necesse enim est hoc pacto vel dignitates unà cum pecunia (quæ etiam contemptissimis sæpe affluit) obsoleto honoris splendore contemni; vel pecuniam juxta ipsos Magistratuum honores coli: quorum alterum obsequii vinculum dissolvit, alterum avaritiæ habenas laxat, & calcar ultro addit. Plato latè 8. *De Rep.* Quid est aliud industriæ nervos incidere, virtutemque decore suo spoliare, & discrimen omne confundere prudentiæ atque inertiæ, atque ultro armare ambitionem, quàm Magistratus pretio permutare? Quid aliud est Astræam virginem prostituere, quam ob judicandi labores molestiasque ultro pretium exigere? Quis enim ille tam prodigus industriæ & pecuniæ, ut jurisdictionem aversione emere sustineat, si non minutatim venditurus sit? id quod Ludovicus XII. in sua Gallia (ubi hæc nundinatio reprobatur) dictitare solebat. Tantum igitur abest, ut probari ejusmodi consuetudo possit, ut ne quidem clandestina suffragiorum redemptio, sine summa pernicie, tolerari queat. Contra illam ego quandoque suasi, edicendum, impune fore iis qui pecuniam cepissent suffragii causâ, si id in alium à largitore contulissent. Inde tot in Republica Romana leges ad Ambitum exilii & infamiæ terrore compescendum: vide quæ dixi ad *tit. C. Ad Leg. Jul. Ambit.* quas in usum revocari, & severiter exerceri oportet; adeoque & contra emendicatores aulicæ gratiæ intendi. Rectè enim Socrates, qui Impostorem appellabat non circa minuta, verbi causâ, qui fallaci persuasione pecuniam aut supellectilem alicui auferat: sed illum maximè tam turpi nomine censendum, qui nullâ dote excellens subrepsisset aliis, persuadendo se Reipub. administrandæ capacem. Xenoph. *lib.* 1. *Memorab.* Illustrium mentium & modestia à jactantia ambitionis; & generositas à vilitate supplicandi abhorret. Laudat in hac parte Juliani prudentiam Mamertinus: *Quisquis, inquit, Provincias, tribunatus, præfecturas, consulatus cupit, nihil necesse est pecuniam per fas & nefas quærat, ac libertatem suam salutator vilis imminuat: quanto erit paratior servituti, tanto honore indignior vocabitur.* Itaque gratuito virtutis & æqui bonique, imò Reipub. amore, optimos eligat & inquirat ultro Princeps, & ad Famæ lydium lapidem exploret: nam palatinorum suffragationibus clancularıis si indulgere, connivere, acquiescere instituerit, & illis fumos (ut dici solet) vendendi, imò Principis gratiam vendendi, & intercipiendi occasionem suppeditabit; & Reipub. ordinem omnem deformabit, illis ad gubernacula admotis, quos remigare tantùm oporteret. Describit talem confusionem Mamertinus: *Uti quispiam, inquit, per artes turpissimas Imperatori acceptissimus videbatur, eum assiduis obsequiis emerebantur, donisque captabant; nec viros quidem, sed mulierculas exambiebant, nec fœminas tantum, sed spadones quoque.* Sed quis fructus? *Hi, inquit, cum in provincias immissi erant, quà sacra, quà profana rapiebant, iter sibi ad consulatum pecuniâ munientes. Itaque nullum jam erat bonarum artium studium, Militiæ labor à nobilissimo quoque pro sordido & illiberali rejiciebatur. Juris civilis scientia, quæ Manlios, Scevolas, Servios in amplissimum gradum dignitatis evexerat, libertorum artificium dicebatur. Oratoriam dicendi facultatem, multi laboris & minimi usus negotium, nostri Proceres respuebant, dum homines noluisse videri volunt, quod adsequi nequiverunt.* Quid igitur? *Omne studium pecuniæ*

coacervandæ. Tanto enim vir quisque melior, quanto pecuniosior habebatur. Jam serviendi miseranda patientia, assentandi mira calliditas: ministrorum aulæ quotidie limina terebantur. Prudenter igitur Imp. Alexander, qui honores invitis mandandos dictitabat. Laudat Plinius Traianum quod *Præfectum Prætorii non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus legerit.* Invitos intellige tœdio tam miseræ ambitionis, itemque amore quietis, cultuque modestiæ & contemptu pompæ ac fulgoris ex fiducia conscientię generosæ Plato 7. *De Repub.* Diversum enim est, si vel insitâ penitus dulcedine inertiæ, vel odio præsentis Reipub. status, aut verâ conscientiâ imbecillitatis vel aversatione societatis civilis ab administratione abhorrent. Atque ita conciliatur eorum opinio, qui invitis injungendos Magistratus negant. Refrænandæ ambitioni illud quoque tenendum est, ne unus plures sibi Magistratus coacervet: Plato passim (exceptis minutis quibusdam minimeque operosis functionibus) tanto enim necesse est singulorum negligentior existat, quanto in plura animus distringitur. Omnibus quidem in ore est, *gradatim honores deferendos esse:* verum quidem dogma, sed vulgo malè intellectum, dum ad eos quoque portenditur qui malis artibus, aut impares ad aliquem jam dignitatis gradum prorepserunt. Atque ita accipiendum hoc dogma esset, ut experimentum gesti præclarè Magistratus, ad celsiorem esset adminiculum atque suffragium. Porro ut Magistratus non minore fide administrent, quàm eligantur; constitutis stipendiis, quæ ad cultum dignitatis sufficiant, à malesuadis munerum illecebris abstenendi sunt severo exercitio legis Juliæ Repetundarum.

CAPUT XVI.

De Censura.

IN commune de Magistratibus dixisse sufficiat; neque est quod de singulis peragam: nisi quod de Censura, quia extra usum vel neglecta, vel ignorata, vel etiam in hoc vitiorum dominatu contempta jacet, aliquid dicendum est. Hæc penes Romanos privatæ vitæ publica arbitra, & vitiorum mansueta domitrix erat, quia eorum in flagitia pœnasque procursum inhibebat; mulctâ & ignominiâ (sed delebili, pudoremque magis incutiente quàm excutiente famam) abolebat opprobria, nondum quidem digna severitate Judiciorum, sed (si licentiâ foveantur) ad nefas eruptura. Præcipuè autem nitis hæc Censuræ severitas in luxum distringebatur, procreatricem quippe duorum vitiorum, quæ deinde multorum flagitiorum fontes sunt; mollitiei & avaritiæ. Ubicumque enim luxus viget, deliciis dissoluti homines à pulchris laboribus quidem abhorrent, & circa bonas artes languent; at in pecuniæ studium, quo voluptatibus copiæ semper suppetant, earum cupiditatibus instigantur. Sed longâ licentiâ adultus hodie luxus remediorum impatiens quibusdam videtur. Qua ex causa & Tiberius coërcitionem ejus non ausus fuit, quamvis Magistratibus incitantibus. *Quid enim*, inquit, *primum prohibere & priscum ad morem recidere aggrediar? Villarumne infinita spatia, familiarum numerum & nationes? Argenti & auri pondus? Æris tabularumque miracula? Promiscuas viris & fœminis vestes? Atque illa fœminarum propria, quîs lapidum causâ pecuniæ nostræ ad externas aut hostiles gentes transferuntur.* Tacit. 3. *Annal.* Metuebat Tiberius ne si legibus obviam isset, ingentes inde calumniæ exarsissent, in perniciem aut dedecus spendidissimi cujusque. Turpe quoque & perniciosum fore, lacessi tam robusta vitia, neque tamen vinci: impudentiora enim illa fore atque audaciora, si in conflictum legum judiciorumque adducta, superiora evaserint. Quid igitur? Non rentanda Principi Censura, nisi eam à se & aula ordiatur: imò aula ad specimen mode-

modestiæ & frugalitatis composita, satis abundæque censuræ erit. Ostendit id Vespasiani exemplo Tacitus; Trajani, Plinius; Alexandri, Lampridius; Theodosii, Pacatus; cujus verba lubet subscribere. *Non contentus*, inquit, *ipse ultro vitia rejecisse, alienis vitiis corrigendis curam adjecisti: idque moderatè; ut suadere potiùs honesta, quàm cogere videreris. Et quia vel longo Orientis usu, vel multorum retro Principum remissione, tantus quosdam luxus infecerat, ut adulta consuetudo lasciviæ haud quaquam facile videretur obtemperatura medicinæ, ne quis se pati injuriam putaret, à te voluisti incipere Censuram.* Et quo eventu? Addit; *An quis ferret molestè ad Principis semet modum coërceri? aut subtractum sibi doleret de privata luxuria, cùm videret Imperatorem, rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parcè contentèq; viventem, modico & castrensi cibo jejunia longa solantem? Ad hoc aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem; laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem: neminem unum inveniri, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorum piscem; peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem. Nam delicati illi ac fluentes, & quales tulit sæpe Respub. parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in gemmis capacem glaciem falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat noster orbis: namque appositas dapes non sapore, sed sumptu censebant.* Denique concludit: *Tuæ, Imperator, epulæ mensis communibus parciores, locorum ac temporum fructibus instruuntur. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parsimoniæ cultus inolevit: & quiescentibus legum minis, subiit quemque privatim sui pœnitentia. Sic est enim, sic est: exasperat homines imperata correctio, blandissimè jubetur exemplo.* Sed subtiliùs etiam hujus tam promptæ emendationis indagari ratio potest. Nam plerique non tam voluptate, quàm gloriâ luxum metiuntur: Seneca *Ep. 94. in fin.* Gloria autem illa similitudine Principis & aulæ æstimatur. Pompam magis quam delicias in luxu quæri, argumento est quòd non tam suavia, quàm rara, difficilia, sumptuosa consectantur. Ostendit id Pacatus quoque in verbis suprà recitatis: *Illis demum*, inquit, *cibis acquiescebant, quos extremus Oriens aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent; quos invitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericula rapuissent.* Idem luxus ambitus affectatioque honoris est in reliquo vitæ instrumento; qui Principibus judicio, & aulæ exemplo stat aut cadit: istic enim idæa est civilis honoris. Postquam igitur Princeps Censuram à palatio orsus fuerit, in reliquos aut supervacua Censura erit, aut facilis & gratiosa, certè extra invidiam motumque: potissimùm si moderata sit, nec uno impetu aut momento, sed paulatim refingere populum nitatur; nec pœnis magis obtrudat, quàm præmiis ac suadelis conciliet honestatem: neque huic muneri misceantur, nisi qui exemplis facilia ostendunt quæ jubent; alioqui nil mirum

...... Si vitia ultimâ fictos
Contemnunt Scauros & castigata remordent.

CAPUT XVII.

De Consiliis & Consiliariis. Eorum usus & necessitas: unum an plures habere præstet?

SEquitur ut de Consilio & Consiliariis dicamus: quorum tanta vis est atque necessitas, ut plures Reges aut Respublicæ illorum, quàm auri argentique inopiâ perierint: quemadmodum ex Tragicorum sententia (cum divinis eloquiis congruente, Sirac. c. 40.) Dioni Tyranno Dionysio, à quo pulsus in exilium erat, non vanus augur scribebat in *Epist. Platon.* Rectèque Ari-

 stot.

stot. Consiliarii opus divinissimum in humanis censet; accedens quippe ad similitudinem aliquam Numinis, solâ mente, nec alio nisu aut apparatu, immensum hoc naturæ regnum exercentis disponentisque. Itaque sive unus rerum potitur, Consiliariis ei opus, ut pluribus quasi sideribus lumen mentis unius amplificatum vim suam in omne Imperii corpus diffundat: sive populus imperat, quia prudentia minimè vulgaris & promiscua minimè etiam tumultuaria res est, concilio opus selectorum virorum. Idemque de Aristocratia ferè censendum, maximè si fortunâ aut nobilitate Optimates censentur. Utcumque sapiens Princeps sit, consiliis ei opus est: ad existimationem, inprimis, ne superbus potius videatur, quàm sapiens, si de sua unius sententia omnia agat; imò ne Tyrannus videatur, ex libidine potius, quàm consilio imperans. Deinde consilium non sapientiam tantùm rectè constituendi, sed diligentiam quoque explorandi omnia atque subjiciendi contemplationi desiderat: ut illa in uno fuerit perfecta, ista tamen (quæ illius incitamentum instrumentumque est, & materia) perfectior semper in pluribus erit. Sed neque illa judicandi facultas unquam tam consummata in uno, ut non sæpe & directione indigeat & correctione aliorum: in Regibus maximè, quorum delicata educatio refugere ab iis laboribus solet, quibus DII sapientiam vendunt. Sed & in suis cuique negotiis minùs quàm in alienis perspicax esse prudentia solet: haud aliter atque oculus qui reliqua, præter seipsum intuetur. Idque & vulgari proverbio jactatur; quemadmodum & hoc, Quòd Sapientibus per vices quoque connivet Sapientia. Hinc etiam non in uno, sed in pluribus Consiliariis Principi acquiescendum, *Proverb* 15. qui mutuâ quasi allisione mentium eas scintillas excutiant, quibus in unum coëuntibus & invalescentibus effulgeat lumen illud Prudentiæ. Eligunt sæpè Reges unum laborum consiliorumque consortem, sed rarò felici eventu. Ille enim & tantæ dignationis superbâ conscientiâ, libertatisque ab omnibus Arbitris expeditæ fiduciâ perverti solet: adeò ut in ipsum Principem cervices erigere soleant, quippe quos suâ absentiâ quasi oculis orbatum iri persuasum habent: quamvis præsentes interim id agunt, ut eorum oculos perstringant, avertantque quà simulando & dissimulando, quà adulando criminandoque à vero dispectu Reipublicæ maximèque hominum: partim conscientiâ famæ indignationisque publicæ, partim æmulatione erga digniores Principis amicitiâ & secretis instigati. Sanè & Procerum invidia in unum hunc, qui omnibus suas quasi Veneres præripuit, exardescit; & universi populi contemptus in Principem exoritur, tanquam cui Consiliarius iste imperet, præsertim cùm hunc propitium habere, vel præ ipso principe, satagant, procliviore quippe ad ejus gratiam aditu (per corruptelas nempe) & non minore effectu, omnia quippe Imperii & munia & munera, fortunæ instar, dispensantem. Crescit hujus rei indignitas atque invidia, si unus ille ne nobilitate quidem, prudentiæ aut rerum gestarum prærogativâ eminere meruit: & sanè in degenerem sæpè Principes ita se effundunt, sive fato Reipublicæ inimico, sive arcanâ animorum conspiratione, sive per illecebram familiaritatis à rudibus annis conciliatæ, sive denique ut Majestatem suam, Dei quasi æmulam, ostendant, nascendi & meritorum sorte vilissimum ante omnes Proceres, tanquam fatorum Arbitri, attollendo, dum existimant tanto hunc fideliorem devinctioremque fore, quanto minùs quicquam habet quod imputet. Sed quàm falluntur opinione! Qui reverentiam virtutis ut imperiosæ aut dignitatis ut æmulæ aversati, viles sibi adjungunt, eos insuetatæ potentiæ gustu ut ebrietate, ad omnem insolentiam efferunt, tandem ipsis quoque gravem intolerabilemque. Quid igitur, dicet aliquis, solis

solis

solis Regibus indulgere nefas erit illi impetui, quo & suavissimè & honestissimè cultissimi animi feruntur ad amandum, si quem vel occulta consensio ingeniorum, vel spectata fides conciliarunt, adeò ut hunc se alterum æstiment? An non talis Alexandro erat Ephestion? Quis negat? Sed ad privatæ fortunæ & vitæ consortium dulcedo hæc intimæ amicitię pertinere debet, non etiam ad Imperii societatem: ad hanc non unus, sed plures; non voluptatis illecebrâ, sed judicii severitate amici & adjutores legendi sunt. Sic enim ipse Alexander Ephestionem distinguebat à Cratero; ab illo ut Alexander familiariter diligi, ab isto ut Rex coli juvarique volebat. Quanquam etiam illos privatę familiaritatis amicos, non impetu sed judicio sumi, Reipublicæ saluberrimum foret. *Nihil abdicandis vitiis* (inquit Panegyristes ad Theodosium) *adoptandisque virtutibus impensiùs sentio profuisse, quàm quòd his te viris semper dedisti, quos affectare publica deberet imitatio: quàmque facilè tibi fuissent sequaces discipuli, tam ceteris expetendi essent magistri.* Itaque non unus tantùm esse debet cujus consiliis Princeps acquiescat: sed nec in cœtu Consiliariorum unus aliquis gratiâ & potentiâ alter Rex esse debet; ne ceteri vel gratiæ ambitu, vel offensæ metu ei in omnia assentiantur, id est assententur. Præses quidem Conciliis esse debet, sed qui auctoritate prudentiæ, non verò illâ flagrante & unicâ Principis gratiâ excellat.

CAPUT XVIII.

De variis Consiliariorum Collegiis.

QUoniam igitur domestica illa consilia sive ab aulæ mancipiis, sive ab uno illo familiaritate ambitiosâ eminente improbantur; publicum esse Principi Concilium debet, adeoque plura personis, muniis, dignatione distincta, ut quibusdam videtur, existimantibus eo modo super omnibus negotiis & diligentiùs & expeditiùs provideri posse. Enumerant igitur vel septem hujusmodi Collegia; quidam & plura. Summo loco constituunt Politicum Concilium, ad cujus examen & directionem pertineant reliquorum consessuum consulta. Proximo loco esse potest Concilium Militare, ubi de bello suscipiendo, præparando, gerendo, finiendo item disceptetur. Tertium sit Legale Concilium, in quo de legibus condendis, corrigendis, abrogandis, itemque litium seminibus elidendis & judiciorum ordine moderando; causidicis item & judicibus in ordinem redigendis deliberetur. Huic finitimum est criminale Concilium, in quo de pœnis & mulctis decernatur. Quintum erit Censorium, honestatis & verecundiæ custos: cui affine est quod quidam jungunt Ecclesiasticum, ad quod de religione & conscientiæ ambiguis Princeps referat. Quæstorium sive ærarii Concilium sequatur, in quo viri opum viriumque regni exactè periti, de quærendis honestè, moderatè & (quà licet) gratiosè Reipub. subsidiis, ordinandis reditibus, moderandis expensis deliberent. Huic propinquum est Consilium Annonæ, quod frumenti rerumque ad sustentandam vitam pertinentium curam gerit, agriculturæ industriam ad novalia incitans dirigensque, & quà silvæ utiliter excidantur monstrat, annonamque ad subitos obsidionis aut sterilitatis casus recondit. Sed videamus an utile sit, Reipub. negotia in tot distringi Concilia. Non tam enim ad celeritatem id conducere videtur, quàm ad ambages, adeoque negligentiam, si vel unum Concilium ad aliud rejecerit negotium, vel aliud in alterius messem immittere falcem arguatur. Has enim ambiguitates vel emergere ultro, vel moveri ambitione, negligentiâ, contentione necesse erit. Enimverò difficile est, certis limitibus concilia ista discriminare, & à confusione vindicare: quia unum idemque negotium sæpe diversorum consiliariorum muniis

obnoxium erit. Quod si tunc in varia Concilia dispergitur, id & ambagibus & ambiguitatibus multis implicabitur: unde & leges unius causæ tenorem in varia tribunalia distringi aut distrahi vetant. Exempli loco, deliberetur de bello indicendo aut omittendo transigendove: pertinebit hujus rei contemplatio non ad militare tantum Concilium; sed interim ad Ecclesiasticum quoque: finge enim (ut hodie sæpe) de religione vi asserenda aut propaganda agi. Pertinebit quoque ad Quæstorium & Annonarium Concilium: etiamsi enim ratio Justitiæ constet bello; videndum tamen an etiam ratio sumptuum constet; itemque an suppetere annona possit, ea enim defectus vincitur sine ferro. Interim & Censorii Concilii inspectio fuerit necessaria: ut enim corporibus affectis & noxio humore redundantibus fortia nocent exercitia; ita Reipub. internis vitiis laboranti. contrarium est bellum. Sed & ad legale Concilium referendum erit, non tantum si de concipiendis conditionibus transigendi, sed & si de gerendi belli causis disceptetur. Atqui negotia bellica ut occasionibus maximè vigent, ita has consultationum ambages non ferunt. Si ulla commodè institui Conciliorum distinctio potest, ea maximè constitura videatur inter Togatum & Militare Concilium: quia hodie & togati bellorum, & militares viri pacis artium rudes sunt. At cùm olim Romanorum procerum sublimis indoles ad utrumque facta & exculta esset, multo felicius & bellum & pax administrabantur. Iraque ne illa quidem Togati bellicique consilii distinctio salubris videtur; sed melius fore si utrumque misceatur: sitque unum Concilium Politicum, instar Romani Senatus, constans Viris partim per Pacis artes, partim per bellicas virtutes insignibus: ne si de bello seorsim tantùm militares viri consulantur, eorum continuatio magis quàm finis promoveatur: illi enim hanc materiem vel gloriæ, vel dignitatis, vel dominationis, vel prædæ lucrique perennem volunt, oleum ultro additurì camino. Unum igitur sit Concilium, plura Magistratuum genera, qui ex ejus præscripto administrent, ejusque censuræ & Jurisdictioni subjiciantur; quod attinet ad officii rationes. Etenim qui multitudinem istam Consiliorum probant, videntur Magistratus confundere cum Consiliariis, deliberationes cum executione Consultorum aut legum. Constituunt Censorium Concilium: atqui censuram Magistratum novimus. Eadem ratio de Criminali Concilio: non enim id distinctum à Magistratibus, quibus sontium animadversio mandatur, quod Merum Imperium JC.ti vocant. Vulgò & Consessus Judicum Concilia vocantur: non rectè, si proprietatem verborum, imò munerum spectamus. Consilium enim omne in futurum, Judicium in præteritum spectat; illud ferè de agendis rebus; istud de dirimendis controversiis est; illud de negotiis ad summam Reipublicæ pertinentibus, istud ferè de litibus singulorum. Quamvis existunt interim controversię quæ ad summam Reipublicæ spectant: cujusmodi olim in Senatu Romano quoque disceptari solent. Præterea Ærarii aut Annonæ Concilia, quid nisi Quæstorum, Procuratorum Fisci, Præfecti annonæ officia invadunt? Sententiæ eorum qui in tot Concilia dispartiuntur Reipublicæ negotia, illud concesserim, utile esse, si in unum illum quem probamus Senatum allegantur emeriti Magistratus, insigni cum laude in Præfecturis militiæ, aut annonæ, in quæstura aut censura, in Jurisdictionibus item Legationibusque spectati, inprimis quidam Sacrorum Antistites pietate & meritis graves. Sic enim sive ad Religionem, sive ad Leges & Justitiam, sive ad disciplinam publicam, sive ad vectigalia & tributa, sive ad bellum pacemque, inducias aut fœdera, sive denique ad commercia copiamque rerum ad victum pertinentium spectabit negotium de quo deli-

deliberabitur, erunt quibus mandetur peculiari curâ & familiari inquisitione enucleandum, postmodum totum Collegium instructuris; judicare enim de evoluto jam discussoque negotio etiam ii poterunt, quibus enucleare illud difficilius fuisset, quia novum aut peregrinum. Enimverò si singulis negotiorum generibus totidem adaptanda Concilia sunt: nondum plena, quamvis numerosa ipsorum divisio est. Constituant enim & Feciale Concilium, in quo de fœderum vel rationibus cautionibusque, vel interpretatione agatur. Constituant Concilium in quo Legati audiantur iisque respondenda ordinentur. Constituant Concilium in quo de præmiis & dignitatibus distribuendis, aliud in quo de pœnis condonandis ex justa causa agitetur; itemque aliud in quo de munitionibus urbium, aliud in quo de commerciis tractetur. Interim esse potest ea Imperii vastitas, negotiorumque multitudo, ut diversis Conciliis opus sit: cùm aliquando unius etiam negotii latè patentis gravitas perplexitasque specialem novumque cœtum Consiliariorum exigat.

CAPUT XIX.

Boni Consiliarii notæ ex corpore, & ex animi indole. Dictum de Fide, Probitate, Pietate.

CUm Consiliarii oculi sensusque Principis & Reipub. sint, ne cum iis totum imperii corpus hallucinetur & titubet, summo dilectu opus est: quem quidam etiam ad ipsorum corpora extendunt, partim ad speciem Majestatis augendam, partim in specimen & conjecturam animorum. Dignitas nempe corporis ad auctoritatem facit gratiamve in vulgus, exteros, barbaros. *Non frustra enim doctissimi viri dicunt* (inquit Panegyristes ad Constantinum) *naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari: & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi posse quantus illic cælestis spiritus intrarit habitator.* Verùm hac in parte curiosus aut fastidiosus dilectus esse non debet: sufficit, non esse deformitatem ad ludibrium monstrosam. Similiter quod ex temperamento corporis & Cholericos ut percipites iracundosque, & Phlegmaticos ut tardos nimis & stupidos rejiciunt: rejectionem quidem non improbo, conjecturam autem certiorem quàm ex Physiognomia desidero. Itaque non in corpore hærendum est, sed ad animum penetrandum per indicia morum actionumque. Qui certè moderatus optimus est, si nec incitatus nimis ardet, neque æquo lentior jacet languetque; sed ingenio & vigore industriæ alacer est, affectuum verò obsequio sedatus. Sanè in quibus bilis indomita flagrat, neque consortio ob amarulentiam intractabilis indolis, neque concilio apti sunt, ob festinationem, iracundiamque, proniores ad excitandum quàm sopiendum dissidia. *Proverb. 15. & 16.* Sed hæc non tam ad corpus, quàm ad animum pertinent; qui potissimum in consiliario contemplandus, omniumque judicio exigitur *Fides*, id est mens quæ veritatem quærit promitque, non affectu ullo connivens dissimilansque. Enimverò Fides hæc non amore aut solo obsequio metienda est, sed exoriri & lucere nequit nisi in societate multarum virtutum, probitatis pietatisque, libertatis cum magnitudine animi: probitas avaritiæ & ambitioni potissimum contraria est; libertas adulationi. De singulis exequemur. Inprimis in Consiliario eligendo spectanda probitas est. Nam ab improbo non modò fidele, sed nec prudens consilium expectandum est; non magis quam limpidus ex cœno liquor: cui enim rectè consulet, qui pessimè animo suo vitæque & famæ consuluit? Cui fidelis fuerit, qui mentem suam vitiis prodidit? Sed largiamur, improbum acutè prospicere, tectèque collimare posse: id tamen in illo instabile erit & incertum, & dignitati Reipub. ac Principis alienum, contraria populi existimatio-

marione ipsum premente semper. Cum in concione Lacedæmoniorum quidam illaudatus sententiam dixisset laudabilem, in eamque jam decretum populi fieret, intercessit Senex quidam: *Quæso*, inquiens, *si illa proba est sententia, non sinamus eam inquinari turpissimi auctoris contagione*: cui assensi primores, jusserunt eandem sententiam à viro probitatis spectatæ, licet eloquentia impari pronuntiari: Quantumvis prudens sententia non eandem auctoritatem habet, si auctor improbatur. Sic apud Tacitum 3. *Annal. Neque relatum de negotio, neque Cæcinnam dignum tantæ rei censorem existimabant*. Sed probitas improbitasve quo discerniculo apparebit? Chilon aurum lapide Lydio; homines auro implorari dictitabat. Avaritia sanè improbitatis; abstinentia integritatis & fidei nota. *Avaritiæ nihil nefas*, Curtius ait; & eodem sensu divinæ litteræ: *Avaro nihil scelestius. Avaritia omnia venalia habere edocet*; ait Salustius: *etiam animam venalem habet avarus*, inquit Syracides *cap.* 10. Si animam; profectò & Principem venalem habet; si jus, etiam Rempubl. quomodo Jugurta *Romæ tantum emptorem deesse*, dicebat, postquam scelerum impunitate vim suorum munerum penes Senatores expertus fuisset. Inquirat igitur Princeps, quomodo in judiciis aut arbitriis Consiliarius versatus sit; si enim munera admisit, avarum, improbum, infidum non dubitet: munera, inquam, quæ ut conscientia iniquæ causæ, clanculum, & contra edicta juris, dari; ita consensione in patrocinium iniquitatis accipi, intelliguntur, à sacri eloqui inspiratore, & animorum omnium conscio Deo. Sirach. *cap.* 41. & *Proverbior. cap.* 15. *Isaiæ cap.* 1. *Micha. cap.* 3. Par conjecturæ ratio est; si non dicam ab hostibus, sed ab aliis Principibus munera clanculum Consiliarius accipit. Persarum Rex ingens munus Epaminondæ mittebat. Ille verò & ipsum proxenetam increpuit, quòd tantum itineris suscepisset ipsi corrumpendo, & renuntiare Regi jussit: si Thebanis amicus foret, sine muneribus ipsum conciliatum; sin iis perniciosa agitaret, nullo munere conciliari posse. Ingens itaque experimentum fidei erit, si Consiliarius, ut Horatii verbis dicam,

Rejecit alto dona nocentium vultu.
Vindex avaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ.

Adhæc si Conciliarius iniqua obtentu principalis auctoritatis, aut fiscalis lucri agit aut urget: vulgo quidem hoc magnum ad probationem fidei pondus videatur, sed sapientiùs expendentibus, manifestum id perfidiæ documentum est. Cui enim fidus erit, qui conscientiæ suæ (Regis imò Numinis vice sibi præsidenti) infidus est? Neque enim existimet quis, tales Regem conscientiâ ipsâ sanctiorem habere: non Regem, id est, ejus salutem dignitatemque suâ mente pretiosiorem, sed Regis gratiam, id est, suam potentiam utilitatemque chariorem probitate habent. Sic qui Regis gratiam impendio bonæ mentis mercantur; etiam fidem erga Regem majoribus alibi præmiis permutabunt. Nempe censent

Venales animæ istic fas, ubi maxima merces.

Prudenter igitur Fridericus III. amare se ut fideles eos Consiliarios dictitabat, qui Deum magis, quàm Regem vererentur. His ita constitutis, non in difficili jam Principi exploratio fidei erit, si per simulationem, animi flagrantis & inclinati in negotium iniquum aut Reipub. noxium, dissimulatâ conscientiâ iniquitatis, exposcat consilium ejus conficiendi. Præterea argumentum avaritiæ & improbitatis in administrantibus Rempublicam esse solet, opulentiæ subitum & ingens (citra successiones, aliasve manifestas causas) augmentum. Quomodo enim fluminum repentina incrementa non contingunt sine turbidorum mixtura torrentium lacunarumque lutulentarum: ita divitiæ non augescunt repentè sine sordibus & fraudibus avaritiæ. Adjiciunt

jiciunt quidam & hanc animi infidelis conjecturam, si Consiliarius quæcumque Reipub. officia in suum congerit suarum necessitudinum. Verùm hoc non rigidè nimis persequendum. Nam & Agesilaum quamvis ipse divitiarum contemptor integerrimusque esset, lætatum maximè occasionibus amicos ditandi, scribit Xenophon. Igitur neque Cleonis rigor probandus, qui ad Rempub. accedens conductis in unum amicis palam renuntiavit amicitiam; neque Themistoclis ambitiosa gratia laudari potest, qui cuidam admonenti optimè ipsum tecturum esse, si omnibus se æquabilem exhiberet: *Absit*, inquit, *ut tali insideam solio, unde non plus à me ad amicos, quàm ad alienos perveniat.* Plutarch. in *Præcep. Polit. cap.* 26. Hæc certa nota erat non omnino incorrupti animi. Quid igitur? Periclis sententia, *amicum se usque ad aras profitentis*, detrectantisque pro amici felicitate perjurium, extendenda erit longiùs, ut gratia & amicitia non exerceatur cum violatione Juris, aut publicæ utilitatis: non desunt enim in quibus salvâ justitiâ & publico bono, gratificari amicis Consiliarius potest. Plutar. *ibid. cap.* 29. Quidam etiam in examine Consiliarii non tantùm inquirendum in scientiam Juris Civilis putant, sed in conscientiam justitiæ, nempe illud

Compositum Jus fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto:

scrutando nimirum & eruendo anticipatas notiones receptasque persuasiones quibus de fugiendis & expetendis utitur.

Quæ tibi summa boni? unctâ vixisse patellâ
Semper, & assiduo curata cuticula sole. Persius.

Sanè multi quotidie in concilia alleguntur, qui non altiùs generosiusve sapiunt.

Quænam summa boni? Mens quæ sibi conscia recti. Auson.

Hic sapit, hic utilis concilio: non enim in gloria, voluptate, opibus felicitatem dignitatis censebit; sed in conscientia illa rectefactorum, quæ lætitiâ animum diffundit, fiduciâ confirmat, tranquillitate serenat, non alio ejus statu quàm mundi supra lunam. Si ex familiaris vitæ tenore inquiratur, invenientur ad munus Consiliarii adspirantes qui seriò sentiunt:

O cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos.... Horat.

Invenientur qui cum vulgo malint fortunæ stillam, quàm Sapientiæ dolium. Aristot. 7. *Polit.* 1. Pauci adeò, sed eximii sic sentiunt: *Omnia ei adsunt bona, quem penes est virtus.* Plaut. Pauci ad Rempub. adspirant, quia imbiberint;

Non sibi, sed toti genitos se credere mundo,

sed quia hanc divitiarum occasionem putant. Ex his similibusque principiis certiùs de indole cujusquam; imò utilis Consiliarius futurus sit, an noxius, statueris, quàm ex Civilis aut Canonici Juris, aut etiam Theologiæ studiis. Illa enim sunt, quæ in omni deliberatione atque actione vel dirigunt judicium, si recta sunt; vel corrumpunt, si prava. Non temere est, quod dici solet, errorem principii manare quàm latissimè, & infelici fœcunditate propagari. Etenim si Consiliarius hac v. g. præsumptione imbutus sit, sibi dignitatem, non se dignitati datum: consequens est, ut nec Principem Reipublicæ, sed Rempublicam Principi datam existimet, illumque omnia ad suam amplitudinem referre debere. Si nòn credit Poëtæ:

Si rectè frueris, non est ut copia major
A Jove donari possit.....

sed felicitatem in copia opum, non in fruendi prudentiâ constituit: consequenter beatum Regis sui statum, amplificatione potentiæ, non regiminis virtute definiet. Unde exoriri malorum iliadem necesse est. Deinceps spectanda in Consiliario pietas, quippe quæ fundamentum est probitatis & fidei, imò & prudentiæ.

Colloca, inquit Salomon 1. *Prov. fiduciam in Deo animitus, neve prudentiæ tuæ innitaris. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Clamant ubique Divina testimonia, caput omnis Sapientiæ esse, Reverentiam Numinis; inauspicatum esse, quicquid sine illo tentatur; lubricum & instabile, quicquid hoc adminiculo destituitur: illum dissipare consilia sibiipsis innitentium; successusque humanæ solertiæ vindicantium; ex adverso eorum adspirare cœptis Deum, qui eventus ipsi committunt, eumque ut felicium inspiratorem consiliorum implorant, & contra humana consilia eventis dominantem. *Psalm.* 1. 16. & 111. Syrach. *cap.* 37. Etenim quod profani fortunam appellant, optimè consulta inopinato sæpè casu perturbantem: id Pii providentiam Numinis vocant & agnoscunt: & maturè aliquando omittendum suadent, quod agitari invitis Divis advertunt: cum quibus pugnare, id verò est ad interitum ruere voluntarium.

Non aliter vires, conversaque Numina sentis? Cede Deo..... ait Vates.

Theologi Consilium inter munera Sacri Spiritus numerant: quia absque eo, captus humanæ mentis non possit tantam accidentium varietatem longè antè providere, & singulis in tempore occurrere. Seneca quoque *Ep.* 41. huic consentanea sententiæ disserens; *Bonus vir*, inquit, *sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exsurgere? Ille dat Consilia magnifica & erecta.* Qui Pius est, quia in Deo acquiescit, quem eventuum Arbitrum agnoscit, animo tranquillus est: *Psam.* 37. Placidus autem puriusque animus hospitium Divini Spiritus est, à quo movetur & dirigitur; *Sapient. cap.* 1. atque officina rectorum Consiliorum est, quæ in mente angoribus confusa non magis effulgent, quàm in cœlo nubilis & procellis convoluto sidera. Ut sine pietate nemo firmiter probus est; ita sine probitate nemo fideliter pius: neque secure successum commendare Deo potest, nisi qui candidè ei actiones suas approbavit. Nam ut egregiè Salustius: *Suus cuique animus ex conscientia spem metumve præbet.* Adeòque nec liquidò eventus Providentiæ Dei adscribit, qui non omnia quasi sub illius arbitrio & censura agit. Ut qui sine fide amicum agit, simulator est: ita sine probitate, superstitiosus quis esse potest, pius esse nequit. Hæc cùm ita sint, vera pietas id efficiet, ut nunquam vel ad improbam metam Consiliarius tendat, vel ad metam rectam improbo itinere grassetur: talia enim consilia inimica Deo; ideòque iis non adspirat, nisi interim ut prosperæ temeritatis illecebrâ incauti, in pejorem ruinam seipsos præcipitent. Denique ut Salomon ait *Prov.* 21. Non est Sapientia, non est Prudentia, non est Consilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit. A Domino, inquit *Prov.* 20. diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?

CAPUT XX.

De Magnanimitate, Libertate, Constantia Consiliarii.

Consequens est, ut de magnitudine animi dicamus, quam à Consiliario fides exigit: illa enim ita demum incorruptum candorem præstare potest, si & supra ambitum & supra metum eminea. Sit igitur qui Consilio adesse Regibus instituit, regio animo erectus: quem, ut cum Horatio dicam,

Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ.....

Hanc Celsitudinem firmitudinemque animi illa quoque, quam paulò ante describebamus, pietas infundet: docet enim, tutorem & vindicem Deum stare pro iis, qui nullo terrore victi veritatem defendunt. *Ecclesiastæ cap.* 10. & *Ecclesiastici cap.* 4. Sæpe magnitudo animi super omnia terribilia sese pro Justitia efferens, etiam tyrannos mira-

miraculo quodam, & opinione conspirantis Numinis, permovit. Sed ut magnitudo animi laudanda, ita non minus, quàm humilitas ad servile obsequium fractæ fictæque mentis vitanda est ferocia, arrogantia, pervicacia. Itaque ne Callisthenem quidem, aut Helvidium Priscum, quia nimiâ libertate & rigiditate, fatum sibi acceleravêre, probandos potiùs, quàm admirandos puto. Hujus spiritum reveritus Vespasianus, denuntiabat ei, ne in curiam veniret: *Tui*, respondit ille, *id arbitrii, si me senatu moveris.* Sed cum hujus acerbitatis invidiam refugeret Imperator, monuit ut libertatem moderaretur: cui iterum Priscus: *ne igitur*, inquit, *me sententiam roges.* Atque illo excusante necessitudinem rogandi singulos: *& mihi*, inquit, *necesse est, rogatum ex animi sententiâ censere.* Ego quidem tam generosum spiritum admiror: Sapienti tamen suaderem, ut vitam potius melioribus temporibus, aut pacatioribus negotiis servaret. Et Juvenalis Crispum excusat, quod à Domitiano in consilium adsumptus,

.... Nunquam direxit brachia contra Torrentem. ....

& insitam ei sævitiam palam non damnaverit, ne eam in se irritaret. Quid Divinus ille prudentiæ Magister *Prov. 9.? Qui erudit*, inquit, *illusorem, ipse sibi injuriam infert; & qui arguit impium, sibi labem parat. Noli arguere illusorem ne oderit te: argue Sapientem, & diliget te.* Tali certè tempestate, videtur Consiliario ad veniam sufficere, si nulli crudelitati se ministrum aut suasorem exhibuerit; laudi quoque imputandum, si quamvis sævitiam palam non damnaverit, conetur tamen iram, quasi non immeritam, lenire: ut passim apud Tacitum Lentulus, Lepidus, Piso, Thraseas. Planè ut vel operâ vel suffragio injustitiam adjuvet, ne mors quidem adiget justè. *Ecclesiast.* 4. Idem est, si non minor spes est asserendæ justitiæ, quàm periculum mortis: tunc enim libertatis fidem anteponat metui offensæ necesse est. Ex his apparêre puto, quid sentiam de Quæstionibus, an non rogatus Consiliarius suadebit? Et, an in Concilium venturus sit, in quo id tractabitur, cui salvâ fide & justitiâ assentiri nequeat? Nam si vel relatio, vel dissensio non profutura & cum periculo vitæ conjuncta erit, negandum puto. Cùm in Senatu Romano de Agrippina scelere Neronis filii occisa ageretur; excessit Curiâ Thraseas, nec intravit cùm Poppeæ divini honores decernerentur: ne dissensione manifestâ in se crudelitatem Neronis lacesseret, non impediturus tamen sacrilegam adulationem. Laudo quod contagioni impietatis (quanquam ne sic quidem periculo) se subduxerit; excuso quod gratuitam dissentiendi offensam declinaverit. Sed etsi periculum tale non erit, non tamen irritam dissensionem semper è re puto: ne (ut apud Tacitum Cassius ait) crebris contradictionibus auctoritas destruatur, sed potius maneat integra, atque illibata exerceatur cùm operæ pretium erit. Sed non citò præsumendum erit, irritam fore dissentientis orationem, manifestis rationibus innixam: videndum quoque an quamvis in præsens pravam conspirationem impedire nequeat dissentientis auctoritas, exemplum tamen libertatis prodesse in posterum possit. Porrò cùm sine periculo gravi potest, ultro admonere Consiliarius debet, si quid è Republica esse putat quod decernatur: quo fine apud Romanos egredi relationem licitum erat. De Judice quidem vulgò traditur, quòd nemine implorante officium non impartiatur: sed diversa consiliorum conditio est; non tantùm dari debent, sed suggeri. Judicia enim cum ad singulorum propriè utilitatem spectent, non redduntur nisi desiderantibus; imò cùm ad jus suum cuique tribuendum, & ad discordias sopiendas pertineant, qui silet, remittere videtur jus suum, cui tali ultrò judicium offerre, id verò fit discordias suscitare. Consilia autem ad decus &

 salutem

salutem totius Reip. referuntur: quam investigare, hoc ipsum est consulere; nec expectandum ut Respub. aut Princeps proponat, quia illam hac in parte Consiliarii repręsentant, & huic in societatem laborum electi sunt, quia unus complecti mente sua omnia nequit. Libertati contraria est adulatio, cum Consiliarius non ex sententia animi sui sed Principis consulit, vel gratiæ ambitu, vel offensę metu. Estque omnino triplex assentatorum genus: quidam enim ventris & mensę causâ, voluptatibus Principis sese ad ludibrium usque subjiciunt: Parasiti enim simul morionum instar habentur. Secunda Adulationis species est, fictis laudibus sese insinuantium: Denique extremę sortis Assentatores sunt, qui sententiis suis ambitioni, avaritiæ, crudelitati, atque injustitiæ Regum suorum obsequuntur. Primum genus vilissimum quidem est, fœdius tamen quàm perniciosius: palam enim & professa scurrilitate id agit: at genus tertium quanto occultius, & gravitatem ac sapientiam adseverans, in magnis negotiis, & seriò illudit, tanto est noxiosius, imò turpius. Secundum genus si non mala, sed minuta laudat, non tam valde noxium est; imò si laudum melle & saccaro, monitorum, veluti medicinę, austeritatem abscondit & condit, etiam utile est. Id enim Plinius se sequutum scribit in Panegyrico quem Traiano dixit. Alexander tamen, itemque Pescenninus Niger, ne hæc quidem adulationis semina tulerunt, metuentes ne longius progrederentur & crescerent: atque qui Panegyricos ipsis meditabantur, jusserunt Ducis aut Principis alicujus vitâ functi laudes oratione in exemplum illustrare. Enimverò etiam probæ laudes, sed immeritæ, non habent vim admonitionis apud imperitos aut arrogantes. *Adeò illi* (ut cum Seneca *Ep.* 59. dicam) *indulgent sibi, ut laudari velint in id cui contraria cùm maximè faciunt. Mitissimum ille se in ipsis suppliciis audit, in rapinis liberalissimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperatissimum. Sequitur itaque ut ideo mutari nolint, quia se optimos credunt.* Assentantium laus non aliter noxia est, quàm fascinantium in Africa, ad quorum laudes (scribente Plinio) arbores vitesve, vel lætæ segetes, vel formosi infantes emoriebantur. Meretricum quoque & assentatorum blanditiæ à Plutarcho comparantur: utrique enim omnia bona suis exoptant præter bonam mentem, quam illecebrâ voluptatis corrumpunt. Alexander Imperator adeò oderat adulatores, ut si quis ambitiosis illum titulis, aut humilibus corporis flexibus salutaret, is per comites ejus abigeretur à conspectu; vel, si majoris dignitatis esset, omnium cachinnis confunderetur. Et profectò si Consiliariis rationem libertatis constare Principes volunt, necesse est cum iis quasi in planum descendant, neque servilem ab iis cultum exigant, adulationique se inimicos ostendant. *Princeps*, inquit Salomon *Proverb. cap.* 29. *qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Verba mendacii vocat illa contra sententiam animi ad voluntatem audientis composita. His si Rex delectatur, ideo ministri omnes impii evadunt, quod ficto obsequio, cultu, laude Numinis instar Regem sibi propitiant. Notum est, quousque erga Romanos Imperatores adulatio progressa fit: etiam Augusti memoria post mortem à prudentibus lacerabatur, scribente Tacito 1. *Annal.* conquerentibus, *Nihil Deorum honoribus relictum, cùm se templis & effigie Numinum, per flamines & Sacerdotes coli vellet.* Sed alio adhuc adspectu Princeps adulationibus amicus administros impios facit; quòd deformitas obsequii eò perveniat, ut voluntatem sui Principis justitiam censeant: id quod sacrilegii scelestissimi genus est, justitiam quæ divinæ rationis radius est, divinæque voluntatis norma, in libidine Principis constituere. Et hi certè adulatores longè flagitiosissimi qui ad similitudinem Numinis,

non

non differre in Principe justitiam, voluntatem, potestatem statuunt. Bonus itaque Consiliarius ab adulatione aberit; imò Princeps qui bonos Consiliarios cupit adulationem oderit: Sciat ille & recordetur semper, ut malus medicus est qui ægroti temperantiæ omnem dietæ regulam submittit; ita pessimum esse Consiliarium, qui potestatem Principis non jure, sed libidine ejus metitur. Nec verò huic errori indulgeat, quod sæpe salus Reipublicæ asseri nequit nisi potestate quæ justitiâ major sit. Nam si, quod suprà differuimus, publicæ felicitatis momentâ à Deo pendent, præ omnis solertiæ opisque humanæ vi: non potest certè justissimum Numen injustitiâ non alienari: nisi credunt idcirco id æqui bonique consulere hujusmodi injustitiam quod (ut ipsi dicunt) iniquitas temporum eam necessariam facit. Id verò est non justitiæ tantùm; sed potentiæ Dei derogare: apud quem si necessitas temporum veniam injuriis invenit, injustitiæ fautor non videri nequit, nisi aliter subvenire non potuit, vel omnino humana negligit. Quemadmodum autem adulatio longè abesse à sententiis & sermonibus Consiliarii debet; ita huic adversum vitium quoque declinandum aut morositatis aut contumeliæ aut rusticitatis, aut asperarum facetiarum: sed veritatis severitas omni obsequio & reverentiâ est concilianda. Ut inutile medicamentum est, quod nondum in stomachum receptum fœditate saporis nauseam movet: ita irrita admonitio consiliumve, quod propter asperitatem superbiamve verborum, aurium offensâ excluditur ab animi penetralibus. Præterea bonus Consiliarius ut apud Principem, populum tueri; ita apud populum qualiacunque Principis acta defendere aut mitigare semper debet. Est quoque inter Consiliarii virtutes constantia: quam hic à magnitudine animi distinguo, etsi eidem cognata, si non ex eadem nata est: intelligo enim firmitudinem animi non fluctuantis judicio, neque variantis decretis. Contraria ei levitas desultoria, & perplexitas rationum inexplicabilis: uti ex alterâ parte ei adversatur pertinacia, sed occultiùs, adeò ut constantiæ imagine sese insinuet. Quod igitur discrimen? Constantia est inflexibilis judicii tenor in vero & recto; pertinacia verò opinionis rigor in falso aut pravo: illa depravari nequit, ista corrigi nescit; & à superbia nascitur, contentionesque gignit, & consiliis atque consortibus consilii inimica est & invisa. Igitur si vel collega, vel usus, vel tempus erroris convincit decretum, non est levitatis assentiri rectè monenti; sed docilitatis, quæ prudentiæ pars constituitur: ideo enim plures consilii participes sunt. Quod si usus redarguit, quod ut Justinianus ait, conjecturâ utile videbatur: si erubescimus ab eventu, tanquam stultorum (ut dici solet) magistro discere; non errorem delemus, sed ex errore cœcitatem facimus. Denique si temporibus Reipublicæ exigentibus, flectere sententiam recusamus, quemadmodum in navigando pro ventorum varietate vela disponimus: non hæc constantia est, sed imperitia & quidem circa principia. Politici enim est, temporibus cedere; iisque attemperare consilia. *Faciles*, inquit Seneca *De Tranq. cap.* 14. *nos facere debemus, ne nimis destinatis rebus indulgeamus. Transeamus in ea in quæ nos casus deduxerit.* Deinde addit: *utrumque infestum est tranquillitati, & nihil mutare posse & nihil pati.* Illud sciendum consilia quæ in opus deduci cepta nec in melius rectè mutari, modò tolerabilia sint.

CAPUT XXI.

De Prudentia Consiliarii: quibus ea paretur, & proinde ex quibus conjiciatur.

Diximus quæ ad fidem, probitatem, pietatem, magnanimitatem, libertatem, constantiam, & universè ad mores Consiliarii pertinent; sequitur de prudentia ejus exploran-

da. Hæc enim præcipua Consiliarii dos est; imò, si vim ejus rectè æstimamus, unica: Nam à complexu virtutum, salvo rigore suo, avelli nequit. In eo enim differt à scientia, quòd hæc ingenium tantùm tingat, illa verò totum imbuat animum: præterea ista in universum negotia & res consideret, illa prout singulæ variis descriptæ articulis occurrunt. Itaque omni arte aut scientiâ diffusior, pulchriorque & utilior Prudentia est, & virtus verè politica, artifex quippe custosque & rectrix civitatum. Syrac. *cap.* 10. Exquibus autem notis deprehendi possit, liquebit, si cognoverimus quæ eam gignant. Ea ferè sunt natura, doctrina, usus: hac trigâ si invehitur, celeriter & fine errore pertinget ad metam; illâ verò separatâ, incerta, vacillans, hæsitans, & invalida est. Doctrina fine naturæ genio non sufficit: videmus enim fatorum quasi munere mentes quasdam litteris excolendis, alias negotiis administrandis distribui. Sed ut sciamus quatenus naturæ vis doctrinâ adjuvetur formeturque ad Prudentiam: distinguendum est triplex genus eruditorum, singulorumque apud Tacitum exempla sunt. Quidam enim ita se litteris toto animo emancipant, ut iis fruendum, non utendum putent. Hi scholæ, non curiæ aut foro apti sunt. Ut enim moderatus vini usus & animo & corpori vigorem suggerit; quem immodicus obruit: ita litteræ naturaliter ad exsuscitandam instruendamque Prudentiam aptæ, si sine modo & delectu avidum animum quasi ebrietate ceperunt, etiam naturalem agilitatem ei excutiunt. Rectè Bias, qui vanis & superfluis studiis immersos comparabat noctuis: nam ut hæ noctu vident, de die hallucinantur: ita illi in seriis caligant, in umbrabili verò subtilitate oculatissimi sunt. Stobæ. *Sermon.* 2. Hoc adspectu Tacitus Agricolam laudat, quòd rem in Philosophiæ studiis difficillimam, modum servaverit. Verùm de hoc alius fuit locus, ubi enucleatiùs hunc modum descripsimus. Secundi & sequioris generis sunt, quos Tacitus ait, doctrinâ ore tenus exercitos, animum bonis artibus non imbuisse; atque hoc specioso prætextu plerumque fraudes, perfidiam, avaritiam abdere. Et tales ferè sunt qui solo quæstûs voto (quemadmodum præcedentes curiositatis contentiosæ & argutæ prurigine) coluerunt artes scientiasque. Hos scientiis non pervenire ad virtutem, proindeque nec ad prudentiam, idcirco minùs mirandum est, quod aliud egerunt; Prudens autem Virtus non obvenit casu, aliòque convertentibus impetum & propositum animi. Elaboraverunt illi arcæ implendæ, non menti; avaritiæ, non virtuti, quæ nihil cum illa habet commercii. Si adventitium lucrum, non ipsa Sapientiæ pulchritudo studentis animum capit; non eunt in animum affectusque quæ discit, sed illa propter quæ studet. Etenim ut ingenium occupant illa quæ ad finem intenduntur, ita animum cupiditatemque maximè afficit finis, & extremum illud quod suspirat. Itaque qui ad solum lucrum studia referunt, in memoriam ingeniumque leviter demittunt, non etiam in animum moresque transfigurant ea quæ discunt: atque ita doctrina manet cruda, neque concocta convertitur in prudentiæ sanguinem spiritumque; ea quippe (ut diximus) totius habitudine animi, non ingenii memoriæque instrumento impletur. Tali eruditione mali pejores fiunt, quia calidiores, & ad inserviendum suis commodis prætextu Reip. & specie arduæ operæ, meritique aut Juris colore solertiores: eodem modo ut stomachus bile pravisque humoribus infectus alimentum quod recipit contagione istâ corrumpit in materiem & alimentum morborum. Ex hoc genere sæpè adulatores existunt, quales in comitatu Alexandri Curtius *lib.* 8. memorat, *qui professionem honestarum artium malis corruperant moribus.* Tertium est genus studentium, cui soli Prudentia favet, & in complexum disciplinæ occurrit

currit, eorum quos recta methodus justo modo & delectu, laudabilis & legitimi finis compotes reddit: qualem Tacitus describit Helvidium Priscum. In hanc sententiam pulchrè Seneca *Ep.* 16. ad Lucilium, *Non est*, inquit; *Philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum: non in verbis, sed in rebus est: nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione consumatur dies, ut dematur otio nausea:* quamvis & hic fructus studiorum: ad quæ si confugeris, inquit idem *De tranq. cap.* 3. omne vitæ fastidium effugeris, nec noctem fieri optabis tædio lucis, nec tibi gravis eris, nec aliis supervacuus. Hoc oblectamento destitutus in otio sibi negotium facessit, curis, angoribus, tædiis, levitate: & ut Horatius ait:

Nec horâ secum esse potest, non otia rectè Ponere, sed seipsum vitat fugitivus & erro.

Verùm non hic principalis Philosophiæ fructus, inquit Seneca: *Animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat. Sedet ad gubernaculum & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum. Sine hac nemo securus est. Innumerabilia accidunt singulis horis, quæ consilium exigant, quod ab hac petendum est.* Multum (inquit idem *Epist.* 108.) *ad rem pertinet, quo proposito ad quam rem accedas.* Itaque non difficile erit ex ipso studiorum proposito conjicere, utrum quis ex iis nudam summoque cordi innatantem scientiam, an verò prudentiam consecutus sit: Imo ex proposito & directione studiorum capi conjectura in universum de ingenio cujusque potest, quod fundamentum est prudentiæ, si non impetu tantum facilè & copiosè inveniendi viget, sed rectâ judicii normâ collimat: Hæc enim magis spectari, quàm ille debet. Etenim supra modum subtilia & celeria ingenia ferè Reipub. & consiliis minus apta: tum quod judicio ferè destituuntur, tum quod agilitas ista novandis quam administrandis rebus pronior sit. Fiducia enim sapiendi præ reliquis, multa antiquitus placita immutare, & non movenda movere audent: & quia ingenio indulgere malunt, abhorrent à negotiis quæ plus diligentiæ, quàm acuminis desiderant. Tales enim, ut facilè & celeriter excogitant aliquid quod plausibile sit, ita refugiunt à longioris intensionis animi rigore, inquisitionisque sedulitate, impatientes laborum: hinc solent non abesse à levitate atque inconstantia. Ad calliditatem quoque propendent: nam simplicitatem rectæ & sinceræ administrationis ferè fastidiunt: etenim hæc fœcunditas inusitati ingenii solet magnis vitiis luxuriare, quibus virtutes compenset. Deprehenditur autem ferè extemporali facundiâ: nam vis ejus subita, nec meditationis morâ (ut ingenia alta, solida, seria, & prudentiâ facta) valescit; sed quasi obrepente frigore elanguescit. Jam & subtilium istorum consilia idcirco ferè non succedunt, quod raro in executione par subtilitas intervenit: imo quia ad contemplationis venustatem nimis exacta, ideo ab actu rerum alieniora sunt. Non igitur tam in celeri motu ingenii, & copiosa disputandi subtilitate, censeri prudentia debet, quàm in rectitudine judicii & maturitate inquisitionis, & gravitate animi omnia ad æquitatem honestatemque exigentis. Sirach. *cap.* 19. Talia enim ingenia graviora sunt, quàm ut affectuum aura aut turbine convellantur. Animus autem purus serenusque, extra cupiditatum nubes nimbosque positus, domicilium atque oraculum est sacri spiritus, ipso illo spiritu in sacris litteris testante, *Sapient. c.* 1. Atque ita quidam interpretantur, quod Socrates Genium quemdam sibi insidere & præsidere dictitabat, à quo inter ancipitia dirigeretur, in lubrico sustineretur, in præcipitiis & confragosis manuduceretur. Apulei. *De demon. Socrat.* Rectè Epictetus, qui mentem virtuti deditam perenni fonti comparat; unde pura aqua, imperturbata, potabilis, jucunda, copiosa, usui & fructui

fructui apta, omnisque noxæ expers. Eadem est sententia Salomonis *Prov.* 18. *Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons Sapientiæ.* Et *Prov.* 20. E tali pectoris fonte liquida & utilia consilia promanant. Enimverò in rectè consulendo & finem optimum proponi necesse est, & expeditissimum ad eum iter inveniri: illud virtutis, istud solertiæ esse, Aristoteles constituit: prudentia autem cùm non nisi ex mixtura utriusque existat, non rectius in subtilibus & vehementi impetu incitatis, quàm in probis ingeniis sedatisque collocatur. Denique ut omnis ars incrementum & splendorem ab exercitio sumit: ita prudentia ingenio & doctrina constans, usu augescit, enitescit, solidescit. Experientiâ igitur opus est, ut quis cominus Rempubl. adspiciat, clavo adsidentes observet, negotia ipse quoque tractet, & universè quæ didicit in opere tentet. Hæc experientia disciplinæ inspirat animam partim à fiducia, partim à notitia articulorum quibus distincta negotia occurrunt, & quibus haud aliter quàm ansis attrectanda se præbent. Experientia doctrinam quasi sale condit, variis eam exceptionibus temperando: regulasque omnes acuit, ut in immensis factorum speciebus usum regimenque suum cernant; novasque ultro regulas concipit, & antiquis adjicit. Negotia tractanti bonus successus fiduciam adversus cautionem in posterum gignit. Vide Syrach. *cap.* 34.

CAPUT XXII.

Aphorismi de Consilio.

PRudentiæ pars est *Diligentia*: ideoque Consilium in tempore capiendum: nam in agendi articulum si differtur, trepidare, festinare, tumultuari necesse est; atque ita incogitantiâ & oblivione hallucinari. Omnia disponenda & præparanda quorum in actione usus erit, antequam ad eam prosiliatur. Idque Chiloni Myso respondit, hyeme ventilabrum fabricans. Plutarch. *Prolem. Rom.* 85. Stultitiæ post rem peractam consultantium proxima est inertia eorum, qui non nisi necessitatis stimulis ad consilium expergiscuntur. Non præsentem modò rei statum, sed progressum exitumque conjecturis æstimare oportet. Prudentia enim à procul videndo dicitur. Verè Aristoteles: Quemadmodum in re domestica, inquit, prodigalitatis & negligentiæ pernicies non in singulis, sed in cumulo tandem apparet: ita in Republica quæ singula in speciem levia sunt, paulatim invalescunt, & tandem ex summa ingens malum redundat. Matura consilii tempestivitas in eo quoque cernitur, ut nascentibus adhuc malis occurrat: multa in origine vitia corporis emendari dietâ aut malagmate possunt, quæ inveterata non nisi sectione & ustione curantur. Nec immeritò ille exclamat: *O quàm parvis veniunt summa mala principiis!* Pacat. in *Panegy.* Tempestivitas in vitiis & flagitiis publicis coërcendis, Medicorum exemplo spectanda: qui nihil magis noxium putant, quàm incoctos nec dispositos humores vexare medicamentis: nunquam etiam medicamentum morbo periculosius usurpant. Ex præcepto Pittaci, qui unus ex septem Sapientibus fuit, intentum in occasionem esse oportet, quia fortunę faventis nutus est; & manus, quam auxilio porrigit; non rariùs præclarè rei gerendæ causa, quàm virtus & prudentia: nisi quòd hoc ipsum prudentiæ est, obscuros ejus nutus intelligere; & hoc ipsum virtutis, porrectam ab illa manum celeriter & viriliter prendere. Idque totum est *Solertiæ* potissimùm, quæ ut Livius ait, oblata casu flectit ad consilium, & meritò inter Prudentię partes numeratur. Maximum momentum est in primis eventis ad existimationem in posterum, dispergendo vel fiduciam vel metum. Ideoque ad occasionem pertinet primi successus famam sequi, uti & urgere.

Circa remedia vitiorum aut seditionum satagendum ut causa quoque non

non tantùm occasio tollàtur. Veluti seditionis occasio, arma, cœtus & conciliabula: causa autem vel ex oppressione injusta, vel ex conscientia scelerum & metu judiciorum consternatio; vel ex nimia licentia, lascivia & contumacia; vel ex impunitate audacia & ferocia. Quidam tantùm quæ ante pedes sunt cernendo, tollunt ad insidam nec diuturnam quietem occasiones; sed quia longiùs non prospiciunt, ad causam non penetrant, ut eam elidant. Atqui Prudentiæ intima & sanctissima pars est Providentia.

Intelligentia quoque prudentiæ portio est. Sic caput de Republica dandi consilii est, nosse Rempublicam, nempe Leges & Instituta ejus, indolem & mores populi, itemque vires, quæ vectigalibus & tributis, mercaturæ & agriculturæ proventu, classibus & armis, militibus & fœderatis censentur. Rectèque Socrates apud Xenoph. *lib.* 3. dum Glauconem revocare ab administratione Reipublicæ nititur, quò ipsum immatura ambitio præcipitabat, interrogat illum de proventibus civitatis, unde & quanti sint; itemque de sumptibus, qui necessarii qui superflui; deinde de copiis navalibus & terrestribus Reipub. & hostium; adhæc de custodia regionis, quæ & quanta habeat præsidia, quæque ex his opportuna aut inutilia; mox de argentifodinis, cur minus quàm antè largiantur, itemque de fructibus agri quanti nascantur, quantique sufficiant in annum. Cùmque ille horum imperitus appareret, suadet Socrates ne præposterà ambitione contemptui se exponat.

Noscenda quoque Regis indoles: nam Principi demissæ & languidæ mentis magnifica & ardua suadens, se & illum & Rempublicam periculo ingenti objectat.

Noscenda quoque indoles adversarii, ut quod probabile est eum conaturum ei consilium occurrat; eò enim adaptari debet, non verò ad id quod tu aut prudens quis utique faceret.

Magnum momentum virium est in his tribus, subditorum benevolentià & fide, vicinorum & potentium societate incorruptà, Militum piorum & exercitatorum fortitudine. Subditorum benevolentia moderato & tranquillo regimine paratur; sociorum fides æquitate retinetur, si non extremo infensoque jure contendatur, sed remissiùs cum iis agatur; Militum fortitudo dilectu & disciplinà constat.

Universus populus nunquam offendendus. Sic Cyrus apud Xenoph. *lib.* 5. Hominem, inquit, qui cum imperio sit, subjectis sibi omnibus pariter succensere, magnum errorem puto. Multos enim infestos facit, qui multis terrorem incutit; & omnibus conspirationis occasionem suggerit, qui omnibus irascitur. Igitur populo concedenda benignè, quæ alioqui per vim exprimeret. Sic Livius *lib.* 2. *Neque patribus satis decorum per metum potius postmodum quàm voluntate, adflictis civium suorum fortunis consuluisse.*

Per æqua & iniqua retinendam esse concordiam, passim apud Livium prudentiores ex optimatibus censent: & præstat particulam Reipublicæ committere plebi, quàm universam in dimicationem discrimenque adducere.

Intelligentiæ vicina est Circumspectio. Est & hæc prudentiæ pars, ejusque munus omnes negotii de quo deliberatur articulos, & minutissima etiam attributa rimari & ob oculos habere: unde magnum imprudentiæ & temeritatis argumentum est, præcipitare responsum, neque antè satagere ut plenè instruaris. Syracides *cap.* 10. & 33.

Circumspectio plus affinitatis cum diligentia, quàm cum solertia habet: est enim quædam vigilia animi ad ea intenti in quibus multi non tam ignorantià quàm oblivione aut incurià peccant, ut eleganter Xenophon disserit *lib.* 5. *Memorab.* Nam, inquit, quæ Duces omnes norunt, & privatorum pars maxima, ea tamen quidam magno damno negligunt, alia summa cum

utilitate procurant; exempli causâ: norunt omnes melius esse per agrum hostilem instructis ordinibus transiri: sic enim copiæ subitò obrui nequeunt, aptæ ad dimicandum. Norunt omnes utile esse diurnas & nocturnas excubias ante castra disponi. Nulli non liquet, cum per meatus angustos eundum est, melius esse opportuna loca præoccupari. In his tamen multi impingunt: non utique acuminis aut peritiæ defectu sed incogitantiâ & animi ignaviâ. Hæc talia igitur ad Circumspectionem refero, quæ partim ex diligentia, partim ex memoria gignitur.

Cùm consilium exemplis eventuum instruitur, diligentissimâ contentione videndum, utrùm utrobique planè iidem articuli locorum, temporum, personarum, reliquorumque attributorum. Si congruunt, ita demum eventus rerum tutò instruxerit consilium. Atque exemplorum præcipuè adspectu, Prudentiæ pars constituitur Memoria.

In consultando non minùs quàm in disceptatione judiciali, incedendum ordine, constituendumque negotii totius caput, de quo dubitatur; priusque an & quid agendum, quàm quomodo peragendum, constare oportet. Naturale enim est, ut universa quæstio antecedat singularem.

Constituto quod & quid agendum sit, deliberandum de executione quæ non temerè committenda ei qui dissuasit: non enim sincerè & bonâ fide, aut certè non viriliter & fiduciâ plenus eam obibit. Executio negotii magnifici, injungenda magnanimo; callidi, acuto.

Executio non trahenda, sed conjungenda consultis: inter moras enim exspirat ardor, fiducia & impetus, quem infuderat bene subducta ratio, à qua cùm tempore sese avertit contemplatio animi, distrahitur is iterum ancipiti curâ cogitandi. Hinc inconstantia & languor, præterea silentium solvitur, emanatque consilium foras.

Atqui non magis arma, quàm consilia validissima sunt quæ nec opinantibus & imparatis intentantur. Ut executio maturanda, ita Consilium non præcipitandum: quo etiam adspectu *Cautio* portio est prudentiæ. Atque hoc fine, utile erit, nihil quo die proponitur decerni, ut quisque seorsim meditandi spatium habeat. Nihil enim in transcursu, nihil in fluxu perspici penitus potest: & proverbium *Consilium in noctem* trahit, cùm cogentibus tenebris & solitudine animus collectior est intentiorque.

Cùm diversi populi in fœdus conjuncti mutuis consiliis, opibus, viribus aliquid patraturi sunt: festinatione majore opus est: quia hæc compages diffidentium aut malè cohærentium membrorum levi momento dissolvetur.

Bona consilia morâ, scelera impetu valescunt, inquit Tacitus; imò ut idem ait, omnia inconsulti ardoris molimina principio acria, dilatione evanescunt. Unde adversùs sceleratam aut temerariam conspirationem (nisi nondum adulta in semine elidi possit) non statim pugnandum, sed videndum an non cunctatione vinci possit: dandum enim, inquit Livius, laxamentum cogitationibus, ut respirent, imò exspirent ardorem, ut respiciant quantum flagitii conceperint, & resipiscant. Hoc est quod apud Tacitum quidam: *daret bonorum consensui, malorum pœnitentiæ spatium. Temeritas*, inquit Curtius *lib. 4. ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo torpet.* Ad primos quoque tumores non adaptanda consilia, sed certiùs exploranda omnia. *Cuncta*, inquit Tacitus 3. *Annal. ut mos famæ, in majus credita.*

. . . . Sic quisque pavendo
Dat vires famæ: nulloque auctore malorum
Quæ finxere timent. . . . . Lucanus *lib. 1.*

Sic Curtius *lib. 9. Nunquam ad liquidum Fama redigitur: omnia, illâ tradente, majora sunt vero.* Ut celeritas cautioni contraria est, ita & confidentia, unde negligentia & *temeritas*.

meritas nascitur: quæ (inquit Livius) *præterquam quòd stulta, etiam infelix est.* Spes stultorum illecebra est. *Imperitia confidentiam*, inquit Thucydides, *Prudentia timiditatem gignit*, in arduis nempe & ambiguis. Illa enim quæ favere & adminiculari sibi videntur, insito affectu & æstimatione sui, attollit; interim ad ea quæ officiunt & adversantur connivet.

Sic nec utique nihil timendi, id est securitatis & negligentiæ, fundamentum est adversariorum consternatio: tales enim sæpe ad audaciam exsuscitat ipsa desperatio. *Timidis*, inquit Seneca, *magna fit ex desperatione securitas.* Moderatus metus, inquit idem, cohibet animos, nimius & extrema admovens excitat & instigat jacentes.

Et fractis rebus violentior ultima virtus.

Ignaviam quoque necessitas acuit, & sæpe desperatio spei causa est. *Curt. lib.* 5.

Sed neque probabilis belli inferendi ratio est in diffidiis hostium, nisi implacabilia sint. Sic ille apud Liv. *lib.* 28. Nunc illos æmulatio inter sese & omnes certaminum causæ acuunt, quia procul externus metus est, ostende illis Romana arma, jam velut ad commune incendium restinguendum concurrent.

Sapientis Imperatoris est, ait Panegyristes ad Constantinum Juniorem, *fractis rebus cunctando consulere; secundis, non deesse fortunæ*, urgendo successus & continuando victoriam, tamen sine superba securitate. Abire cum gloria poterant (inquit Curt. *lib.* 8.) si nunquam temeritas felix invenerit modum. Itaque utrumque illius sententiæ membrum temperandum est; posterius ex Aphorismo præcedente; prius ex sequente.

In rebus desperatis à consiliis audacibus & temerariis non est refugiendum. Tunc namque, ut ille ait,

Nunquam periculum sine periculo vincitur. Tunc, ut Tacitus ait, periculorum remedia ipsa pericula sunt: damnatque idem qui in eo articulo media consilia sectantes, nec satis audent, nec satis provident.

Nota est Herennii Pontii sententia damnantis medium consilium, quo Samnites exercitum Romanum in potestatem suam redactum cum contumelia & infamia atque ita vindictæ cupidine inflammatum dimittebant: cum potuissent vel internecione delere inimicos, vel honestæ liberationis beneficio amicos parare.

Cùm de retinendo sua agitur, cautis & lentis consiliis opus est; at audacibus & celeribus si de acquirendo certatur, ut quidam aiunt. Interim id cavendum, ne quis aliena appetendo, suis excidat. Hæc enim solet esse iniquæ ambitionis pœna, vel ut per eam partis anxiè & laboriosè ut procurator incumbat, non verò ut dominus fruatur (exemplo sit Julius Cæsar) vel ut non transmittat ad posteros, aut certè ut ii per dedecus dissipent: id quod Augusti fortuna tulit, infelicissimi in liberis, quos carcinomata appellavit. Atque de hac triplici rapacis ambitionis aut avaritiæ pœnâ ex divina denunciatione, & exemplis liquet.

Ut confidentia & temeritas, ita nimiæ diligentiæ timida morositas in consiliis vituperatur, tanquam ullis cautionibus excludi vis atque insidiæ fortunæ possint. Semper itaque pars quædam non quidem fortunæ permittenda, sed Deo committenda est. *Aliquando quod ratio non potest, fortuna consilium subministrat*, inquit Curtius *lib.* 6. & Solertiæ aut Sagacitatis est, ex rebus ipsis consilium capere. Efficacior, inquit Curt. *lib.* 4. omni arte imminens necessitas non usitata modo præsidia sed quædam etiam nova admovit. In hanc sententiam Seneca 4. *De Benef.* 33. *Nunquam expectare nos certissimam rerum comprehensionem (quoniam in arduo est veri exploratio,) sed eà ire quà ducit veri similitudo. Omne hac via procedit officium: sic serimus, sic navigamus, sic militamus, sic uxores ducimus, sic liberos tollimus; cum omnium horum*

intertus sit eventus. Addit deinde: *Sequimur quà ratio, non quà veritas trahit. Exspecta, ut nisi benè cessura non facias, & nisi compertâ veritate nihil moveris: relicto omni actu vita consistit.* Delinquere hâc in parte senes solent, qui

... Res cunctas timidè gelidèque ministrant.

dum partim ob experientiam adversæ fortunæ, partim deficiente calore, ab agendo & tentando abhorrent, metu præsumentes quicquid iniquitas casus possit. Exemplum est Q. Fabius Maximus apud Livium *lib* 28. dum P. Scipioni refragatur in Africam trajicere exercitum conanti, ut Hannibalem compellat ad sua tuenda recedere ab Italia quàm oppugnabat aut vastabat.

Ad Cautionem quoque referenda est dissimulatio: sed ea hac invicem Cautione indiget, ut eam sic moderetis, ne re hoc ipso major aut atrocior credatur, quod tam studiosè tegitur. Aphorismum hunc exemplis sententiisque illustrabimus.

Eumenes ut Perdiccam occisum, se hostem à Macedonibus declaratum, bellumque Antigono decretum cognovit, ultro militibus suis indicavit: ne fama (ait pulcherrimè Justin. *lib.* 14) aut rem in majus extolleret, aut militum animos rerum novitate terreret.

Sic Galba seditionem duarum legionum ultro asseveravit, ne dissimulata seditio (Taciti verbis) in majus crederetur.

Contrà verò Vitellius, nimiam securitatem ementitus, suppresso Vespasiani nomine, magis de Vespasiano famam aluit.

Valens Dux cùm milites seditiosi supplicium meriti essent; usus moderatione, dissimulavit iram: ac tamen ne dissimulans suspectior foret, inquit Tacit. incusavit.

Pari omnino consilio apud Curtium *lib.* 7. Alexander, ad eos quos causam perorare tanquam reos conscientiæ cum conjuratis jusserat: Nisi, inquit, quæ delata essent excussissem, valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset, Sed in hoc ipso sermone usus simulationis consilio Alex., ne infensos haberet, sed amicos potius, quippe quos videri volebat ad causam dicendam ipsorum gratiâ adactos, ut persuasi omnem ex animo Regis delatam esse suspicionem, & fide & fiduciâ meliore (alterum pendet ex altero) amici essent.

Ad *cautionem* quoque pertinet, non nisi manifestâ & magnâ utilitate invitante, vel necessitate urgente, in Legibus aut Institutis quicquam immutare.

Etiam cùm immutanda Instituta, aut emendandi mores publici, non impetu omnia, sed paulatim singula innovanda: exemplo Naturæ rerum, quæ reformidans hominum corpora repente è calore in frigus, aut ex rigore in æstus immittere, ad hiemis æstatisque vices per interjecti Veris Autumnique temperamenta eas exercet.

Neque vitiosus omnis humor de corpore expelli, sine ejus convulsione & periculo, sine mixtura quoque probi succi sanguinisque potest: neque omnes pravæ cupidines aut flagitia excidi de civitate possunt sine motu & perturbatione, sine calumniis quoque bonos involventibus.

Ut remedia usitata prudentes Medici præferunt inexpertis, utcunque novitatis specie plausibili blandiantur, & multa promittant; ita in regenda Republica consilia antiquitùs recepta meliora aut tutiora sunt novitiis inventis.

Ad cautionem quoque spectat diffidentia ab Epicharmo laudata instar nervorum & artuum Prudentiæ. Hujus Versum Cicero celebrat, & Dion in libro quem scripsit *De non temerè credendo* apud Stobæum *serm.* 3. Magno suo damno plerumque boni & candidi alios ex suo sensu æstimant. Juris humanitas unumquemque bonum præsumit: sed consuetudinis immanitas hanc regulam erroris convincit, & eâ innixos præcipitat. In hanc sententiam Seneca 4. *Natural. in princ.* Virgilianum illud excute:

Nus-

Nusquam tuta fides : ...

aut Ovidianum;

... *Quà terra patet, fera regnat Erynnis.*
In facinus jurasse putes ....

Notus est apologus de Cassita, quem Ennius conclusit his versibus.

Hoc erit tibi semper argumentum in promptu situm,
Ne quid exspectes amicos, quod tu agere possis.

Vide Agel. *lib.* 2. *cap.* 29. Sed Versus Epicharmi, non modò beneficentiæ illorum, sed nec innocentiæ usquequaque confidere jubet. Id quod in fortunæ procella ferè accidit;

Quæ simul intonuit, proxima quæque fugat. *Nemo fideliter diligit*, ait ille, *quem fastidit: nam & calamitas querula est, & superba felicitas. Ita suam quisque fortunam in consilio habet, cùm de aliena deliberat.* Curtius *lib.* 5. Hoc & privatim in amicis, & publicè in fœderatis cernere licet: maximè autem in aula. Itaque *optimè miserias ferunt, qui abscondunt.* Curtius *ibid.* Ob sui commodi umbram plerique vitam & salutem amici deserereni. Unde nunquam ab iis petendum est consilium quorum interest: quomodo Jureconsulti ut suspectum rejiciunt Judicem, qui similem ei cujus arbiter sedet, controversiam litigator habet. Hinc etiam nunquam de Nobilibus soli Nobiles (& sic in aliis ejusdem generis) in consilium mittendi sunt. Reliqui quoque affectus vel prævertunt consilium impetu, aut pervertunt caligine; veluti ira. Rectèque Socrates: Quemadmodum, inquit, ex lacu turbato non hauris aquam potui, nisi resederit: ita animo per iram inflammato nihil decreveris, pronuntiaveris, egeris, nisi illâ sedatâ. Non rectè Curtius *lib.* 8. malè humanis ingeniis Naturam consuluisse, scribit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus; agens de Alexandro adflictante se ob eædem Clyti jam sedatâ irâ per quam eam patraverat. Homines enim sibi malè consulunt properando ad pœnitentiam obsequio adfectus. Eleganter Aristippus Cyrenensis cuidam irato: *Ne*, inquit, *verba per iram effundamus, sed iram verbis compescamus. Nonne vides*, inquit Aristoteles, *quicquid per iram committitur alienum à Ratione esse? Hæc namque illam fugit ut tyrannum.* Ut fumus oculos morsicans impedit aciem eorum; ita animi luminibus cum furore & dolore quodam officit iracundia, ut idem ait. Prudentiæ est antè securitati, quàm ultioni consulere: Tacitus *in Annal.* at imprudens contentio ita ad alterum lædendum ruit, ut suam salutem negligat. Democrit. apud Stobæum *serm.* 20 Idem de avaritia & ambitione in bello Curtius ait *lib.* 4. *Ritu ferarum, prædam modò quam expeteret, intuentem, in perniciem, quæ ante prædam posita sit incurgere.* Cùm verò quemque sua causa aliquo affectu moveat, & in unam magis quàm alteram partem inclinet; hinc præjudicium quoddam affectui congruens consilium ejus corrumpit, utiliusque id ab alio petet. Atque hoc maximè adspectu Prudentiæ pars constituitur *Docilitas. Viæ stulti rectæ videntur in oculis ejus*, inquit Salomon *Prov.* 12 *at qui auscultat consilio, sapiens est.* Pessimum est consilium ab adulatore: sed quisque ferè sibi adulatur. *Vitio naturæ*, inquit Cæsar 2. *De bel. civil. quæ volumus, & credimus; & quæ sentimus ipsi, reliquos sentire speramus. Facillimum est*, ait Demostenes, *decipere seipsum: quod enim quisque cupit, id etiam in animum inducit, & sibi persuadet.* Apud Stobæ. *serm.* 23. *Humani ingenii vitium* Curtius nominat, *spei suæ indulgere. lib.* 8. *Adeò pertinax*, inquit idem *lib.* 8. *spes est, quam humanæ mentes, quam ingentes concupiscentiæ devoverunt.* Et apud eundem *lib.* 7. Cobares barbarus quidam sed non barbarè ad Bessam: *Natura*, inquit, *mortalium hoc quoque nomine, prava & sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno. Turbida facta sunt consilia eorum qui sibi*

ſibi ſuadent. Obſtat aliis metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum quæ cogitaveris amor. Nam in te ſuperbia non cadit. Expertus es, unumquemque quod ipſe repererit, aut ſolum aut optimum ducere. Idem tradit Sen. *Ep.* 109. Quiſque igitur cum Epicteto cenſeat apud Stobæ. *ſerm.* 5. Præſtat veritati cedentem vincere ſuam opinionem, quàm opinioni indulgentem vinci à veritate. Pavor quidem adeò inimicus eſt Conſiliis, ut, quemadmodum Curtius ait *lib.* 3. auxilia quoque ſua formidet. Idemque: *ad deteriora credendum proni metu.* Nam ut Lucan. ait: *Peſſimus in dubiis augur timor.* Uſque adeo metus omni clade aut perturbatione vehementius percellit & adfligit animos, ut nonnulli dum metuunt ne capti occidantur, ſibi ipſis mortem ferro, præcipitio, ſtrangulatione aliovè modo conſciſcant. Xenoph. 3. *De Cyr. Inſt.* Quæ accipienda de pavore cæco & lymphatico. Nam alioqui Confidentia quoque conſiliis officit, ut diximus.

Hæc cum ita ſint, Conſiliis quoque utile eſt Horatii monitum:

> *Sperat infeſtis, metuit ſecundis*
> *Alteram ſortem bene præparatum*
> *Pectus.* ....

In hanc ſententiam pulchrè Darius poſt cladem acceptam ſuos erigens apud Curtium *lib.* 4 diſſerit: *Breves & mutabiles vices rerum ſunt, & fortuna nunquam ſimpliciter indulget. Forſitan ita dii fata ordinaverunt, ut Perſarum imperium, quod ſecundo curſu per 230. annos ad ſummum faſtigium evexerant, magno motu concuterent magis quàm affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cujus nimia in proſperis rebus oblivio eſt.* Vide *Proverb.* 18. Nam ut ait Architas, nimia felicitas non aliter quàm ebrietas mentem capit: apud Stobæ. *ſerm.* 1. & nonmodo non invenire, ſed nec audire ſalubre conſilium permittit. Exemplum Darius, qui Charidemum ad capitale ſupplicium duci juſſit, impatiens veritatis per quam diſſuadebat bellum; cum ex adverſo palatini ſolitâ vanitate ſpem ejus inflaſſent: *Quamvis erat*, inquit Curtius *lib.* 3. *Dario mite ac tractabile ingenium, niſi ſuam naturam plerumque fortuna corrumperet.*

Rectè igitur & ſalubriter in Senatu Romano olim Cato; apud Agell. *lib.* 7. *cap.* 3. *Scio ſolere pleriſque hominibus rebus ſecundis atque prolixis atque proſperis, animum excellentem atque ſuperbiam atque ferocitatem augeſcere atque creſcere. Quod nunc mihi magnæ curæ eſt, quod hæc res tam ſecundò proceſſerit, ne quid in conſulendo adverſi eveniat; quod noſtras ſecundas res confricet; neve hæc lætitia nimis luxurioſè eveniat. Adverſæ res ſe domant, & docent quid facto opus ſit: ſecundæ res lætitiâ tranſverſum trudere ſolent à rectè conſulendo, atque intelligendo. Quo majore opere dico ſuadeoque uti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in poteſtatem noſtram redeamus.* Magnificè igitur & prudenter Porus qui ab Alexandro victus, interroganti victori, quid ipſum ſtatuere debere, cenſeret? Quod hic, inquit, dies tibi ſuadet, quo expertus es quàm caduca felicitas eſſet. Curtius *lib.* 8. *in fin.* *Neſcit fortuna*, inquit Seneca 3. *Natur. in princ.*, *quieſcere, gaudet lætis triſtia ſubſtituere, & utraque miſcere. Itaque in ſecundis nemo confidat, in adverſis nemo deficiat. Alternæ ſunt vices rerum. Quid exultas? Iſta quibus veheris in ſummum, neſcis ubi te relictura ſint: habebunt ſuum, non tuum finem. Quid jaces? Ad imum delatus es? Nunc eſt reſurgendi locus. In melius adverſa, in deterius optata flectuntur. Ita concipienda eſt animo varietas, non privatarum tantùm domuum, quas levis caſus impellit, ſed etiam publicarum.* Non tantùm proſpera & adverſa alternant, ſed etiam contraria ſæpè imagine decipiunt. Plinius *in Paneg.* Seneca *Epiſt.* 116. Aliquando autem in perpetuum Numen adfligit

&

& disturbat statum Reip. Addit enim Seneca: *Regna ex infimo coorta supra imperantes jacuerunt. Vetera imperia in ipso flore cecidere. Iniri non potest numerus, quàm multa ab aliis fracta sint. Nunc cum maximè Deus alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias jactat.* Et difficilis quidem fati conjectura est: nisi quod cùm clades cladibus sine spiramentis ingeminat, cùm prudentium consilia ultro corrumpit, præsagium id esse videtur fatalis exitii. Idem est, de electis in summum felicitatis fastigium Nam quia exsurgere ultrà nequeunt, incipiunt

—— *In pejus ruere, & retro sublapsa referri.*

Quia diuturnus constantię tenor rebus humanis negatus est, tanquam accedens ad proprietatem divinarum rerum, quas consummationis & immortalitatis conditio in uno statu tenet.

Prudentiæ summam implet illa facultas animi unum ex alio colligentis, quæ ratio dicitur. Hujus præcipuum est munus, ad supremum finem Reip. respicere, & quod ei consentaneum sit, aut repugnans animadvertere. Hæc Cynosura est, qua consilia diriguntur; hic portus est, quo potita felicia sint & quiescant. Itaque fine ejus certa destinatione incerta sunt, vaga, inconstantia. Ignoranti quem portum petat, nullus suus ventus est: inquit Seneca, pluribus etiam hoc monitum illustrans.

Finis principatus & imperii est, publicum bonum Sic Panegyristes ad Maximianum, eum *oblitum quodammodo sui, gentibus vivere:* & ad Julianum: *Noster Imperator*, inquit, *nihil sibi veniæ, nihil ceteris molestiæ ac laboris impartiens, suo negotio omnibus otium præstat; divitiarum largitor, curarum avarus.* Regis est, ut ejusdem verbis dicam, *pro omnium otio die noctuque vigilare; & cùm Dominus vocatur, libertati civium servire.*

Pulchrè & distinctè Cicero omnem politici, consilii scopum complectens: *Moderatori*, inquit, *Reipub. beata civium vita proposita est: ut ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit.* Nam salus publica partim in animis civium, partim in corporibus, partim in fortunis cernitur. Præcipua sunt animi bona, quibus cetera etiam parantur, aut conservantur. In illis est pietas, cultusque Numinis, non minus in secundo rerum cursu, quàm in adversis sollicitus: ita enim demum sincerus candidusque erit & ab adulatione (ut sic dicam) alienus. Inde igitur fiducia, & successus in perplexis rebus erit. Proxima est justitia (quæ metu Numinis sancitur validissimè) cujus germina sunt, concordia civium inter ipsos, & obsequium erga Principem: & hinc tranquillitas atque securitas. Deinde est temperantia, altrix justitiæ; id enim agit, ut qui immodicis cupiditatibus imperant, earum instinctu ad injustitiam non impellantur, voluptatibus sufficturam copias: imò id agit, ne lascivia ad ferociam, ferocia ad contumeliam & violentiam erumpat. Est porro in hoc numero Sapientia, parens Temperantiæ, quia à voluptatibus corporis abducit ad majores animi voluptates, quæ sunt in contemplatione Dei, Naturæque, scientia pulcherrimarum rerum, & conscientia virtutis. Affinis est Prudentia, facultas indagandi comparandique ea quæ ad felicitatem faciunt. Denique est fortitudo, quæ jam ad corpora civium quoque pertingit, quos bellicis exercitiis in tutelam patriæ instruit: ex hac est libertas, sine hac precarium est imperium. Circa corpora quoque est cura valetudinis cui Temperantia adminiculatur. Denique circa fortunas, commercia, artificia & agriculturam: quæ maximè justitiâ & concordiâ, tranquillitate & libertate vigent. Circa fortunas & externa est quoque gloriæ amplitudo: quæ Sapientiæ & Fortitudinis exemplis præcipuè inclarescit. Ita ut appareat, prima, & reliquorum instar, esse

esse animi bona: quippe quibus inservire cetera debent, & quorum beneficio eadem acquiruntur & conservantur.

Quia honestum plurumque finis est Consiliorum, nunquam per flagitia tendendum ad publicum bonum: sed ut committenda nunquam mala sunt, ita permittenda interim majoris boni causâ. Vide nostra in *lib.* 1. *Aphorism. Jur.*

Non satis est, honestum esse quò Consilia tendunt, sed inprimis dispiciendum, an non supra vires positum sit: id fiet, admonente Tullio, si nec desperemus propter ignaviam, neque confidamus nimis per cupiditatem.

Ubi paria sunt periculum & præmium, & secundis rebus amplior fructus est, & adversis solatium majus: ait quidem apud Curt. *lib.* 9. Sanè temeritatis est, id conari, quod minus fructus adferet, si successus responderit; quàm damni, si fefellerit: dementiæ autem, si ne quidem successus fructu par erit impendio pecuniæ, aut etiam hominum. Itaque non oportet, ut Augustus dicebat, aureo hamo piscari.

Insatiabilis cupido gloriæ sæpe impellit, magno apparatu & discrimine persequi ea quæ non est tanti consequi. Sic Alexander monitus rogatusque à suis per publicam salutem, ne obscuris etiam pugnis & ignobilibus periculis se objiceret: *Ubicunque*, inquit, *pugnabo, in theatro terrarum orbis esse me credam: dabo nobilitatem ignobilibus locis:* apud Curt. *lib.* 9. Sed fortuna, inquit Curtius *lib.* 4. *quos uni sibi credere coëgit, magnâ ex parte avidos gloriæ magis quàm capaces facit.* Nam ut Cicero ad Cæsarem ait *orat. pro Marcel.* illa solers & strenua potentiæ amplificatio *plus admirationis habet, quàm gloriæ. Siquidem gloria est illustris ac pervagata multorum & magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.* Admiratio excipit magna & inusitata, quantumvis noxia; Gloria verò tantùm salutaria illustrat: est enim virtutis umbra & imago. Optimè igitur Xenophon: *Gloriosius esse Regi, beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem relinquere.* Apud Stobæ. 47. Itaque amplior gloriæ seges, si quis ditionem suam Legibus & Institutis excolat, quàm si armis extendat: pulchrius certè, urbes condere, aut conditas operibus exornare, quàm belli furore evertere aut deformare: pulchrius servare suos, quàm perdere exteros.

Multùm proinde errant, qui gloriæ causâ, suorum sanguine, & imperii viribus ludunt; & ardua atque immensa animo concipientes, vel tentasse ausumque ea esse magnificum & memoriabile putant, etsi ea non tenuerint.

Pulchrè Isocrates: *Veros fidelesque & stabiles honores reputa, non quos timor palam exprimit: sed si subditi apud se & liberi te venerantur; id est mentem magis tuam, quàm fortunam.* Id verò consequetur Princeps si id agat, ut reverendus potiùs quàm terribilis sit: reverentiam enim admiratio, timorem odium sequitur, ut Pythagoras dicebat, itemque Muson. apud Stobæ. *ubi sup.* Alexander gloriæ nec naturam nec modum noverat, censente Senecâ 1. *De Benef. cap.* 13. *qui summum bonum duceret terrori esse cunctis mortalibus: oblitus, non ferocissima tantùm, sed ignavissima quoque animalia timeri ob virus malum.* Sevitiâ igitur & martis furore terribilem esse, ad ferarum indolem accedit: at verò prudentiâ admirabilem, justitiâ verecundum, beneficentiâ amabilem, & omnino regimine salutarem esse, id verò est, ut Plinius ait, mortalibus Deum esse.

Aliquando tamen impensius quam pro re serviendum famæ, cùm nimirum rerum salubriter gerendarum momentum erit: veluti in novis ceptis. Sic Curtius de Alexandro *lib.* 4. hærente æquo longiùs circa obsidionem urbis:

bis: *Tam discedere irritum*, inquit, *quàm morari pudebat: famam quoque, quâ plura quàm armis everterat, ratus leviorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset.*

CAPUT XXIII.

Quomodo Princeps in exquirendis, & Consiliarii in dicendis sententiis se gerere debeant.

De ratione rogandi dicendique sententiam quamvis obiter quædam diximus, lubet tamen diligentiùs exequi. Principem maturè consultare debere, præmonuimus, itemque ad libertatem Consiliarios incitare candore, lenitate, comitate.

Nam metus adulationem gignit, sed benevolentiæ expers est, inquit Democritus. In consultando igitur Princeps se gerat non ut Principem, sed consilii Præsidem, non ut Monarcham, sed ut caput Aristocratiæ: sed in exequendo tantùm majestatem exserat, imò in examinandis consultis & sententiâ eligendâ: idque ex veteri Aphorismo: *Quid agendum sit, cum multis; quid acturus sis, cum paucis, vel potiùs ipse tecum delibera.* Nam nulla validiora sunt consilia, quàm quæ solo effectu in notitiam prodeunt. Itaque pars fidei à Consiliario præstandæ est Taciturnitas: quam jurejurando sanciri, utile sit. Apud Persas periculo capitis sanciebatur. Colenda autem silentii fides non modò in arduis & periculosis negotiis; sed indistinctè in omnibus, etiam quæ momentum habere non videntur: ut nimirum ipsâ consuetudinis assiduitate Taciturnitas radices agat. Infidum silentium, ademptâ libertate, infidas sententias gignit; imò & contemptum, dissolutâ auctoritate Concilii, cùm in vulgus Consiliariorum quorundam errores, affectus, imperitia, negligentia emanant. Ad silentii custodiam in magnis rebus usurpabant Romani ea quæ appellabant tacita Senatusconsulta: quibus nimirum nec pedatii Senatores intererant, nec actuarii, sed aliquis de Senatu scribebat decretum. Secreti fides sæpe vino, sæpe amore, aliquando auro perit. Esse quandam amoris dulcedinem, quæ arcana non aliter atque ebrietas proliciat, Seneca scribit. Amor nimirum societatem omnium rerum, imò animorum unionem molitur: hinc consilia participat quantumvis abdenda. Multa extant exempla clandestinarum conjurationum, quæ per scorta emanarunt.

Ebrietas quid non designat? operta recludit, inquit Horatius: quamvis exempla quædam ebriosorum Seneca memoret, qui arcani tenaces fuêre. In magnis & perplexis negotiis ex Romano Senatu quidam de scripto sententiam dicebant. Aliquando autem per discessionem ferebantur sententiæ: cùm inter primores dissensione emergente, Consul diceret: qui hæc sentitis, in hanc partem; qui alia omnia in alteram partem abite. Aliquando etiam quisque in urnam projiciebat sententiæ suæ tesseram & judicium. Sed tacita suffragia Plinius improbat: quia plerisque non eadem pudoris cura, & reverentia conscientiæ clanculum, quæ palam esse solet. Itaque admitti ea tantùm suadeam in parva & perfunctoria consultatione, aut cùm festinatione opus. Rogatus sententiam non debet tanquam in regnum suum venerit, dicendo diem extrahere: pluribus potiùs opportuna differendi spatium sit. Ostentatio ista orationis copiosæ non utique magis persuadet: offendit enim opinione superbiæ aut contumeliæ, dum vel se unum cernere quæ alios lateant, aut hos non nisi longâ oratione instrui, aut conciliari vero posse, præsumit. Offendit quoque fastidio, non aliter quàm alimentum nimiâ copiâ ingestum. Sententia igitur nervosâ & fœcundâ brevitate gravis sit & modesta: talis enim brevitas reverentiam & sibi & aliis servat. Ordo perrogandi sententias idem non omnibus probatur. Communior usus est, ut dignatione atque ita ætate, usuque rerum potiores censendi prætoga-

tivam habeant, ut illa ad instructionem inclinationemque faciat inferiorum imperitiorumque. Et sic Romano in Senatu usurbabatur. Quibusdam autem contrarius ordo placet, & ex ratione ferè eâdem. Noxium enim est, inquiunt, dignatione præcellentium auctoritate & exemplo, interim & blandiendi studio moveri atque impelli inferiores: non enim qui in Senatu, utique & in prudentia primores sunt. Et sæpe etiam est olitor valde oportuna locutus. Itaque Julius Cæsar non solenni ratoque sed arbitrario & vario ordine sententias rogabat, ut omnium excitaret intentionem & diligentiam: quæ remittitur ac dissolvitur consuetudine & fiduciâ assentiendi prioribus, qui peculiari curâ negotium enucleavêre. Sueton. in *Julio*. Atque hoc institutum probo. Laurentius Medices quoque Florentinæ Reipublicæ Princeps, Consiliarios suos non eodem tempore, sed seorsim singulos jubebat sententiam dicere: ut quisque ignarus inclinationis aliorum, neque æmulatione ad contradicendum, neque assentatione ad assentiendum impelleretur. Brutus *lib.* 1. *Histor. Florent.* Idque tunc demùm probaverim, cùm de quorundam æmula contentione, aliorum studiosâ consensione constat. Solent enim quidam esse, qui in gratiam potentiorum, illorum verba subsequi, semperque secundas agere instituunt: & his contrario vitio quidam, non tantùm, ut Tacitus ait, *consilii quantumvis egregii quod non ipsi invenerint inimici sunt*; sed etiam quod dicturi erant ipsi, id ab aliis occupatum vellicare, aut certè distinctiunculis & interpretatiunculis interpolare avent. Adeò vesana est vel contentionis prurigo, vel æmulationis malignitas, vel denique superbiæ perversitas: nisi rectiùs fortasse dixerim, ab ambitione sibi uni auctoritatem, id est prudentiæ opinionem vindicante, vel à superbia hâc opinione sui solius intumescente tam fœdam existere æmulationem impatientium consortis; ab æmulatione verò contentionem, nodum in scirpo quærentium. Dissensio autem quæ ab istis vitiis pura est, non est reprehendenda: efficit enim ut majore cautione & circumspectione adhibitâ, optimum consilium emicet; dum nimirùm non tantùm quibus commodis invitantibus negotium suadetur, sed & quibus incommodis infestum sit, clariùs sic aperitur ad faciliorem comparationem electionemque. Dissensio igitur Consiliariorum quæ tantùm judiciis tenus consistit, facilè, & cum fructu placari potest: at verò si voluntatum esse incipit, jam ad inimicitias Reipublicæ noxias erumpit. Judiciis non voluntatibus discordant, si unum eundemque finem habent ac scopum consiliorum: (is qualis esse debeat suo loco scripsimus) circa quem si divertunt, perniciosa & infensa discordia exoritur, nisi maturè Princeps occurrat. Solet interim & noxia consensio esse, vel conspiratio potius, mutuis cupiditatibus gratificantium. Quemadmodum autem singulis in deliberando liberum dissentire, ita Decretum omnes approbare, & tueri oportet. Decretum, inquam, majoris partis: hæc enim semper prævalet, adeò ut nec consuetudinem valere tradiderint Juris Interpretes, si quæ omnium consensum exigat.

FINIS LIBRI QUINTI.

DIO-

DIODORI TULDENI DE CIVILI REGIMINE LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

De Arcanis Reipublicæ. Eorum descriptio, distinctio, usus.

Cum consiliis affinitatem magnam habent illa, quæ *Rerump. arcana*, & ab Aristotele Sophismata Politica appellantur: & sunt omninò Consiliorum species, verùm non recto itinere, sed obliquo tramite ferè incedunt, omnemque vim à secreto habent, simulatione & dissimulatione vigentia. Sunt igitur Arcana hæc occultæ Artes tuendæ securitatis imperantium, & formæ Reipublicæ. Præsens enim status Subditis sæpè invisus eos contra Rectores impellere solet. Atque à duplici hoc fine distingui possunt in Arcana Reipublicæ, & Arcana Dominationis. Quidam hæc singulari volumine ingeniosè copiosèque exsecutus est Arnoldus Clapmarius. Sunt autem probanda ita demùm, si honesto fine usurpantur, nec Justitiam aut honestatem palam violant. Etenim ut Plutarchus in Catone censet, Justitiæ summa est auctoritas, summa fides apud Multitudinem. Nam non modò honorant Justos, veluti Fortes; nec admirantur solùm uti Prudentes; sed hoc amplius amore & fiduciâ complectuntur: cùm illos metuant ut temerarios, istis diffidant ut callidis. Maximum igitur Arcanum existimandum est, colere Justitiam, & Pietate, Virtute, Æquitate conciliatum habere Numen, utique justissimum, quod occultè Respublicas omnes, consilia item omnia & eventa temperat. Ad ejus proinde offensam hoc quoque pertinet, si hisce Arcanis nimium tribuatur: sine ipsius quippe favore fragilia sunt & lubrica. Nam profectò, ut Deus ipse testatur *Prov.* 16. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus. Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini in æternum permanebit. Prov.* 19. Dividi adhuc Arcana hæc possunt in Specialia, quæ singulis Rerumpublicarum formis adaptantur; & Generalia, quæ omnibus in commune prospiciunt. Ad ista præcipuè pertinet Auctoritatis itemque Benevolentiæ conciliatio amplificatioque aut tutela.

CAPUT II.

Arcana comparandæ augendæque Auctoritatis.

Magnum securitatis momentum in Auctoritate est, quæ est existimatio Subditorum, itemque exterorum de Reipublicæ Moderatoribus tanquam imperio dignis, & altissimæ fortunæ capacibus. Vocatur hæc latinè loquentibus etiam Majestas: veluti apud Curtium *lib.* 8. *Persas non piè solùm, sed etiam prudenter Reges suos inter Deos colere: Majestatem enim imperii, salutis esse tutelam.* Sic nonnulli Romanorum quoque Principum augendæ Majestati Religionem quandam sibi usurpaverunt. In honorem Cæsaris, inquit Dion, e-

dixerant Duumviri, Ne quis à Templo Divi Julii ad quod impunitatis causâ confugisset, avelli posset: quod nemini Deorum, inquit, concessum, exceptis iis quæ ad asylum Romuli spectant. Sed hæc impia sunt; quemadmodum & superstitione venerationem sibi comparare; tanquam consorti consiliorum Numinis. Sic de Scipione Livius scribit *lib.* 26. quod non veris tantùm virtutibus mirabilis fuit, sed *arte quoque quâdam à juventa in ostentationem earum compositus: pleraque apud multitudinem aut per nocturnas visa species, aut velut divinitus mente monitâ, agens: sive & ipse capti quâdam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque velut sorte oraculi missa, sine cunctatione assequeretur. Ad hæc jam inde ab initio præparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quàm in Capitolium iret, & plerumque tempus solus in secreto ibi tereret.* Hæc talia quia cum impietate conjuncta sunt, nec utilia existimari debent: quamque illi à superstitione petiverunt societatis cum Numine opinionem, à pietate petenda est; imò non petenda est, sed ultro orietur. Etenim si opinioni & famæ pietas colitur, esse pietas definit: quæ vera mentes afflatu quodam Numinis (ut præcedente libro diximus) luculentas in consiliis, providásque futurorum, atque etiam in conatibus felices reddit: ex quibus certè Auctoritas præcipuè efflorescit. Post pietatem auctoritati stabiliendæ facit (ut jam præmonuimus) justitia; pietati in eo par, quod Numini quoque charos facit; ipso testante *Prov.* 16. *Initium viæ bonæ, facere justitiam, quæ acceptior Deo est, quàm immolatio hostiarum.* Et *Prov.* 15. *Qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.* Atque ut sciamus vana & irrita esse ea stabiliendi regni arcana, quæ justitiæ repugnant; apertè divinæ litteræ denuntiant *Prov.* 16. *Justitiâ firmatur solium.* Iterumque *Prov.* 18. *Judicia quasi vectes urbium.* Et manifestiùs etiam *Prov.* 14. *Justitia extollit gentes: miseras autem facit civitates peccatum.* Porrò ut justitia ad auctoritatem valet plurimum, ita & severitas, quia illius gravitatisque proles est: gravitas autem orationis, & magnitudo animi interriti Majestatem non emerentur tantùm, sed suo sibi jure vindicant. In exemplum horum sufficiet Alexandri Severi ad tumultuantes milites Oratio, quam Capitolinus in hæc verba refert: *Qui in concione estis, vocem contra hostem, non contra Imperatorem vestrum emittite. Certè Campidoctores vestri hanc vos docuerunt contra Sarmatas, Germanos, & Persas emittere; non contra eum qui acceptam à provincialibus annonam; qui vestem, qui stipendia vobis attribuit. Continete igitur vocem turbulentam, ne vos omnes hodie uno ore atque unâ voce dimittam, Quirites; & incertum, an Quirites: non enim digni estis, qui vel Romanæ plebis sitis, si Jus Romanum non agnoscitis. Quum post ista nihilominus fremerent, exclamavit: Quirites discedite, & arma ponite.* Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam cingulis militaribus, omnes non ad castra, sed ad diversoria varia recesserunt. Tumque priùs intellectum, inquit Capitol. quantum ipsius Severitas posset. Sed Imperator Alexander hac in parte cognominem sibi Regem Macedonum imitatus est: qui majorem audaciam, meliore etiam successu, in seditiosam concionem exercuit. Nam postquam irritâ oratione eam castigavisset: frendens de tribunali prosiluit inermis in medium armatorum agmen, & tredecim, quorum præcipuam in obloquendo ferociam notaverat, manu corripuit, & custodibus corporis sui (nemine repugnare auso, omnibusque metu attonitis) ad servandos supplicio dedit. *Itaque*, inquit Curtius *lib.* 10., *sive nominis, quod gentes quæ sub Regibus sunt, inter Deos colunt, sive propria*

propria ipsius veneratio, sive fiducia tantâ vi exercentis imperium, conterruit eos: singulare certè ediderunt patientiæ exemplum: adeoque non sunt accensi supplicio commilitionum, cum sub noctem interfectos esse nossent, ut nihil omiserint quod singuli magis obedienter ac piè facerent. Tria Curtius memorat, quæ tantam hanc auctoritati vim attribuebant, liberi regni Majestas, ipsius Regis ob virtutes rerumque gestarum magnitudinem reverentia, denique illis par altitudo animi, actu illo repræsentata. Ex quibus primum Romano Principi Alexandro deerat, ideoque nec pari audaciâ severitatem exercuit. Tiberius autem Cæsar quia secundo illo quoque destituebatur, seditionem agitanti in Illyrico exercitui ne quidem occurrit (quamvis populi rumore id flagitante) sed per liberos suos legatos remedia tentabat: quia, inquit Tacitus, *Majestati major è longinquo reverentia. Plerumque quæ absunt magis commovent homines*, ait Cæsar. Movebat illum præterea, quòd filiis ejus liberum esset quædam ex postulatis militum ad Senatum rejicere, atque ita moras nectere, inter quas ardor ille turbulentorum animorum deflagraret: at verò ipsi Principi id non licuisset salvâ Majestate, cui congruit decretoriè & citra ambages exceptionesque agere. Et omnino ad Regiam auctoritatem facit illa, quam Homerus Menelao Regi adscribit, breviloquentia, specie legum aut oraculorum verenda, sensibusque valida & vi suâ nitens, nec in rationes conciliationesque effusa. Eòdem pertinet familiaritatis fuga: quo Suetonius Tiberii diuturnum ab urbe & civium adspectu secessum refert, ut *vitato*, inquit, *assiduitatis fastidio, auctoritatem absentiâ tueretur*. In his tamen modus esse debet: neque tam contemptus ex civilitate, quàm ex superbiâ odium formidandum est. Et meritò Pacatus illos reprehendit Principes, *Qui Majestatem Regiam imminui & vulgari putabant, nisi eos intra repositum palatinæ ædis inclusos, tanquam aliquod vestale secretum; veneratio occulta consuluisset: nisi intra domesticam umbram jacentes, solitudo provisa, & silentia latè conciliata vallassent. Quin si quando in lucem venire, & diem ferre potuissent, lecticis tensisque subvecti, & densissimâ circum supraque cooperti virorum armorumque testudine; sensim atque ad numerum movebantur: tum longè populus abigebatur, nec otiosa viatoris manus plebem verbere submovebat, ut secretum esset in publico.* Hæc certè non Majestatem augent, sed odia arcessunt: idemque sentiendum de reliqua superbiæ fastûsque pompa, in vestitu, victu, instrumentoque omni aulæ. Privatis hæc sæpe venerationem aliquam à vulgo extorquent, tanquam opum indicia: at verò Regum Principumque testatior est magnitudo, quàm ut eo adminiculo indigeat: atque si spernit & omittit, id argumentum sublimis conscientiæ, veris bonis & splendore virtutis fidentis; itemque *continentiæ & moderationis*, quæ Curtius *lib. 6. in altissima quaque fortuna eminentia bona* appellat. Enimverò leve momentum externa ad auctoritatem habent; præcipuumque ea pondus à virtutibus capit; à pietate, ut dixi, quæ amicitiâ & tutelâ Numinis dignatos verè sacrosanctos reddit; à Prudentia, quæ etiam futurorum conjecturâ, & inde rectâ præsentium dispositione, consortio quasi Providentiæ cœlestis, admirandos facit; & generatim obsequium emeretur omnium: quomodo quantumvis excelsæ fortunæ homines in navigando lubenter Gubernatori parent; quia eum in hac certè parte Prudentiâ præstare agnoscunt. Illa autem de qua agimus Prudentia regendæ vitæ & Reipub. scientia est. Præterea Justitia Principis venerationem bonis, quos tuetur, tanquam Patris insinuat; terroremque ut Domini malis, quorum audaciam refrænat. Denique Magnanimitas Majestatem suam Rectoribus

 asserit,

afferit, dum jus imperii intrepidè exercet, feroci entesque & fuæ, & ipforum conditionis admonere audet: dum utriufque fortunæ; & fic fummæ (quæ præcipuis procellis objecta) capacem mentem oftendit; & non minùs animi, quàm fortis præftantiâ principem fupra reliquos evehit. Sunt & aliæ virtutes quæ auctoritatem conciliant; minores & memoratarum foboles. Inter quas eft Conftantia itemque Fides & Veritas: à quibus pulchrè Julianum laudat Panegyriftes: *Amicitias*, inquit; *tuêris privatæ fidei, Imperatoris opulentiâ quæ perpetuæ & conftantis benevolentiæ prima fiducia eft, certiffima virtutum & Principis veritas. Num quem in animo fufpicatum effe audivi? Nemo fimulantis blanditiis, nemo falsâ pollicitatione deceptus eft. Quis nefcit aliorum Imperatorum hilarem diritatem, cachinnantemque fævitiam; à quibus ingenita crudelitas figmento lætitiæ tegebatur: Mira*, inquit, *eft in Principe noftro mentis linguæque concordia. Non modò humilis & parvi animi, fed fervile vitium fcit effe mendacium: & verè cum mendaces homines aut inopia aut timor faciat, magnitudinem fortunæ fuæ Imperator qui mentitur ignorat.* Eadem facrarum litterarum fententia *Prov.* 22. *Non decent ftultum verba compofita, nec Principem labium mentiens.* Etenim ad contemptum facit & inconftantia fententiam mutantis, & perfidia fallentis promiffa, & fallacia fingentis: funt enim & levis & improbi & vilis animi indicia. Sit igitur Princeps qualem Theodofium laudat Pacatus: *Nihil*, inquiens, *ita primoribus labris polliceris, qui promiffo fidem fubdas, & verba re fancias. Nemo jam, nemo beneficia quæ dederis ab eo credit tempore computanda quo dederis: quia tam funt certa quæ fpondes, ut tum videantur accepta cùm fpondes.* Planè diffimulatio confiliorum ad auctoritatem facit, ut in *Senten.* Guicciardinus notat: quia homines exfpectatione fufpenfos, conjecturis curiofos, interpretationibus varios tenens, latam famam excitat, de ignotis admirabiliorem femper magnificentioremque. Fama autem egregia magnum auctoritatis inftrumentum eft: fed illius hoc fundamentum effe dictitabat Socrates, ut talis quifque effet, qualis haberi cuperet. In quam fententiam Epictetus apud Stobæ. *ferm.* 1. Si benè audire cupis, difce benedicere. Doctus autem præclarè loqui, conare convenienter agere: atque ita bonâ famâ potieris. Et hoc igitur fundamentum famæ, adminiculum verò quod ante diximus; itemque fapientia & virtute infignes, eruditione quoque & doctrina inclytos familiariter diligere: nam & ex indole moribufque eorum æftimabitur, & habent ferè Genium quo magna nomina Famæ magnificæ & perenni confecrent. Vera quidem & fumma Principum Virtus auctoritatem gloriamque fuo jure obtinet: fed quia ea non omnibus imò oppidò paucis contingit, præfidium ab arte petendum eft. Pulchrè & prudenter Plutarchus: In eo, inquit, qui folida virtute inftructus eft, ea luculentiffima funt ad pulchritudinem, quæ maximè expofita confpectui: neque exteros quicquam tanta admiratione capit in tali viro, quantam domeftici ejus concipiunt ex quotidiana vitæ ratione. At verò ubi deeft vera illa virtus, ea vis eft confuetudinis convictufque eum amicis, ut Majeftatem deprimat; neque in familiari ufu retineri illa gravitas poteft, quæ auctoritati eft neceffaria. In eundem fenfum Seneca *cap. ult. De tranquil.* negat, *Virtuti periculum effe, ne propiùs admota vilefcat*: quinimo *major adeunti* videtur, inquit *Epift.* 111. *Quod in magnis evenit montibus, quorum proceritas minus apparet longè intuentibus: cùm acceſſeris, tunc manifeftum fit, quàm in arduo fumma fint.* Vide eund. *Epift.* 79 Et hæc quidem penes illos qui aliquid prudentiæ habent ita fe habere puto: at in imperito

rito vulgo sunt qui fastidiunt, quicquid propiùs adicrunt. Senec. *De tranquill.* Ideoque Pericles (describente Plutarcho *in vit.*) quamvis multiplici virtute prædirus, postquam in administratione Reipub. Principem agere cepit, toto illo tempore ab omni amicorum hilariore convictu refugit: quin & ad nuptias, inquit, Euryptolemei consobrini cum ivisset, statim libatione peracta discessit. Quin etiam veritus, ne assidua sui copia exsatiatum populum incesseret fastidium, non quacunque re oblata in concionem prodibat, sed runc demum cum ingens operæ pretium invitaret, in reliqua amicos sociosque oratores submittebat. Igitur ut auctoritati tuendæ facit in familiari convictu, levibusve negotiis se non vulgare: ita nihil æquè Majestatem destruit, quàm à seriarum graviumque rerum tractatu se subducere, easque vicaria ministrorum opera expedire: talisque Princeps qui summam Reipub in alios transmitrit, instar pupilli despicitur. Itaque arcanum dominationis est, sive ea penes unum, sive penes plures est, ut ad eorum auspicia referatur fama & gloria rerum feliciter à militiæ ducibus gestarum: quod ut obtineant, dirigere summam rerum consiliis debent, militemque pecuniam & commeatum curare, itemque duces, centuriones, præfectos ordinare, substituere, revocare. In hanc sententiam Curtius *lib.* 6. *Craterus*, inquit, *omnibus præparatis, Regis exspectabat adventum, captæ urbis titulo, sicut par est, cedens.* Hac igitur ratione victoriarum famam suis auspiciis Principes vindicabunt, quamvis à castris (ut solet) abfuerint. Enimverò Arcanum quoque est, non deserere sedem imperii. Hinc gravissima illa Ciceronis querela de Pompeio, & universo Senatu, quod adventante cum exercitu Cæsare Romam reliquissent. Cicero *Epist.* 1. *ad Att. lib.* 8. & *Ep.* 11. *lib.* 7. Sic Livius *lib.* 3. de Terentillo: *Is*, inquit, *Consulibus absentibus ratus locum Tribunitiis actionibus datum, per aliquot dies patrum superbiam criminatus est.* Sed ut Optimatibus, ita Regibus quoque hoc Arcanum consulit: & hac quoque de causa Tiberius seditioni exercitus in Illirico non occurrebat. Sic Capitolinus de Antonino refert, quod urbe non excesserit, obtendens nimis gravem futurum Provincialibus comitatum Principis; reverà autem ideo, ne Imperatore absente, sedes imperii à conjuratis occuparetur. Prudenter autem prætextu illo Arcanum adumbrabat: Arcanorum enim hujusmodi vis exspirat, si in notitiam populi emanant. Doli non sunt doli, inquit Plautus, nisi astu colas. Ammurates quoque Turcarum Imperator non inscius hujus Arcani fuit: gloriabaturque se sedentem Constantinopoli, res majores gessisse, quàm ullus de majoribus suis stans in acie. Constantinopolis nimirum plena Christianis erat, id est Turcico nomini infensissimis, quibus occasionem patefecisset in expeditionem profectus. De Carolo Gallo quoque Froissardus scribit *lib.* 2. quod cum Edowardo Angliæ Rege bellum per fratres gesserit: *Veritus*, inquit, *ne, ut est fortuna belli, rebus improsperè gestis, Parisienses more suo secessionem facerent.* Etenim ut Julius Cæsar ait: *Res adversæ auctoritatem Ducum imminuunt:* Estque auctoritas aliquando felicitatis, & Genii cujusdam beneficium, ut in Timoleonte Plutarchus notat: Nulla, inquit, Fœderum pactio. Edictorum compositio, agrorum divisio, nulla denique Reipub. ordinatio rectè sese habere videbatur, si non ille interfuisset, ornatumque & tanquam Opifex rei perfectæ supremam manum, ac gratiam quandam à Diis acceptam addidisset. Cum enim ea tempestate præclaris viris Græcia floruerit, Timotheo, Agesilao, Peloxidâ, Epaminondâ, eorum facinora splendorem habuerunt, ut violentiâ, & laboribus, ita reprehensionibus quoque permixtum: at Timoleontis factis acclamari Sophocleum illud potuit: *Quæ*

Quanam Venus, vel quis Cupido, Dii boni
Comitatur hunc & adjuvat semper virum!

Nam quemadmodum Antimachi Colophonii versus Dionysiique eadem urbe nati picturæ, manifesta laboris imagine, quasi violentæ videntur; Nicomachi vero tabulis & Homeri carminibus gratiam & Majestatem auget facilitatis felicitas: ita, inquit, Timoleontis facinorum pulchritudinem amplificat præter virtutem & fortuna. Etenim fortunata virtus cùm numinis instructu & conspiratione vigere videatur, meritò majorem venerationem excitat: quemadmodum

Gratior & pulchro veniens è corpore virtus.

Sic Panegyristes ad Theodosium: *Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium.* Nam & *augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cælo: sive divinus ille animus venturus in corpus dignum priùs metatur hospitium; sive cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo; sive aliud ex altero crescit; & cùm se paria junxerunt, utraque majora sunt.* Sanè fortuitæ hæ dotes & apud Vulgus, ut Tacitus notat; & apud Barbaros, ut Curtius, reverentiæ aliquid conciliant. Verum forma sub præcepta non cadit, sed sunt adfinia, quæ illius dedecus pensent. Sic Periclis Majestati caput oblongum & inconcinnum non derogavit: quia, describente Plutarcho, *suppetebat in in vultu gravitas, in incessu lenitas, in vestitu mundicies, decora, non muliebris: in oratione nullum per affectum perturbabatur, voce compositus placidusque: denique id genus multa alia, quibus ingentem sui apud omnes admirationem excitabat.*

CAPUT III.

Arcana conciliandæ benevolentiæ populi.

AD securitatem Imperantium, tranquillitatemque publici status multùm valet benevolentia in illos populi; longè certè potentior metu, unde gignitur odium, quod eodem quidem comprimitur, sed tantisper tantùm dum occasione patefaciente viam erumpat in noxam perniciemque. Ac eadem quidem quæ ad Auctoritatem valere diximus, pariter ferè ad benevolentiam valent. Virtus enim non tantùm quà magnifica est, & à paucis comprehenditur quos ad divinæ naturæ similitudinem evehit, admirationem reverentiamque excitat; sed & quà benefica est, & naturâ conciliante ab omnibus sentitur, amorem erga eos gignit in quibus resplendet. Quia tamen quædam Virtutes ad Auctoritatem, non æquè ad Benevolentiam pertinere videntur, nisi arte quâdam ad harmoniam temperentur: placuit seorsim de Benevolentia populi colligenda atque retinenda disserere. Etenim severitas quidem Auctoritatem, sed cum damno Benevolentiæ; Clementia autem gratiam, sed cum detrimento Auctoritatis conciliare videntur. Eadem diversitas in Gravitate & Comitate, in Justitia & Liberalitate, in Constantia & Facilitate. Hæc igitur quomodo miscenda sint, exponemus; quanquam difficile est, certis finibus & Severitati & Clementiæ Regnum (ut sic dicam) suum designare. Nam quod dicitur, multis in crimen aliquod incumbentibus, graviore exemplo opus esse, ad infringendam terrore audaciam: id perpetuum non est. Inprimis enim tempori cedere aliquando oportet, ne intempestivis remediis delicta accendantur. Sic Tiberius non audebat Populum Romanum tot per annos molliter habitum ad duriora vertere. Culpanturque Galba, Piso, Pertinax, quòd disciplinam diu collapsam subitò restituere nixi sint. Aliquando etiam flagitia quæ metu suppliciorum subigi non potuerunt, pudore vincuntur, quem Clementia incutit, aut etiam exemplum Rectoris. Augustus certè in exstinguendis conjurationum facibus (quibus initia Principatus ejus infesta fuerunt) plus ignoscendo quàm puniendo profecit.

Seneca

Seneca *De Clem.* Denique in seditiones severitas quidem distringenda, sed in Capita Concitatoresque tantùm in multitudinem Clementiâ utendum, tanquam quæ illorum contagione insaniverit. Planè si lex aliqua civilis diu & frequenter violata, nec vindicata est, adeò ut quasi in usu consenuerit: si eam retineri exercerique utilitas publica exigit, disertè indulgeri in præteritum commissa, calumniarumque seminarium succidi, Clementiæ ratio exigit: exemplum apud Tacitum 6. *Annal* est, de lege dictatoris Cæsaris, quâ jubebantur Romani certam patrimonii partem in fundos conferre. *Prætor* enim *multitudine periclitantium subactus, retulit ad Senatum trepidique patres (neque enim quisquam tali culpâ vacuus) veniam à Principe petivere; & concedente, annus in posterum sexque menses dati, quis secundùm jussa legis, rationes familiares quisque componeret.* Præterea misceri Severitas Clementiâ potest. Sic de Claudio Tacitus 11. *annal.* famosos probris quonam modo Senatu depelleret, anxius, mitem & recens repertam quandam Severitati priscæ rationem adhibuit: monendo, secum quisque de se consultaret, peteretque jus exuendi ordinis: facilem ejus rei veniam: & motos Senatu & excusatos simul propositurum: ut judicium Censorum, ac pudor sponte cedentium permixta ignominiam mollirent. Adhæc damnatorum à Senatu pœnas mitigare subinde Princeps debet, iisque nunquam lætari aut oculos pascere. Sanè non temerè ipse sententiâ suâ irrogare supplicia debet. Germanicus à seditiosis militibus jam ad sanitatem redeuntibus rogatus ut noxios puniret; jussit, ut ipsi exequerentur: ut penes eosdem sævitia & invidia facti esset. Jam & abolitiones criminum servandæ in auspicio principatus, vel ob festum in honorem Principis diem. *l.* 8. *ff. ad SC. Turpil.* Denique ad leviora delicta connivendum: quædam etiam rectefactorum compensatione obliteranda. Sed plura de Clementiæ & Severitatis salubri mixturâ in primo, ni fallor, libro collocavimus. Sequitur quomodo Gravitas temperanda sit Comitate ad benevolentiam. Etenim moderatores Reipublicæ à sermone imperioso recedere aliquando ad blandirias debent. Cùm in magno certamine de re agraria viderent patres vi imperii & argumentis se parum proficere, ad artes & blandimenta se contulerunt. Dicebat enim Appius: facilè homines novos, auctoritate Principum de sententia deduci, si temporum interdum potiùs, quàm Majestatis memor adhibeatur oratio. Itaque prensant, ambiunt sex ex Tribunis, suadendo, monendo, pollicendo, simulando omnem spem positam esse in Tribunitio auxilio. Præclarum, inquit Livius, Tribunis potestatique est, non ad vexandum Senatum, discordiamque ordinum movendam plus in Tribunatu virium esse, quàm ad resistendum improbis collegis. Ex his illud quoque notandum, ad conciliandam multitudinem plurimum posse si capita Ducesque ejus in sententiam trahantur: idque ipsum ut succedat, idipsum quod petitur illorum quasi auctoritati permittendum est, simulatâ prudentiæ & æquitatis fiduciâ quod utrumque Guicciardinus in monitis Politicis notat. Huc pertinent Homeri versus de Ulysse, quos Socrates sæpe in ore habebat, Xenoph. *lib.* 1. *Memorab.*

Si Regem nactus, magnâ aut virtute virum quem
Conspiceret, verbis hunc demulcebat amicis;
O felix, tibi non ignavi more timendum est,
Verum ipsus sedeas, aliosque sedere jubeto.
At si quem mediâ clamantem e plebe videret,
Hunc sceptro ferit, & castigans talibus infit:
Infelix, ne te moveas: melioribus aureis
Trade tuas, animi nullo qui robore præstans,
Non es consiliis ullis, nec idoneus armis.

Sed ad Comitatem benevolentiæ conciliatricem pertinent blanditiæ laudesque. Sic apud Livium *lib.* 3. Dux quidam: Agite juvenes, præstate virtute peditem, ut honore atque ordine præ-

ſtatis. Tacitus in *Agric.* ſcribit, Romanos laudando fregiſſe Britannorum barbariem; ingenia illorum ſtudiis Gallorum anteferendo: ut qui modo linguam Romanam abnuebant, Eloquentiam concupiſcerent. Alexander apud Curtium *lib.* 3. Milites ſuos appellat tot Bellorum in Europa victores ad ſubigendam Aſiam; itemque Liberatores orbis terrarum, & omnibus gentibus impoſituros jugum. Sic Germanicus apud Tacitum ſeditionem ſedaturus: *Primane*, inquit, *an viceſima Legiones, illa ſignis à Tiberio acceptis, iſta tot præliorum ſocia, tot præmiis aucta?* Ad comitatem quoque pertinet interpretatio benignior. Sic Otho ſeditionem militum compoſiturus, quam vanâ ſuſpicione inſidiarum in Principem, periculosè excitaverant: *Tumultus*, inquit, *proximi initium non cupidine vel odio, quæ multos exercitus in diſcordiam egêre, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum, nimiâ Pietas veſtra acriùs, quàm conſideratiùs excitavit.* Tacit. 1. *Hiſtor. Nam ſæpe honeſtas rerum cauſas, ni judicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur.* Ad comitatem quoque, & ex ea benevolentiam pertinet Eloquentia, quæ ſuaviſſimâ Suadæ violentiâ vincit volentes, & ad conſenſum ducit; quæ aſpera dulcibus mitigare & miſcere novit. Sic Pericles, deſcribente Plutarcho, populum perſuadendo docendoque, nonnunquam & invitum ad communem utilitatem direxit: Medicos imitatus, qui perplexo & pertinaci morbo nonnunquam mulcentia: aliquando mordicantia remedia applicant. Ille enim unicè aptus ad pertractandos eos animorum motus, quos in multitudine tantæ dominationis compote exiſtere neceſſe eſt, potiſſimùm ferociam languoremque, ex quibus illam metu injecto temperans, hunc ſpe mulcens, laxanſque, & utrumque quaſi gubernaculis moderans, oſtendit verè Oratoriam artem à Platone definiri, Facultatem ducendi hominum animos. Maximam enim partem verſatur, in ratione ac via regendi affectus, quà remiſſiores, quà concitatiores: qui cùm ſint tanquam nervi ac ſoni quidam animi, concinnè pulſari tractarique volunt. Atque ut hoc efficeret Pericles, Non vis, inquit, nuda dicendi præſtitit, ſed (Thucydide teſte) auctoritas viri, quem conſtabat nulla dona recipere, nullâ pecuniâ corrumpi poſſe. Valida igitur facundia eſt, cùm fidem orationis virtus dicentis, partim exemplis, partim præceptâ opinione veri adjuvat. Regiæ quidem Majeſtati, ut diximus, preſſa ferè ſtrictiorque oratio congruit; reliquis autem Rerumpub moderatoribus uberior ſplendidiorque, exemplo Periclis, qui condimenti loco ſuis concionibus Philoſophicum aliquid ſemper miſcebat, Anaxagoræ Doctoris ſui Sophiam quaſi oratoriâ arte tingens. Plutarch. *in Peric.* Nam eum Sapientię præcepta ornatiore & pleno affectibus eloquio inſpiratet, tonare & fulgurare videbatur. Similem ferè eloquentiæ rationem Catoni fuiſſe, etiam cum milites ad prælium incenderet, Plutarchus memorat. Ejuſmodi igitur Facundia & ad benevolenam & ad auctoritatem valet plurimum, ſi modò vitæ gravitas ſanctitaſque reſpondet, ut in Pericle & Catone Plutarchus deſcribit. Nam hoc quoque addit, quod cum in ſenatu quidam intemperans homo orationem haberet honeſtiſſimis ſententiis refertam, extiterit quidam Amnæus, qui hunc perſtringens: Quis, inquit, te ferat, gravitate orationis Catonem, cænatum verò intemperantiâ Craſſum, & ædificandi luxu Lucullum adæquare? Ad comitatem humanitatemque referenda quoque Lenitas eſt: quæ & ipſa cum præcipuè ad benevolentiam, tum aliquatenus & ad auctoritatem valet: eſt enim animi magni. Nam quis non admiratus fuiſſet Periclem, qui dum quodam tempore per totum diem à quodam impuro maledictis in foro inceſſeretur, adeo non movebatur, ut nec adverteret animum, placidè perficiens

ciens negotium quod cœperat. Cumque vesperè è foro abeuntem ille eâdem linguę petulantiâ insecutus usque ad ædes fuisset: famulo Pericles mandavit, ut illum prælucente face reduceret. Idem Pericles cum jam in confinio mortis esset, & amici circumsidentes bellica ejus facinora, & novem trophęa inter sese memorarent, tanquam ipso non audiente: Ego verò, inquit, miror cur ista quæ exilia quæque cum multis belli Ducibus communia sunt, memorabilia existimetis, unum verò maximum & eximium indolis meæ specimen silentio transmittatis, quod nemo civium propter me atram vestem induit. Et sanè, Plutarcho Arbitro, dignus admiratione vir ille, non tantùm propter animi æquitatem lenitatemque, quam ille in tot tantisque & negotiis & contentionibus illibatam præstitit, sed & propter judicii altitudinem, quâ in bonis laudibusque suis hoc præcipuum existimabat, quòd tantam potentiam inhibuisset à licentia, per moderationem animi, non irâ præceps, non invidiâ cuiquam iniquus, aut æmulatione obtrectator, non denique inimicitiis implacabilis. Atque tam placidis moribus superbum illud Olympii cognomentum vindicare ab invidia potuit, inquit Plutarchus: ego verò iisdem id meruisse eum atque obtinuisse puto. Etenim ut Poëta ait:

Fulminibus terra propior succenditur aër,
Imaque telluris ventos tractusque coruscos
Flammarum accipiunt: nubes excedit Olimpus.
Lege Deûm minimas rerum discordia turbat,
Pacem summa tenent.....

Quàm verò rapaces popularis gratiæ sint ad eum modum placidi benignique mores, Plutarchus in comparatione Alcibiadis & Coriolani ostendit. Antipater, inquit in epistola quadam de morte Aristotelis Philosophi scribens, etiam suadæ vim gratiamque ei adfuisse memorat. Hæc Marcio defuit: fastusque ejus & pervicacia (quam solitudinis contubernalem Plato appellat) virtutes & facinora ejus iis quoque molesta reddidit, de quibus benè merebatur. Alcibiades verò affabilitate & facilitate morum id consecutus fuit, ut non modò restefactorum ejus gloria floreret, sed & errata quædam & delicta gratiosa essent. Itaque Marcius quamvis in admiratione esset, minimè tamen charus civibus erat, adeò ut Magistratum virtuti suæ debitum petens, repulsam tulerit: Alcibiadem autem etiam læsi ab eo Athenienses amaverunt, & post vulnera Reipubl. illata Ducem Prætoremque elegerunt. Itaque quod Plato Xenocratem Philosophum austeræ virtutis virum admonebat, ut Gratiis sacrificaret: id multo magis Politicis viris præceptum censeri debet, adeòque Principibus ipsis Regibusque. Pulchrè in laudibus Theodosii Pacatus: *Quem nondum, inquit, aliquo provexisti gradu, tamen dignatione es solatus. Atque haud scio, an quibusdam consolatio ista sufficerit. Ille cohonestatus affatu, ille mensâ beatus, ille osculo conferi atus est. Ita omnibus qui de Principe sibi jure confiderent, aut processit dignatio, aut satisfecit humanitas: humanitas, inquam, quæ tam clara in Imperatore, quàm rara est. Nam cum indiscreta felicium pedissequa sit superbia: vix cuiquam contigit, & abundare fortunâ, & indigere arrogantiâ. Cujus quidem ita Majores nostros pertæsum est, ut graviorem semper putaverint servitute contemptum; ejusque impatientiâ sint coacti, post bellatores Tullos, Numasque sacrificos & Romulos conditores, Regnum usque ad nomen odisse. Denique ipsum illum Tarquinium execratione postremâ hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, avaritiâ cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt Superbum; & putaverunt sufficere maledictum.* Ab illa igitur velis remisque Princeps refugiat, atque humanitatem comitatemque exerceat per faciles aditus, per aures patientissimas, per benigna responsa, per vultum ipsum,

augusti decoris gravitate & hilaritate mixtis, venerandum quiddam & amabile renidentem: quæ Nazarius in Constantini laudibus celebrat; & in Traiani Plinius pulcherrimo compendio, dum illi tribuit jam *olim imperantis securitatem, & incipientis pudorem.* Pariter Pacatus Theodosium laudat, quòd creber egressu exspectantibus populis se fateretur, nec videri modò patiens, sed facilis adiri, è proximo acciperet vota hominum, ut quisquis ille Consultor est, etiamsi meruisset (quod rarum) repulsam, ferret tamen sui Numinis conscientiam. Inter barbaros tamen gratior mos patrius, idcòque quod proximè dixi, id paulò aliter aliquando sese habet. De Vonone Tacitus scribit 2. *Annal.* accendebat dedignantes & ipse, diversus à Majorum Institutis, raro venatu, segni equorum curâ, quoties per urbes incederet lecticæ gestamine, fastuque erga patrias epulas. Sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia, & quia ipsorum Majoribus aliena perinde odium pravis & honestis. Comitas quoque cernitur in publicis voluptatibus indulgendo, quà id ad remissionem animorum, non verò dissolutionem disciplinæ pertinet; ut sunt ludorum spectaculorumque exhibitiones. Livius *lib.* 5. de Veiorum Rege scribit, eum odium incurrisse, quod solennia ludorum, quæ intermittere nefas erat, diremisset. Tacitus verò auctor est, Romanos plus voluptatibus, quàm armis adversus subjectos valuisse: idque, inquit, humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset. De Æmilio Paulo Plutarchus memorat, quòd in Macedonia quam devicerat, publicè spectacula certaminum omnis generis, & sacrificia, & epulas exhibuerit. Tantus autem erat ordo, inquit, tanta decori cura in collocandis convivis, singulisque pro gradu, ordine & dignitate honestandis, ut mirarentur Græci in his minutis illum quoque magnum esse, qui maximis negotiis exercitus erat, inque remissionibus quoque gratiam cum Majestate quâdam suppetere. Quibus ille respondebat, ejusdem ingenii esse, & aciem & convivium rectè instruere; illam ut quàm maximè hostibus terrori, istud ut maximè amicis voluptati esset. Juxta comitatem liberalitas studia populi conciliat: quæ & ipsa commendationem venerationemque à comitate accipit. Amittunt enim beneficia gratiam, si superbè aut fastidiosè objiciuntur, si negligenter aut prodigè sparguntur, si cum dilatione cunctationeque quasi invitis elabuntur. Omni igitur comitate, id est affectus significatione, condiat munus suum, qui gratum illud esse cupit; ut qui accepit amplius de animo dantis sibi gratuletur, quàm de ipso dono. In hanc sententiam Panegyristes ad Theodosium: *Faciliùs, inquit, inveneris, qui pecuniam ex ærario, quàm qui ex animo fidem prompserint. Optimus ille ditabat, non etiam diligebat; prodesse noverat, amare nesciebat. Tu amicitiam nomen ante privatum non solum intra aulam vocasti; sed indutam purpurâ, auro gemmisque redimitam solio recepisti, neque non verbis asseruisti, Principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere: cùm fide ac facultatibus paribus agas; & familiaribus tuis Imperator tribuas, quod privatus optâras.* Cyri effusissimam in amicos liberalitatem cùm incusaret Cræsus, dictitans potuisse illum ex tot victoriis ingentes jam thesauros coäcervasse: hos sibi non deesse Cyrus ostendit, misso ad amicos qui nuntiaret, pecuniâ ei opus esse. Cùmque hi alacres cum immensis muneribus occurrissent: tu, inquit, jubes me constipando nummos invidiam atque odium provocare, mercenariisque custodibus fidere: At ego ditatos amicos thesauros mihi esse reor; custodesque tum mei, tum bonorum meorum longè fideliores conductis ad custodiam præsidiariis. Xenop. *lib.* 8. Quæ tamen hac in re cautio adhibenda sit, suo

loco

loco exposuimus. Nimirum amicitia illa ad privatæ, non publicæ vitæ & fortunæ consortium pertinere debet. Deinde tribuendum est beneficium à Principibus non tanquam auctoramentum servitutis, sed ut remuneratio fidei meritique. Sic idem ille ad Theodosium; *Ad exonerandam debentium verecundiam, quæ in tuos confers, non vis videri præstare, sed reddere.* Præterea *Nihil æquè amarum est*, inquit Sen. 2. *De Benef.* 5. *quàm diu pendêre, æquiore quidam animo ferunt præcidi spem suam, quàm trahi.* Meritò igitur Panegyristes: *Cujus est animi, nec vota hominum fatigare, nec adhibere muneribus artem difficultatis; sed denuntiare præstanda, ut & prolixior sit sensus bonorum, nec repentina felicitas faciat attonitos, & similes ingratis?* Denique debet non per ministros, sed coram ipse Princeps tribuere beneficia, præmia, honores. In hanc sententiam Seneca 2. *De Benef.* 4. *Repræsentanda*, inquit, *sunt beneficia: quæ à quibusdam accipere difficilius est, quàm impetrare. Hic rogandus est, ut admoneat; ille, ut sumat. Sic unum munus per multorum teritur manus, ex quo gratiæ minimum apud promittentem remanet: quia auctori detrahit, quisquis post illum rogandus est.* Jam & beneficia quædam sunt in totum populum, veluti in curanda annona, remittendis portoriis quibusdam, (vide Livium *lib.* 2.) aut tributorum reliquis, in solatium calamitatis alicujus ab hostili violentia, aut inclementia cœli, lue, tempestate & sterilitate sævientis. De hujusmodi liberalitate in Flavienses collata Orator eorum ad Constantinum: *Hoc nobis*, inquit, *est ista largitio, quod terra mater frugum, quod Jupiter Moderator aurarum: quicquid illi parciùs dederunt, nobis tamen ex beneficio tuo natum est. Non majoris muneris*, inquit, *est abs te accepisse: quinimò quanto est durius, extorqueri quod proprium fuerit, quàm non accepisse quod fuerit alienum 2. tanto dulcior est remissa solvendi necessitas, quàm lucrandi optata commoditas.* Ad beneficia in populum spectant quoque Congiaria in milites in auspicio imperii: Et valde improvidè Galba, qui illud Prætorianis negabat eo tempore, quo heredem imperii adoptabat: atque dum rigoris & parcimoniæ nimio studio aliquid indulgere abnuebat, occasionem dedit omne vinculum & disciplinæ & obsequii abrumpendi. *Constabat*, inquit Tacitus 1. *Hist. potuisse conciliari animos quantulâcumque parci senis liberalitate.* Cumque videret non alienatos tantum, sed & irritatos in se amicos isto tam rigidæ parcimoniæ exemplo, tunc demum ad congiarium dandum flecti cœpit: sed serò, ut ille ait, tunc adhibentur remedia, cum vulnus jam ad supremos halitus pervênit. De Antonio Plutarchus scribit, quod validum nascentis potentiæ ipsius fundamentum, & jam adultæ jamque etiam multis aliis labefactæ vitiis diuturnum munimentum fuerit liberalitas in milites amicosque. In hujus specimen refert, quòd cum ingentem quandam summam alicui donandam mandasset dispensatori, isque eam in medium protulisset, ostentans malignè Antonio magnitudinem: is tantundem jussit addi, dicens nescivisse se tantillum esse. Munificentia Principis in singulos salutaris curæ operæque in Rempublicam opinionem & amorem erga eum excitant, eundemque ferè ad modum, quo homines in amorem Numinis efficaciùs excitantur miraculis quibusdam, quæ huic aut illi salutem attulerunt, quàm communi illâ providentiâ, cui vitam & quicquid vitam chariorem facit debemus: quia illa admonitio istius sunt & testimonium. Salutaris Reipublicæ administratio ad beneficium quoque in singulos, fructu saltem tenus, pertingit: illa tamen quia officio imputatur, non validior ad vulgi benevolentiam est, quàm cura interim singulorum; quia ea excurrere ultra officii necessitudinem videtur, humanitatem-

que & modestiam lenis & civilis animi testificatur. Modus tamen esse debet, de quo postea cum de ærario disseremus. Et universè in popularis benevolentiæ studio dilectu judicioque opus, ut non ad gloriam (cujus cupiditas multos transversos egit) sed ad fidem rectèque agendi efficaciam referatur. Non præire Gloria debet & ducere (id quod virtuti competit) sed sequi. Etenim qui non Virtuti, sed Gloriæ velificantur, ii multitudinis imperitæ reverà servi sunt, nomine tenus tantùm Principes: haud aliter quàm proretæ, qui cùm ea quæ ante gubernatores sunt prospexêre, ad illos respiciunt, & eorum jussa exequuntur. Atque ut Ixion, inquit Plutarchus, Junonis amore vecors, & imagine ejus deceptus, cum nube concumbens Centauros procreasse dicitur: ita illi Gloriam virtutis umbram amplexi, nullum sincerum & salutare, sed multa adulterina & noxia edunt facinora, nunc his nunc illis cupiditatum æmulationumque turbinibus acti. Exemplo sunt Caius & Tiberius Gracci: qui cum gratiam populi deformi obsequio captarent, honoremque ejus erga ipsos ambitiosis decretis remunerari vellent, seipsos turbatâ Republicâ perdiderunt. Igitur quemadmodum Phocion Antipatro iniquum quid ab ipso postulanti, respondit, quòd non posset eundem amicum & adulatorem habere: ita multitudini respondendum, quod non possit eodem & duce & assectâ uti. Cęterum enim evenerit, quod fabula draconi accidisse memorat: nam cum in dissensione membrorum ejus inter ipsa convenisset, ut alternis cauda pręiret capiti; & ipsa improvidè ambulando offensa est, & caput malè affectum, dum cogitur obsequi cęcis surdisque partibus. Plutarchus in *Præfat. Agid.* Non Regum modò Principumque, sed & populi quidam adulatores sunt: ut in Athenienſi Republica Cleon & Hyperbolus: quibus rejectis, si veris amicis uti Niciâ ac Pericle maluisset, multas evasisset clades. Maxim. Tyr. *dissert.* 4. Sic igitur benevolentia populi quęrenda, ne auctoritas prostituatur, prodaturve publicum bonum. Exemplo erit Aristides, qui neque honoribus à populo delatis emolliebatur, neque infortuniis frangebatur; existimans, inquit Plutarchus in *vit. ejus.* boni civis esse, non bonorum tantum, sed existimationis quoque fructum publicæ saluti erogare. Inde potissimùm accidit, quod cum in theatro versus Æschyli de Amphiarao recitarentur hi,

Nam justus esse, non videri studet,
Sulcum profundum in mentis agro conserens
Consilia de quo germinant salubria;

omnes in Aristidem flexerunt oculos, qui omnem benevolentiam, gratiam, gloriam justitiæ submittebat. Est sanè ubi concedendum populo, ubi resistendum sit. Nam aliquando benignè indulgere expedit, quæ alioqui per vim exprimet; aliquando videndum verendumque, ne si prima concedantur, ut apud Livium est, non mitior fiat, sed superbior, atque alia ex aliis postulando iniquior. Aliquando & minora indulgenda, ut majora captentur. In hanc sententiam Velleius: *M. Livius Drusus in iis ipsis quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium; non intelligentem, si qua de plebis commodis ab ipso agerentur, veluti inescandæ inliciendæque multitudinis causa fieri: ut minoribus perceptis majora promitteret.* Sunt in hanc rem utilissima Plutarchi monita *in Polit. cap.* 56. *in fin.* & 57. 58. & 59. Jason, inquit, Thessalorum Tyrannus dictitabat; in minutis rebus ei justitiam esse negligendam, qui in magnis eam salvam vellet. Non rectè ille quidem: sed rectius dicemus, in minoribus rebus & levioribus erratis indulgendum conniivendumque esse, ut auctoritas refragandi castigandique cum operæ pretium erit integra sit, non obsoleta per assiduam intempestivamque morositatem, ut medicamentum quod continuo usu vim suam amittit: neve per acerbitatem pertinaciamque ad mu-

tuam

tuam contentionem contumaciamque populus exasperetur. Minuta sunt, si in ludos aut sacrificiorum pompam quid poscat: grandia, si novas tabulas, si exilium pœnamve immerentis, si occupationem bonorum locupletis, vel publicorum agrorum divisionem. Adhæc medicos imitari oportet, qui misso sanguine, permittunt ægro largiorem paulo victum: sic cùm refrænata populi licentia fuerit ruentis in noxia, indulgendum aliquid quod tolerabile est. Quomodo conjuratione Catilinæ oppressâ, cui multi de plebe favebant, intenti avidique in occasionem prædandi; persuasit Cato, ut largitio in tenuiores fieret. Præterea improba populi desideria ad aliquid honestius traducenda sunt: exemplo Demadis; administrabat is ærarium, petebatque ab eo populus pecuniam ad instruendas triremes, quas subsidio iis mitterent, qui ab Alexandro defecerant. Respondebat enim paratam se pecuniam habere ad Choas (solenne id sacrificium erat) quod si quisque in id erogare de suo vellet, daturum se quam poscebant in triremes pecuniam. Illi verò ab impensis refugientes, supersederunt noxio proposito irritandi in se Alexandrum. Simili flexu impediendi alii multitudinis noxiosi conatus sunt. Sic cùm populus Atheniensis alieno tempore irruptionem flagitaret in Boeotiam, edixit Phocion, ut à pubertate omnes ad usque sexagenarios sese sequerentur, & tumultuantibus senioribus; nihil se iniquè statuere dixit, quippe se Ducem futurum octogenarium. Eundem ad modum distinendæ legationes intempestivæ, allectis ad id muneris, qui imparati sunt; inutilesque apparatus inhibendi, mandando ut in eos pecuniam conferant qui eos flagitant aut suadent; & judicia indecora, jubendo suasores unà interesse: atque ita in reliquis de eodem genere. Plerumque enim promptissimi ad suadendum incitandumque, qui ignavissimi ad exequendum. Atque ita multitudinis erga Rectores benevolentia retinetur, dum conatus suos ipsa impedit.

CAPUT IV.

Arcana Regni Successorii.

Venio nunc ad propria singulis Reip. formis arcana: & inprimis ad regnum successione partum, in cujus certè tutelam securitatemque exigua arte opus; quippe quod jam diuturnitate radices egit, æmulosque vix habet. Nam & procerum æmulatio erga eum quiescit, quem regno natum, nunquam sibi æqualem viderunt; & populi obsequium promptius in eum rectorem, quem natalium sorte ut parentem æstimant; denique & militum longo domus regiæ Sacramento imbutorum fides constantior. Pauca igitur arcana; & præcipuum est, custodire religiosè instituta antiqua: nam illorum innovatio illam dignationem antiquitatis abolere videtur. Certè in initio refugiendum ab omni innovatione. Atque in hujus rei fidem & pignus Princeps debet antecessoris sui amicos, ministros, consiliarios retinere: & aversari adulatores qui novi Principis imperitia confisi, illos criminando sese insinuare, iisque exclusis in gratiam dignationemque irrepere conantur. Hac potissimum impostura in vitia omnia & exitium præcipitatus Commodus fuit; repudiatis fidelissimis optimisque amicis & adjutoribus parentis sui Marci Aurelii, qui suprema voce iis illum commendaverat; cui si potius, quàm assentatoribus acquievisset, feliciter imperare potuisset. Herodian. *lib.* 1. & Xiphilinus. De Ludovico XI. Comminæus memorat, quod pessimo consilio amicos consiliariosque parentis, qui optimi regiminis gloriam consecutus erat, gratiæ & dignitatis gradu dejecerit; eventu tamen redarguente errorem, laudandâ pœnitentiâ eos restituit. Planè si antecessoris imperium invisum aut infame fuit, ministri ejus & consiliarii removendi sunt, ut mitiora omnia magisque decora sperentur: exemplo Alexandri Severi, qui Heliogabalo homini flagi-

flagitiosissimo succedens, exauctoravit omnes, quos ille, similitudinem morum secutus, in consiliis ministeriisque habuerat. Quod si iidem vel instinctores vel administri scelerum fuerunt, non alia gratiore victima, quàm eorum cæde, propitiari populus potest. Hujus arcani negligentia inter causas exitii Galbæ Plutarchus refert. Junius, inquit, dedecorabat Galbæ imperium, privato affectu impediens quæ ille ad egregium publicum moliebatur. Cujus generis est, quod cum Galba Neronianos emissarios necari juberet, Eleum, Policletum, Petinum, Patrobium, populusque iis ad supplicium ductis gaudium plausu testaretur, & acceptamque Diis pompam, & simul occidendum Tigellinum clamaret, tanquam illorum coryphæum, magistrumque penes Neronem Tyrannidis: is T. Junii intercessione servatus sit. Et quia Turpilianum Galba occiderat, non aliam ob causam, quàm quòd Neronem non deseruisset: summa cum indignatione accepit populus, quam omnibus in theatris & circis expressit, quòd servaretur Tigellinus, qui ita scelerum societate corruperat Neronem, ut dignus deseri esset, & ipse prodiderat. Unde *non alium*, inquit Tacitus, *pertinaciùs ad pœnam flagitavêre, diverso affectu, quibus odium Neronis inerat, & quibus desiderium*. Quod si antecessor violatus cæsusve fuit, etiamsi ob crudelitatem injustitiamque, vindicari debet: ne ullo pacto animis hominum adhærescat opinio, divinam Regum stirpem humanâ audaciâ lædi posse. Sic Vitellius illos qui Galbam occiderant, conquiri jussit & interfici, non illius honore, sed *traditâ Principibus more* (inquit Tacitus) *munimentum ad præsens in posterum ultione*. Tantundem Julianus constituit in percussores Pertinacis. Atque etiam latiùs hoc Arcanum patet: nam generatim censente Tragico,

Tuenda Regibus maximè est Regum salus.

Sic Darius scelere Bessi ad mortem adflictus, supremâ voce ultionem per internuntium mandabat Alexandro, *Quam non solùm suâ, sed exempli omniumque Regum causâ, non negligere, illi cùm decorum, tum utile futurum*. Curt. *lib.* 5. Et Alexander executus est, quamvis hostis: imò quamvis paulò antè Darius mille talenta ei promiserat, qui Alexandrum occidisset. Denique ad hæc arcana pertinet, ne Principatus in plures successores dividatur: inprimisque destinandus certus successor, sanguinis vel adoptionis jure. Nam ut Curtius ait *lib.* 10. sine certo Regis herede, & successore Regni, publicas vires ad se quisque tracturus est: orieturque facilè conversio status. Sic olim Caroli Magni stirpe exstinctâ, cùm postremus Germanorum Rex neminem adoptasset; Respublica momento devoluta est ad 54 imperii Proceres. Longobardi quoque mortuo sine legitimo herede Clephonio, in popularem statum lapsi sunt. In Polonia, postquam stirps Leci defecisset, Comitiis de constituenda Republica habitis, ea in potestatem concessit 12. Palatinorum: & rursum finito Craci stemmate, ad similem Oligarchiam eâdem occasione revoluti sunt. Adhæc destinatione certi successoris pravæ aliorum spes cohibentur; inquit Tacitus, memorans quòd Augustus non contentus adoptione Tiberii, caverit ut is Germanicum sibi adoptaret, quo pluribus munimentis insisteret. Itaque ad ipsius Regis securitatem id facit: conqueriturque apud Curtium Alexander, quòd sine liberis erat, Orbitatem suam sperni. Hoc tamen ne frustra sit, aut in contrarium vertat, observandum est, duobus vel pluribus in spem successionis erectis, ut neuter nuncupetur, nisi altero (quà licet) in ordinem redacto. Cæterùm enim tam flagranti cupiditate fraudati indignatione in eligentem, æmulatione in prælatum, metu quoque ex utroque ad desperationem & inde audaciam turbandæ Reipublicæ facilè consternentur. Reprehenditur hac in parte non medio-

mediocriter Galba, quòd Pisonem adoptaverit, non antè enervato Othone, quem vota & fama ad successionem imperii ferebant: constititque id & Galbæ & Pisonis exitio. Idem eventus fuit cum Chosroes Medarsæ regnum tradidit, temerè rejecto nec dejecto prius Sytoe competitore. Callidiùs Augustus, qui antequam Caium & Lucium ad spem imperii extolleret, Tiberium Rhodum ablegavit: & post illorum excessum isto destinato, Agrippam Posthumum in exilium egit. Ipse Tiberius inter Germanicum Drusumque diu judicium sustinuit. Nam utrique suæ causæ erant, utrique suus favor; in Drusum patris; in Germanicum populi, cujus studia incitabat alienatio Tiberii avunculi ejus. Sed ille, ut consilio validus erat, veritus offendere populum, si filium prætulisset; veritusque hunc debilitare, si alterum populo ostentans magis insinuaret famę & favori, eum administrationebellorum distinuit, & morte demum ejus compertâ, Drusum nominavit. Philippus Macedoniæ Rex Perseum & Demetrium filios habebat; illum ætate majorem, verùm non legitimum, istum minorem sed ex conjuge. Illi successione regni destinatâ, alterum prius attenuavit. De Ptolemeo pariter Justin. scribit, quod cum filium minorem magis amaret, in ejus favorem suffragationemque populum pellexerit, sed cum antè spes aliorum clanculum infregisset.

CAPUT V.

Arcana regni Novi; itemque Electivi.

Novum regnum appello, quod bello & vi acquisitum est; sive justâ, sive injustâ: quod multis insidiis subjectum est, subditis crudâ nec adsuetâ cervice jugum detrectantibus, in occasionemque ejus excutiendi intentis. Atque hoc obtinet libertate oppressâ, & Repub. in Monarchiam mutatâ. Sed & idem fere evenit circa eos, qui in adsuetos quidem regio nomini, sed præter jus imperium invaserunt. Sic Livius Tarquinium scribit, *primores patrum quos Servii rebus favisse credebat, interfecisse: conscius deinde malè quærendi regni adversus se à seipso exemplum capi posse, armatis corpus circumsepsit. Neque enim ad jus regni quicquam præter vim habebat: ut qui neque populi jussu, neque auctoribus patribus regnaret. Eò accedebat, ut in caritate civium nihil spei reponenti, metu regnum tutandum esset: quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solus exercebat: perque eam causam, occidere, in exilium agere, bonis mulctare poterat, non suspectos modò aut invisos, sed unde nihil aliud quàm prædam sperare posset. Ita patrum præcipuè numero imminuto, statuit nullos in patres legere, quò contemptior paucitate ipsâ ordo esset, minusque per se nihil agi indignarentur. Hic enim Regum primus traditum à prioribus morem de omnibus Senatum consulendi solvit: Domesticis consiliis Rempub. administravit: bellum, pacem, fœdera, societates per se ipse cum quibus voluit, injussu populi ac Senatus, fecit, diremitque. Latinorum sibi maximè gentem conciliabat, ut peregrinis quoque opibus tutior inter cives esset.* Hactenus Livius, egregiè describens Arcana vel flagitia potiùs tyrannidis, id est dominationis contra fas occupatæ: ex quibus apparet, quàm verè dictum sit: *Nemo imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuit.* Tacit. 1. *Hist.* Nam ex conscientia sceleris, metus oritur, in remedium metus terror quæritur; & ad dispergendum terrorem crudelitas adhibetur, justitiæ imagine velata (quomodo Taeito Tiberius callidi & novi juris repertor dicitur) Nam ut Tragicus ait, *Quod civibus tenere invitis sentias, strictus tuetur ensis.* Sic compositi, non superbiâ tantum, sed diffidentiâ peregrinos civibus in

amicitiæ præferunt, & custodiâ corporis; civiumque consensionem inter ipsos jaciendis suspicionum discordiarumque seminibus divellunt, collegiaque eodem fine tollunt: neve ab aula distinguatur Respub. omnia sine auctoritate Senatus agunt: hac enim ratione vim summamque imperii firmiùs sibi adstringi opinantur. Tiberius post mortem Augusti relegatum ab eo Agrippam Posthumum, ut imperii æmulum, per Centurionem occiderat: cui tamen renuntianti, factum quod imperasset; neque imperasse, respondit, & facti rationem apud Senatum reddendam esse. Quod postquam Crispus arcanorum particeps intellexit, Liviam subornavit, ne secreta domûs, consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur; neve Tiberius vim Principatûs resolveret, cuncta ad Senatum referendo. Tacitus 1. *Annal* Hæc talia arcana sunt dominationis per vim aut fraudem usurpatæ: quæ Politica non in imitationem tradit (scelerata enim sunt, & infida securitatis munimenta) sed in cautionem. Illud unum de custodia per armatos probari potest: quod consilii Pansa & Hirtius Julio Cæsari dederant: Velleius. *lib.* 2. quo ille neglecto, dimissisque à tutela corporis sui Prætorianis, occasionem inimicis in necem suam patefecit. Debuisset certè imperium armis quæsitum, armis defendere. Sed ut ad Arcana Imperii bello justo occupati transeamus: Ex Taciti scito, *quædam vi tractanda sunt, quo cæteris quies sit.* sed non nisi necessariò, & justè. In reliquum Taciti aliud effatum obtineat: *Novum imperium inchoantibus utilem esse Clementiæ famam.* Ita Rex Macedonum apud Livium *lib* 42. ait: *Non quia probaret, sed quia in nova possessione regni parienda omnia essent, passum.* Exemplum D. Augusti pro præcepto sit, qui scribente Tranquillo, *omnimodò nixus est, ne quem novi status pœniteret:* atque ut plures administrandæ Reipub. participes esse viderentur, nova officia excogitavit: nam qui magnis animis aut claris natalibus subnixi prorsus ab administrationis omni parte removentur, mutatum Reipublicæ statum cupiunt, in occasionem rerum novarum erecti. Tiberius quoque, quamvis aliàs rigidus, pluribus clarissimarum familiarum reliquiis, cum inopia jam luctantibus, annua ex publico constituit: ut nimirum generosis animis, mutatione temporum à veteri dignatione declinantibus, desiderium eximeret veteris Reipublicæ, in qua majores suos florentes beatosque meminerant. Huc pertinet quoque Germanici benigna calliditas, qui Cappadociâ in formam provinciæ redactâ, quędam ex solitis sub Rege tributis imminuit: quò, interpretante Tacito, mitius Romanum Imperium speraretur. Hęc talia non utilia tantùm, sed recta sunt, utcunque simulatione aliquâ obliquati videntur: quippe in divinis quoque litteris probata. Seniores enim, 3. *Reg.* 12. Roboæ auspicanti Imperium consulebant in hunc modum: *Si hodie fueris servus populo huic, servierisque ei, & locutus fueris ei bona verba: erunt tibi servi omnibus diebus.* Similiter Tacitus explicans quam comiter & benignè in auspicio principatus Otho se gesserit, *& omnia,* (addit,) *serviliter pro dominatione.* Porro inter hæc arcana est, attendere ne aliquis affinitatibus vel largitionibus gratiam potentiamque nimiam colligat. Cic. ad *Attic. lib.* 2. *ep.* 17. & Livius *lib.* 4. Inter consilia astusque Othonis imperium adfectantis refert Tacitus 1. *histor.* quod ejus nomine Mevius *Pudens per speciem convivii, quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti, viritim centenos nummos divideret: quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos præmiis intendebat.* Itaque Verus M. Antoninum Imperatorem monebat, ne talem inter procinctos haberet, quem milites libenter audiunt, libenter vident. Adeoque SC.to Claudiano cautum erat, ne

milites

milites salutandi causâ domos senatorias adirent. Cum Cyaxares Medorum Rex in auxilium belli adversus Assyrios accivisset Cyrum, isque non modò repulisset hostem, sed jam ultro lacesseret & adfligeret, domi desidente Cyaxare, Medis autem avidissimè Cyrum sequentibus: Rex æmulatione anxius, inter alia hæc dixit Cyro deprecanti suspicionem culpamque, & beneficia memoranti. Si quis, Cyre, uxorem tuam tibi obsequiis ita conciliasset, ut se magis, quàm te amaret: idne tandem beneficium, an injuriam æstimares; etiamsi particeps fieres munerum quibus ille uxorem tuam demereretur? Xenoph. *lib. 5. De inst. Cyri.* Cùm Junius Gallio in Senatu, improvidâ adulatione, atque in honorem (ut rebatur) Tiberii, censuisset, ut Prætoriani auctis stipendiis, jus sedendi in quatuordecim ordinibus adipiscerentur; acerbè à Tiberio perstrictus fuit: *Quid illi cum militibus, quos neque dicta, nisi Imperatoris; neque præmia, nisi ab Imperatore accipere par esset?* Aversabatur nimirum exemplum quo privatus aliquis militum animos demereretur. Jam cautio non absimilis majorque adhibenda adversus ipsos Duces exercitûs: quos proinde aliqui exteros, quàm indigenas probant. Mecenas Augusto suadebat, ut non ex patritiis, sed ex equestri ordine Præfectum Prætorii eligeret: ne Nobilitate animos erigente, & potestate simul (quæ ab Imperatore secunda erat) augente vires; ipsum fastigium imperii concupiscat attentetque. Adeoque cum is Præfectus ex vitis militiæ spectatis eligi soleret, posterioribus Principibus magis placuerunt Jurisconsulti: quia hi studiis mitigati, & pacis tantum artibus freti, minùs suspecti improbæ & immanis cupiditatis videbantur, quàm militari gloriâ spirituque inflati. Cùm stante Republica Consul in provinciam quam sortitus erat, à deposito Consulatu statim proficisceretur: Augustus interponi quinquennii moras voluit, ut interim in privatæ vitæ otio exspiraret ferociam insolentiamque si quam ex Magistratus istius amplitudine conceperat. Non tantum Democratiæ, sed reliquis quoque statibus inprimis Regno novo aut aliàs lubrico congruit arcanum Periclis monitum, ut præcipuæ nobilitatis, & concitati ingenii juvenes refrenentur: nimio verò favore & profusâ indulgentiâ pasti, quo minùs potentiam obtineant, ne impediantur: ne si lacessantur, ad præcipitia impellantur consilia. Quid igitur? paulatim & circumductione quadam in planum demittendi potius sunt, quàm dejiciendi. Et quomodo? ablegabuntur in bellum, sed citò revocabuntur, idque aut specie minuendæ molestiæ, aut offerendo urbanum Magistratum, sed non nisi præsenti capessendum. Id Tiberius adversus Germanicum usurpavit, offerendo consulatum cujus munia præsens obiret: quò eum à cursu victoriarum abstraheret. Quod verò quidam adjiciunt, eos quorum potentia & excelsi animi ardor suspectus est, matrimonio illigandos: id parvi momenti vel ambigui puto: nam ut conjugis liberorumque charitas revocare à præcipitibus consiliis potest; ita ad majorem claritudinis opumque cupiditatem incitare. Adeoque matrimonium sæpe, ut Tacitus ait, ad majora nitentibus decus ac robur fuit: quemadmodum inter arcana eorum qui dominationem invaserunt censetur, matrimonio cum regia stirpe contracto potentiam stabilire. Quidam arcanis regni novi adjiciunt, ut si id æmulatione nobilium infestum sit, adversus eos plebs defendatur; & ex adverso si plebei statum aversantur, contra eos nobilitas foveatur; vel serenda dissidia esse dicunt, quibus conspiratio ipsorum inhibeatur. Sed hic præcipuè videndum puto, ne remedium ipso periculosius morbo usurpetur: quid enim ad Reipub. exitium propensius præcipitiusque discordiis, factionibus, seditionibus? Arcana quæ explicui ad quodcunque regnum malefidum pertinent;

tinent; atque ita ſępe quoque ad electum Regem. Contra quem viciſſim Ordines arcanum habent, ne temerè ex eadem familia continuata ſerie Reges eligant: alioqui enim ea diuturnitate in ſuperbiam mutans, opibuſque ſupra modum aucta, familiare jam imperium ut hereditarium in perpetuum ſibi facilè aſſeruerit.

CAPUT VI.

Arcana Optimatum.

SEcuritas Optimatum diuturnitaſque Ariſtocratiæ inde potiſſimum pendet, ut nomini ſuo reſpondeant; & meritis juſtitiæ & ſapientiæ magis, quàm opibus & ſtemmate cenſeantur. Sic enim Lacedæmone inſtituti Optimates 500. per annos ſtatum ſuum tueri potuerunt. Alioqui enim tenuioribus impotentes aſſiduum, ſtimulante hinc invidia inde contumelia eſſe odium ſolet; quod in diſſidia & bella facilè exardeſcet. Sapienter hac in parte Patritii Veneti, qui ut plebem ſecum & cum Repubĺ. magis magiſque connectant, cum locupletioribus plebeis connubia uſurpant; aliter atque Lege Decemvirali Romæ cautum erat, de qua aliàs egimus. Itaque id agendum, ne Plebs vel privatim, vel publicè ab optimatibus injuriis contumeliiſve exaſperetur: utque ipſi inter ſeſe quàm ſanctiſſimè concordiam colant. Non alii enim ſtatui majus à factionibus diſcrimen imminet, quàm Ariſtocratiæ. Unde huic quoque contrarium creditur ſtudium militare. Si enim Optimates armis exerceantur, facilè unus aliquis militari gloria & ſpiritu elatus, & exercitui gratus, imperium affectabit. Adeoque Veneti domum revocare ſolent eum, qui ex Patriiis ſub extero Principe ſtipendia faciendo bellicis artibus inclareſcit. Quod ſi plebs bello miſcetur; fit ferocior, imperiique impatientior, vel potius imperii cupidior. Nec minus diſcrimen, ſi externo milite & duce bellatur: nam exteri illi, cùm omne in ipſis militiæ momentum eſt, ſuis ferè ſtabilire occultè Imperium ſolent. Deinde ſi Optimates infeliciter rem geſſerint, ſolet in eos inſurgere imperiumque invadere plebs: quippe cui familiare eſt, fortunæ lapſus vitio Ducum adſcibere. Quemadmodum viciſſim ſæpè vertentis in Ariſtocratiam Democratiæ origo exſtitit, inſignis accepta à plebe clades. Ea enim nunquam ſedatiùs Rectores patitur, proniùſque admittit, quàm cùm rem improſperè geſſit: quemadmodum ex adverſo nullum vehementius audaciæ furoriſque plebei Jura Magiſtratuſque adſpernantis incitamentum eſt, quàm victoria ab ipſis parta. Nimitum vulgus utrimque immodicum; quàmque abjectè ſeſe adflictat in adverſis, tam inſolenter proſperis effertur. Hæc cum ita ſint, Veneti quamvis olim re militari floruerunt, clariſſimaſque de Genuenſibus victorias retulerunt, quia tamen inde factionibus agitabantur, inſtituerunt deinceps *Res externas*, ut Tacitus ait, *aſtu & conſiliis moliri, arma procul habere*. Atque ita Bodinus cenſet. De quo tamen non immeritò quis addubitet in Ariſtocratia admodum potente & patente latiùs: non enim hanc à factionibus vindicatura videtur Pax foris immota, intermiſſumque omne militiæ certamen. Etenim, ut egregiè Livius *lib.* 30., *Nulla magna civitas quieſcere diu poteſt: ſi foris hoſtem non habet, domi inveniet.* Ideòque Romani in domeſticarum turbarum remedium uti bello ſolebant: Exemplo, inquit Plutarchus *in Camillo*, Medicorum, qui ea quæ ciendis in corpore tumultibus faciunt, foras avertunt. Arcanum denique hujus ſtatus eſt, curare ne inclytæ illæ familiæ quæ rerum potiuntur deficiant ſublectis ſubinde aliis in ampliſſimum illum ordinem; tum ne potentia minuatur Patritiorum, tum ne Reſpublica ad nimis paucos perveniat. Quin etiam id in Principatu locum habet. Sic Tacitus de Claudio: *Iiſdem diebus in numerum Patriti-*

tritiorum adſcivit Cæſar vetuſtiſſimum quemque de Senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant; exhauſtis etiam quas Dictator Cæſar Lege Caſſiâ, & Princeps Auguſtus Lege Seniâ ſublegêre.

CAPUT VII.

Arcana Democratiæ.

DEmocraticus ſtatus omnium maximè diſſolubilis eſt: quamvis Reſpublica animal immortale dicitur. Inter conſilia ejus conſervandi, abditasque artes quibus ſumma imperii populo adſtringitur, eſt, Ariſtotele præeunte, legibus conſtituere ſalaria plebeis concionantibus, in Concilium venientibus, judicia exercentibus: Nobilibus verò concedere judicandi, ſuffragia ferendi, arma & gymnaſia colendi vacationem. Arcanum verò melius eſt id agere, ut Populus *maximè Legibus, minùs Oratoribus auſcultet*: in quo Chilon hujus ſtatûs firmamentum putat. Et ſanè inter precipuas ejus corruptelas eſt concionum illa licentia, & Oratorum auctoritas. Adeóque generatim enitendum eſt, ut Populus, quaſi vitium ſuarum ignarus, ſupremam poteſtatem deferat legibus: atque hoc adſpectu Bias apud *Plutarchum in Conviv.* optimam Democratiam pronuntiat, *ubi lex inſtar Tyranni formidatur.* Cleobulus quidem iſtum Populum optimè compoſitum dicebat, qui *infamiam magis, quàm legem metuat.* Sed hæc rara in vulgo modeſtia eſt: cui non ex pudore & averſatione turpitudinis metûs eſt offendendi; ſed ex metu pœnarum demum verecundia oritur & deteſtatio flagitiorum. Igitur in hoc ſtatu opus eſt ſeverâ delictorum coërcitione: ceterùm enim libertas erumpit in effrænem diſſolutamque licentiam, tranſiturque lubrico greſſu in Anarchiam. Nulla autem tempeſtas ſævior, nullum concitatius mare, nulla denique fera truculentior, quàm Populus immoderatâ libertate exultans. Etenim licentia, ut Poëta ait, luxum ſuadet; luxus, contumeliam; inde diſcordiæ & ſeditiones. In hunc ſenſum Pytagoras dixit apud Stobæum *Serm.* 42. Primò luxuriam inſinuare ſe civitati, inde ſaturitatem, poſtea contumeliam, denique exitium. Proprium namque populi, ex æquo legum & dominationis vinculis exſoluti; effræni impetu in luxum profuſionemque ruere: inde verò æs alienum, & communicandi, id eſt confundendi omnia libido. Thales rectè eam civitatem feliciſſimam putabat, *ubi cives neque prædivites, neque admodum pauperes exiſtunt.* Ex divitiis enim otium, luxus, & reliqua quæ dixi mala: ex paupertate nimia, preter alia, iſtud exiſtit, quod tenuiores potenti alicui callidè eos demerenti obnoxii, illum cervicibus ſuis imponunt. Unde in hoc ſtatu vel præcipuè ſatagendum Senatui, *ne*, ut Tacitus ait, *plebs acri annonâ fatigetur.* Notum enim, qui Romæ hac occaſione uſi, prebendi privatim frumenti liberalitate populum ineſcavere, ut ipſo adjutore imperium occuparent. Hinc etiam adversùs præpotentes, imò conſpicuis virtutibus gratioſos venerandoſq; in vulgus, uſurpatos oſtraciſmos legimus: quod quidam non iniquum putant, exemplo Medicorum, qui venæ ſectione multum etiam probi ſanguinis exhauriunt. Nec diſſentire Seneca videtur *Ep.* 86. laudans Scipionem, qui potentiâ civitati gravis, jam ut ſuſpectus, eam exoneravit, in exilium concedens, ne libertatem premeret. Verùm quid de hoc arcano ſentirem in 2. libro expoſui. Et ſanè non poteſt non iniquus Oſtraciſmus eſſe adversùs eos qui tantùm virtutis præſtantiâ eam quam Democratia colit equabilitatem excedunt. Rectè enim Anacharſis eam Rempub. optimam dixit, *In qua cùm reliqua æqualia exiſtimantur, Virtus tamen potior, vitio deterior conditio deferatur.* Itaque Virtute eminentes, utcunque reliquę prærogativę negligantur,

creandi Magistratus sunt: meritòque Pittacus illam laudavit Democratiam, *In qua malis imperare non licet*. Atque hoc magis probo, quàm quod quidam pro Arcano venditant, ut ingenia popularia ab Aristocraticis exactè discernantur, illisque potissimùm imperia mandentur. Nam Romæ olim qui maximè plebi favere visi, ut Julius Cæsar, pejùs & libertatem & Rempublicam adflixerunt, quàm qui contra licentiam plebis à partibus Primorum stabant. Atque de Sapientum dictis quæ sparsim recitavimus, ita censebat Periander: Concurrere ea omnia in commendationem ejus Democratiæ, quę Optimatum gubernationi simillima sit. Populare enim imperium quanto magis augetur, tanto magis dissolvitur: nam ubi omnes imperant, nemo paret, nomine tenus tantùm est imperium. Jam præcipuum & in hoc statu est, non divellere commoda civium, sed pari æquitate omnes complecti, atque ita concordiam fovere, quæ Democratiæ firmissimum vinculum est. Atque hoc adspectu solidissimam Democratiam Solon adfirmabat, *Ubi injuriæ auctorem non minore indignatione ad pœnam urgent quos propriè illa non contingit, quàm ii quos læsit.* Etenim injuriæ quæ Judiciorum auctoritate & publicâ ultione in Democratia non refrænantur, per talionis vices latissimè vagantur, & in seditiones sępè erumpunt: quæ populi conversionem status quasi parturientis dolores sunt. Denique quædam huic cum aliis statibus Reipublicæ communia arcana sunt: veluti Magistratus magnos non debere esse diuturnos, ut quibus non potest Juris, temporis modus præscribatur, ecu Livius ait. M. Rutilius Censorinus iterum creatus Censor, populum pro concione acri oratione increpabat, quòd bis sibi eam potestatem mandavissent, cujus Majores tempus arctandum existimaverant, quia nimia esset. Atque eodem illo censente, lata lex fuit, ne cui bis eundem ambire Magistratum liceret. Romanæ libertatis retinaculum diu fuit in imperio vel potius auctoritate Tribunorum plebis. Quibus abnoctare extra urbem non licebat, ne defensoribus unquam plebs destitueretur: ideoque & fores ipsorum semper patebant. Ipsi verò ante fores curiæ excubabant, decreta Patrum aut comprobaturi, aut sua intercessione inhibituri. Potestas illorum nunquam cessabat. Jus quoque prehendendi habebant illos qui populo injuriam inferebant. Sed crebres quoque & grandes ab iis turbæ seditionesque.

CAPUT VIII.

Arcana Status mixti.

Paucula adhuc de artibus conservandi status mixti dicere placuit: nam de ejus constitutione separatim quoque egimus, & omnibus aliis opportuniorem laudabilioremque ostendimus. In qua sententia magni & olim fuêre viri, veluti (ut Platonem nunc omittam) Architas Pythagoręus apud Stob. *Ser.* 43. Oportet sanè, inquit, ut tum Lex tum Resp. quæ excellere possint, ex omnibus Rerumpub. formis contemperentur: ut & Democraticum aliquid & Oligarchicum & Regium & Optimatum in Republ. insit. Exemplo laudatissimæ Lacedæmoniorum civitatis: in qua Monarchiæ aliquid in Regibus, Aristocratię in Senioribus, Oligarchiæ in Ephoris, Democratiæ denique in Hyppagretis conspiciebatur. Sic enim non egregia tantum, sed firma Respubl. erat cum singulis partibus opponeretur aliquod quasi fulcrum & repagulum; Regibus nempe Ephori; his seniores: medii verò sunt Hyppagretæ. Plutarchus verò *in Lycurg* sic tradit. Cum Respubl. Lacedęmoniorum fluctuaret, ut modò penes Reges in Tyrannidem, modò penes populum, in ochlocratiam exerraret; Senatu, quasi munitione quadam interjecto, æquo momento utrimque divisa, firmissimo ordine composita est: Senatu in eo adsiduè Regibus admi-

adminiculante, ne ad populum summa rerum deferatur; & vicissim juvante populum ne tyrannide premarur. Cum autem adhucmodum per Lycurgum Republicâ temperatâ, posteri animadverterent paucorum potentiam adhuc turgidiorem, ut Plato ait, ferocire; Ephororum imperium freni loco ei adjecerunt. Ex his apparet, ipsam illam rationem miscendi status remedium esse formæ Reipublicæ degeneranti. Sed ipse mixtus status ne dissolvatur, sua quædam arcana habet: veluti ut Ordines (sic enim hodie Ephoros illos Senatoresque appellamus) & possint, & sciant, & velint Reipublicæ consulere; allectis in id concilium potentiâ, prudentiâ, libertate eximiis. Potentia in eo spectatur, si suis opibus & natalium claritudine nixi, non stipendio aut munere peculiari ex nutu Principis pendent: sic enim pariter libertati consulitur, remotâ Adulatione, & secretorum enuntiatione. Prudentia in eo præcipuè cernitur, ut formæ Reipubl. ejusque institutorum & privilegiorum exactè periti sint. Ex adverso enim ubi inter Ordines sunt viles inopesque, qui privatum bonum publico anteponunt, qui liberè quod è Repub, sit dicere formident, qui in hanc aut illam sententiam redimi & subornari facilè possint; ubi Principi & Aulæ obnoxii, vel in occasionem illam demerendi per pravam ambitionem, adulatione aut consultorum evulgatione compositi; ubi negligentes rudesque & hebetes: istic levi momento contemperatio Reipub. dissolvitur, ita ut solo nomine tenus maneat: id quod ad illa quæ Reip. Simulacra dicuntur pertinet.

CAPUT IX,

De Simulacris Imperii.

EFfatum Aristot. est, eum Reip. statum quàm maximè esse diuturnum atque perennare; quem omnia civitatis membra diligunt. Idemque docuit; eum civitatis ordinem tantùm non hostilem esse, qui imperii planè est expers. Itaque inventa sunt quædam imperii simulacra, umbram dico & inanem speciem quæ populo à gubernatoribus, indulgentur, ut iis acquiescat, existimans sese habere quod non habet. Quam externam speciem viri magni volentes concedant, contenti rebus ipsis, & vi imperii: quo nomine à Guicciard. laudatur Aloisius II. Francorum Rex. Magnorum certè Gubernatorum est, fumosum fastum remittere, ipsam verò imperii Majestatem sibi firmare. Potissimùm autem statim à commutato Reip. statu neglectio talium est periculosa. Itaque Jul. Cæsar, inexpiabilem sibi invidiam commovit, inquit Tranquil. quod adeuntes se cum honorificentissimis decretis Patres sedens excepit, neque assurrexit. Sed quàm Augustus diversus fuit? qui & veniens in Senatum & discedens, singulis salutem nominatim memoriterque, citra nomenclatorem, & stans quidem sedentibus reddidit. Tiberius etiam imaginem pristinæ Reip. introduxit, & Senatui Majestate, & Magistratibus auctoritate specie tenus salvis. Huc pertinet, quod Domini appellationem tam acriter repudiavit; principis amplexus: quod nomen etiam veteri Resp. cognitum & receptum. In quo secutus Augustum fuit. Sed & Duces, rebus militiæ feliciter gestis, Imperatorio nomine cohonestavere. Atque adeò observatum, *Cæsaris* nomen in orationibus post *Patres Conscriptos* solitum efferri. Philippus Macedo devictâ Græciâ, Ducem se, non Regem professus est: quemadmodum & Alexandri successores tamdiu Regio nomine abstinuerunt, quamdiu quispiam ex stirpe illius parvulus superfuit. Sed ad Tiberium: referebat ille omnia ad Senatum, per Consules ipsum consultans: permittebat dissentientium altercationes, increpabat verò multa ad se rejicientem. Comitiorum jus à plebe translatum, cum illo est partitus: quod Augustus plebi reliquerat, exceptâ Consulum creatione, quam cum Senatu pariter divise-

diviserat. Minorum enim Magistratuum creationem permittere, ad hæc simulacra pertinet; non majorum: uti & absolvendi potestatem largiri, non condemnandi. Intellige autem sive plebs rerum potita id divitibus aut nobilibus concedat; sive contra Optimates aut Rex plebi: veluti, ut ad ipsam referatur de iis, quæ postmodum ab illis auctoritate necessaria fulciantur; sive etiam de rebus jam decretis. Huc pertinet, plebi quęstuosa, sed non summi momenti munera commendare: collegiis opificum decreta condendi jus largiri, servare: mercatoribus ex suo corpore judicem constituere in controversias negotiationum, fas esse. Item victis linguam, habitum, leges (sed privatarum rerum) pristinas relinquere; interdumque & libertatem religionis. Talia sunt illa quæ de Vologese narrat Tacitus, à senatu ipsum petiisse, fratris Tiridatis nomine, à Corbulone victi, ut ferro liceret accingi (persarum is mos, qui perpetuò cincti) ne provincias obtinentium foribus assisteret, neve amplexu arcere tur, atque Romæ Consulum (inane ferè id tunc nomen) honore frueretur. Concessa verò omnia lubenter. Ubi Tacitus: *Nimirum externæ superbiæ sueto, non erat notitia nostri: apud quos jus imperii valet, inania transmittuntur.* Eodem pertinet, ludos & varia spectacula plebi indulgêre, annonam curare, portoria & tributa levare, voluptatibus vulgi publicis civiliter misceri, quod August. fecit, Tiberius omisit. Humaniter compellare, salutare, invitare plebem. Linguæ maledicentiam in regentes aut regimen non punire, ad levia delicta connivêre. Interim summi imperii vis, & jura Majestatis adstringi debent potentibus rerum: reliquis umbra concedenda. Et quidem hæc simulacra non mutant proinde Reip. formam: etsi eam iis intendi aut remitti, quidam existimant, prout crebriora, aut rariora.

CAPUT X.

De Arcanis adversus Vicinos.

ET illa quidem domi Arcana vigent: sunt & alia quæ foris & adversus vicinos valent. Et communiter quidem simplicissimum & utilissimum institutum est, id agere, ut vicini inter ipsos pacem & concordiam colant: levibus enim momentis finitimi bellorum aut seditionum incendii transilire scintillæ solent. Verumtamen si Vicini formidolosi sunt, jam antiquitùs usitatus astus est, semina inter illos discordiarum jacere aut fovere, quibus distringentibus domi animos, divellentibusque consensum & vires, ab externo bello refugiant. Verùm hoc Arcanum, ut extremâ execratione in Sacris Litteris damnatum, *Prov. 6.* ita sæpè anceps est, non minùs notâ ex adverso arte supprimendi domestica diffidia externum per terrorem, lacessitoque bello, cujus commune periculum consensu profligetur. Ergo non nisi summâ necessitate & ratione hoc Arcanum usurpetur; in nocentes nimirum, & à quorum conspiratione periculum, eoque astu ut non pateseat. Simile ferè Arcanum est, curare occultè potentiam vicinorum imminuendam, aut aliis bellis distrahendam: ut paritas illa servetur, quæ concordiæ capax. Hinc minores potentiorum hostes clangulum concitant, instruunt, juvant; illorum sæpè magis metu & æmulatione, quàm in hos sincero studio aut curâ: atque ita suam pacem vicinorum bellis stabilitum tendunt. Est & noxiosior calliditas, sui auxilii fiduciâ impellere in bella vicinos, quibus atterantur aut evertantur; vel dissidiis eos committere, ut viribus exhaustis facilis præda fiant. Pulchrè in hanc sententiam Justin. *lib.* 8. *Græciæ*, inquit, *civitates dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt:* quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, omnibus perire quod singulæ amitterent, non

nisi

nisi oppressæ senserunt. Siquidem Philippus Rex Macedoniæ, velut è specula quadam, libertati omnium insidiatus, dum contentiones civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo victos pariter victoresque subire regiam servitutem coëgit. Innocentius arcanum, minores Principes inter sese contra metum validiorum coïre; liberasque Respublicas aut è contrario principatus contra dispares status: nam inter similes pronior concordia, quanto dissimiles iis sæpe iniquiores. Id Aristot. notavit 5. *Polit.* itemque Tacitus 5. *Annal.* Huc quoque pertinet, in vicinis aut quibuscumque suspectis populis clandestinos exploratores habere: quod Tyrannis etiam inter suos usitatum; Principi non nisi seditionibus factionibusve aut insidiis infesto regno decorum est. Exploratores autem illos esse paucos; sed auctoritate, & penetrandi cuncta opportunitate eximios, non modò utilius ærario est, sed & facultati latendi. Sic quoque adversæ Reipublicæ primores aliquot ei cui auctoritati pensionibus sunt plus præstitere, quàm ingentes exercitus. Vide Plutarch. in *Arato.* Arcana hæc, ut validiora sint, velari adversus vicinos (pro fraudem!) gratulationibus ob prospera, ostentatione socii luctus ex adversis, & omni amicitiæ pompâ, & specioso apparatu officiorum solent. His & dolorem atque odia læsi, sed impares abdunt: ne in obnixius studium nocendi exaspe rent æmulos, & quò faciliùs occasionem vindictæ contra incautos inveniant, validiusque in imparatos quandoque exsequantur. Hinc & potentiorum desideriis specie officii indulgent, quæ extorquenda metuunt. Pace constanti, inquit de Tusculanis Livius *lib.* 6. vim Romanam arcuerunt, quam non poterant armis: solique vera arma viresque, quibus ab ira Romanorum sua tutarentur, invenerunt. Sic idem auctor est *lib.* 8. Samnites Legationi Romanæ, arma in socios prohibenti, cessisse in præsens, non amore pacis, sed astu latentius præparandi bellum.

CAPUT XI.

De Ærario constituendo & conservando. Ex occasione de prodigalitate, avaritia, liberalitate, Justitia Regum.

PRincipes & Magistratus animæ instar Consilia mentis vice, sed pecunia nervi sunt administrationis. Itaque Ærarium esse in Repub. debet. Nam quod Xenophon de commeatu scribit, minus prosperè eum parari in necessitate: id latiùs, & ad omnia Reipublicæ administrandæ subsidia pertinet: Tempestivè nimirum instruenda, & longè antè reponenda sunt, quibus in re gerenda opus est: ex quibus vel præcipua est pecunia. Non in re domestica tantùm, sed & publicâ illud Petronii valet:

Quisquis habet nummos, securâ naviget aurâ
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Parva loquor. Quidvis nummis præsentibus opta,
Et veniet. Clausum possidet arca Jovem.

Romani enim ipsum Jovem quoque pecuniam nuncupaverunt. August. 7. *De Civit.* 12. Non auro minus, quàm ferro expugnantur hostes. Nempe

...... Diruit urbium
Portas vir Macedo, subruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueant duces:

ut omittam, quæ omnibus perspicua, non arma, non militem, non classem, non annonam sine pecuniâ publicâ haberi posse; quamvis vicissim per illa hæc paretur. Longè enim pulcherrimum est, Ærarium ex spoliis hostium impleri; certamque prædæ partem ei destinari; victisque bello populis tributa imponi; certas quoque Reipublicæ possessiones esse agrorum, pascuorum, nemorumque, quæ civibus certo vectigali locet. Ex his constabat Ærarium Romanum usque ad bellum civile. Opes hæ publicæ semel constitutæ diligenter conservari debent, & honestè augeri. Conservandi ratio in eo sita est, ne fundi aut tributa vecti-

galiave publica ullo titulo alienentur, deinde ut Quæstores periti & fidi eligantur, electi observentur aut coërceantur, denique ut reditus providè & frugaliter dispensentur. Nero cum Principatus initia multis elementiæ & benignitatis exemplis stabiliret, remittere portoria cuncta destinaverat; ni obviam issent primores, docendo hanc remissionem ad dissolvendos Rempub. nervos pertinere. Eam quippe futuram oneribus imparem, quorum rationes una cum proventibus sic crevissent ut paria facerent. De Quæstoribus postea dicemus. Moderatus autem & frugalis usus non conservando tantùm, sed & augendo ærario sufficit. Pulchrè Mamertinus ad Julianum: *Maximè tibi præbet parcimonia tua, Auguste, vectigal. Quicquid enim alii in prodigas cupiditates prodigebant, id omne nunc in usus publicos reservatur. Hucusque solus hic imperii fructus putabatur, ut Imperator à ceteris civibus non fortibus factis, sed splendore & magnitudine sumptuum separaretur. Inde nihil necessariæ substructionum in ædibus moles ingentes, auxiliorumque catervas & legionum sumptum facilè vincebant. Quinetiam prandiorum & cœnarum magnitudines Rempublicam sauciabant, cùm quæsitissimæ dapes non gustu sed difficultatibus æstimarentur; miracula avium, longinqui maris pisces; alieni temporis poma, æstivæ nives, hybernæ rosæ. Hæc cuncta animus voluptatum omnium victor abjecit.* His proximum est, ut exemplo Imperatoris Alexandri, palatium hominum otiosorum supersluâ multitudine liberetur; hos enim vel otium vitiis deliciisque mergit; vel ne otii apertâ imagine vilescant, parasitos & voluptatum inventores, luxûsque Regii ministros, vel etiam susurrores calumniatoresque agere instituunt. Ita hi homines dum ad pompam Majestatis colliguntur, veram Majestatem dehonestant. Enimverò quòd quidam illam Magnificentiæ speciem conducere existimationi putant, quasi inde exteri de opibus viribusque regni prolixiùs censeant: id frivolum est, censente Imperatore Antonino *lib.* 1. *De Vita.* Sive enim vera est potentiæ magnitudo, non indiget hoc adminiculo ad famam: sive tenues sunt opes, magis etiam illâ affectatione splendoris adfliguntur. Laudabiliter igitur Alexander, qui inanem magnitudinis speciem spernebat; dictitans: crudele esse; si Reipublicæ opes ii arrodant, qui nihil in Rempublicam ingenio vel industria conferunt. Prodigalitas in privatis intemperantiæ & imprudentiæ notâ turpis; in Principibus hoc amplius, injustitiæ crimine odiosa est: tum quia ferè ex alienis exercetur, tum quòd fontem liberalitatis, quam dignis debent, exhaurit, tum denique quod ad appetendum capiendumque præter fas aliena instiget. Nero prodigendi licentiâ fructum opulentiæ imperiique potentiam æstimabat: sed per prodigalitatem ad avaritiam compulsus cuicunque Magistratum mandabat, non perplexè mercedem reposcens, dictitabat: scis quòd mihi opus sit. Adeò vitiorum omnium fœcunda est Prodigalitas, ut eùm maximè repugnare ei Avaritia videatur, eam tamen ultrò gignat: & quàm profusa in turpia & indignos, tam restricta est & ingrata adversus benemeritos. Quam meritò olim Crates comparabat arboribus per avias rupes positis, quæ fructus quos invidere hominibus videntur, corvis milvisque enutriunt & indulgent. Imirandus igitur Mat. Antoninus Philosophus: qui Ærarii parcissimus, atque ab omni profusione abhorrens, exercebat munificentiam in bene de Republica meritos; aut præter meritum iniquitate fortunæ adflictos. *Cùm omnes homines juvare, boni sit Principis*, inquit Panegyristes, *tum præcipuè benemeritis & graviter affectis subvenire, Sapientis est. Nullam majorem*, inquit Pacatus ad Theodosium, *crediderim esse Principum felicitatem, quàm fecisse felicem; & intercessisse inopiæ, & Fortunam vicisse, & dedisse homini*

novum

novum fatum. Itaque Imperatori propriam Majestatem æstimanti, non tam id suum videri debet, quod abstulit, quàm quod dedit. Et causam addit; tum quòd opes civium constituant potentiam Principis, tum quòd ejus benignitas gloriam benevolentiamque omnium ipsi conciliet. *Nam cùm intra ipsum volvantur omnia, & ut ille qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit è terris: ita quicquid in cives manat à Principe, redundat in Principem: & rei & famæ bene consulit munificus Imperator.* Igitur ut à prodigalitate, sic & ab avaritia refugere Princeps debet. Pulchrè Xenophon: *Non illos*, inquit, *felices æstimo, qui plurimas congresſère opes quibus incumbunt ut custodes: ceterum enim felicissimi vigiles essent, quippe qui per mœnia dispositi, quicquid civitas habet suâ custodiâ complectuntur: sed eum felicissimum judico, qui cum plurima justè possederit, tum plurimis honestè fuerit usus.* Honestus usus in sola liberalitate est; illum quippe prodigalitas dedecorat & corrumpit, avaritia nescit aut abdicat. Sed nec honestus usus esse potest, nisi acquisitio fuerit honesta. *Est improborum Principum*, inquit ille, *postrema defensio, auferre donandi causâ; & invidiam rapinarum magnitudine munerum deprecari.* Pacat. *in Panegy.* Sed insanum est ejusmodi Munificentiæ studium; nam neque benevolentiam conciliat, neque gloriam. Etenim *fundamentum perpetuæ commendationis & Famæ est Justitia, sine qua nihil potest esse laudabile:* inquit Tullius 2. *Offic.* Plus offensionis & odii excitant Principum injuriæ quàm beneficia amoris & gratiæ emerentur. Seneca 1. *De Benef.* Beneficiis se dignum ferè quisque putat; & ideò non valde obstringi: at injuriam nemo non immerenti sibi contingere existimat, & ideò gravissimè exacerbatur. Beneficia Principis ut officio ejus congruentia, & debita minus gratiosa sunt, quàm exosæ rapinæ, quippe quas non modò admittere, sed nec permittere, sui muneris religione tenetur. Itaque antè justitiæ consulat Princeps, quam liberalitati. Connexæ quidem invicem virtutes sunt nec separari possunt, aut certè amantiùs consentiunt, quàm ut una repugnet alteri. Si tamen divortium ullum recipiunt, antiquior sanctiorque esse Principi justitia debet, quam liberalitas: illius sensus fructusque ad omnes, istius ad paucos pervenit.

CAPUT XII.

De duplici generis auctione Ærarii. Obiter de Censu & de Rationario Imperii.

Augendi Ærarii duplex ratio, Ordinaria una, rigidè ad Justitiæ normam respondens; altera Extraordinaria, quæ temporibus & necessitati servit. Ad priorem pertinent mulctarum compendia, quæ à Fœneratoribus, Calumniatoribus, Dejerantibus, similibusque exiguntur. In qua parte videndum, ne magis lucri incrementum, quàm flagitiorum repressio procuretur. Turpissimum enim fuit Vespasiani consilium, ultro sordidissimum & rapacissimum quemque officiis admoventis, ut eos spongiarum instar impletos rursus exprimeret ad Fisci lucrum. Præterea squallentes in ditione sua terras ad culturam redigere, honesta lucri ratio est: dummodo Princeps deinceps per colonos & emphyteutas eas exerceat, in quos sordidiorem hanc curam rejiciat, postquam suâ ope & prudentiâ fertilitatem excitavit; id enim Majestate ejus dignissimum opus. Negotiatio quoque hactenus tantùm ipsum decere potest, ut magnam frumenti vim ex peregrinis regionibus emat, & ad subitos casus recondat, quo olim modico pretio vendendo annonæ angustiam laxet, si quæ inciderit. Id enim ad concilianda populi studia validum semper fuit, & adversus obsidionis pericula necessarium est. Alia negotiatio Principi in-

decora, & ad impediendam commerciorum libertatem per Monopolia, opprimendamque plebem tendit. Porrò Venario quoque ad libertatem Juris gentium reduci posset, in singula ferarum capita indicto vectigali exiguo. Splendidissima autem locupletandi Ærarii ratio per metalla est. *Regibus mos est*, inquit Pacatus, *exercendis invigilare metallis, ut latentia naturæ bona in usum arcessant, & parent innoxias nullo pauperiore divitias.* Mons pietatis ad Fisci lucrum (quod quidam suadent) institui non debet, aut nominis dignitatem non turbitur. Extraordinaria augendi Ærarii ratio per indictiones contributionum, novorumque institutiones vectigalium exercetur: neque conciliari justitiæ potest, nisi per necessitatis legem, Ordinumque consensum, quibus necessitas approbetur, quibusque arbitris commodissima contributionis ratio inveniatur, & in usus destinatos pecunia convertatur. Illi quoque id curabunt, ut non ultra necessitatis fines contributio continuetur. *l. 1. C. De Caduc.* Ejus autem modus probabilior æquabiliorque per Jugationem quàm per capitationem: hæc in singula promiscuè capita, illa, ut nomen indicat, pro modo jugerum quæ quisque tenet, describitur: sed computari & reditus, & pecuniam maximè negotiatione occupatam, non equitas tantum exigit, sed & publica utilitas, cujus interest potissimam fortunarum partem quemque collocare in fundis. Ut autem æquabiliter hæc peragantur, Censum id est professionem publicam descriptionemque exactam civium cum fortunis suis artibusque quêis eas quæritant, cum familiâ quoque oneribusque & ætate singulorum (Romanorum exemplo) singulis annis, aut aliàs moderato spatio celebrari expediat. Vide *tit. ff. De Cens.* Censitores enim erunt simul Exæquatores, ut in jure nostro vocantur. Unde promptius etiam Principes Imperii sibi poterunt breviarium conficere, quo nihil omnino salubrius esse censet Guicciardinus: in qua parte Augustus, ceterique magni Monarchæ tam accurati fuerunt, ut nonminus liquidò ditionis suæ fines viresque, quàm Paterfamilias patrimonii sui rationes, noscent.

Metiri sua regna decet, viresque fateri,

inquit Poëta: id verò eâ ratione continget, neu Princeps dum ex adulantium vanâ prædicatione magnitudinem suam æstimat, bella hostesque lacessat, quibus impar sit. Id enim evenire sæpe solet. Seneca *De Benef.* Breviario isti quoque inscribendi, quos Princeps ex fama aut aliunde noscit, per pacis bellive artes muneribus Reip. idoneos: ne in hac parte, ut assolet, per ambientium commendantiumque fraudes hallucinetur. Nimirum: Principis est virtus maxima, nosse suos. Præterea qui innotuisse jam se principi sciunt, tanquam in oculis ejus versantes, animosiùs præclara facinora aggrediuntur, folliciriusque à turpibus refugiunt, inquit Xenophon *lib. 5. De Cyr. inst.*

CAPUT XIII.

Quomodo in novis pecuniæ exactionibus Princeps sese gerat. De Consensu item Ordinum Quæstio.

IN novarum indictione contributionum id præcipuè satagendum est, ut fungi eâ populus velit & possit. Infeliciter enim Princeps pecuniam acquirit per jacturam benevolentiæ subditorum. Sæpissimè namque ex violentis immodicisque tributis seditiones aut etiam defectiones exstiterunt. *Vires imperii*, ex veteri scito, *in consensu sunt obedientium*; magis certè quàm in pecunia, utcumque aliàs valida. Benevolentia populi efficiet, ut pro modo virium & ultra eum contribuat: voluntatem autem populi conciliabit moderatio Principis non supra vires eum onerantis, incitabit necessitas, devinciet sincera & utilis pecuniæ dispensatio, mulcebitque ejus exigendæ æquitas

quitas: ad quæ omnia proderit consilium consensusque Ordinum. De quibusdam ex his jam diximus, de ceteris peragemus. Ad moderationem quod attinet, aversetur Princeps eos, qui pauperari & deficere, sub quocunque tributorum onere populum posse negant. Quemadmodum Oceanus, inquiunt crudeles illi & versipelles, non exhauritur ac ne minuitur quidem tot fontes tot flumina emittendo, perque omnes terrarum tractus dispensando, quibus assiduâ fugâ labentibus, quibusdam etiam concitandis, continuò novas suggerit aquas; quia nimirum in illum recurrunt: ita quantumvis magnæ & continuæ contributiones non redigunt ad inopiam cives, quia in eos refluit, quod ærario inferunt. Quasi verò illa pecunia utique intra eandem civitatem volvatur, ac non magis ad exteros (nam ex his quoque constat exercitus) dissipetur: aut nihil intersit honestiorum (quibus dignitas & administratio Reipublicæ innititur) patrimonia, & pariter fidem studiumque virtutis interire, dummodo inde alii ditescant. Vanissimè quoque quidam jactitant, ut putei aquæ salubriores purioresque fiunt assiduè hauriendo: ita populi vires incrementum sumere ex continua pensitationum vexatione, quippe quæ diligentiæ & industriæ stimulus sit, iis quoque quos degeneribus animis abjectos non splendoris nitorisve in re familiari cura, non opum queis de natalium angustiis exeant studium excitaverit ad labores. Quasi verò quicquam ad industriæ tœdium violentius sit, quàm illa comploratio:

Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Igitur Princeps potius Tiberio credat & Alexandro. Ille Pastoris esse dicebat, sic recidere lanam, ne pellis lædatur; iste Hortulanum laudabat, qui sic olera carperet, ne radices evellantur. Si nimis oneratur populus, jam per inopiam non agriculturæ, non mercaturę, non artificiis sufficit: quia exerceri hęc sine facultatibus nequeunt. Nimirum parari opes magnę sine modicarum adminiculo nequeunt: quomodo Lampis inquirenti causam opulentiæ: Ad modicas, inquit, opes magno; ad magnas, parvo labore perveni. Ad æquitatem exigendæ pecuniæ pertinet, partem æquabilitas, de qua diximus, partim humanitas, inhibitâ incivilitate, rapacitate, atque atrocitate Quæstorum & Coactorum. Jam olim hęc solita Publicanis vitia sunt. *l. 1. ff. De Publican. & vectigal.* Ii enim fraudibus & calumniis è publico lucro suum faciunt, ultra prǽscriptum exigendo, urgendoque & prǽcipitando solidi solutionem (quam pensionibus & temporibus distingui, expediat) levissimis momentis etiam per asperrima remedia; cùm, ut ille ait, miserorum hominum tota interdum cum suis laribus supellex, de exhaustis domibus rapta, sub hasta ac præconibus prostat, ut non penum, non stratum relinquat in quo saltem perculsi conquiescant. Nunquam per hæc tam invisa atque execrabilia crudulitatis exempla animos suorum Rex alienet; sed eos potiùs placet gravi coërcitione ministrorum, qui rei per se asperæ invidiam suâ acerbitate adaugent: cum (ex Senecæ scito) *immansueta mansuetè tractanda sint.* Æquitas de qua agimus in eo quoque versatur, ut vectigalibus onerentur magis ea quæ ad delicias, fastum, luxum, pertinent, & generatim merces non necessarię, quàm vulgaria vestimenta, esculenta & poculenta: sic enim tenuiores non affligentur, & erit istud divitibus ad frugalitatem incitamentum. Consequenter videndum, ut potius rudis materiæ, quàm artificiis civium elaboratæ evectio portoriis subjiciatur; & è contrario invectio efficta materiæ potiùs, quàm informis: ut inde onus, huic commodum suis stimulis excitent civium animos ad exactam opificiorum sedulitatem. Cùm igitur tantæ inspectionis sit illa moderatio, atque Æquitas indicendæ pecuniæ: meritò in

Repub. benè ordinata Arbitrium Ordinum interveniat oportet. Quamvis id non nemo, Barclai. *lib* 4. *Argenid.* ex Politicis nuper reprehendit, nimio, ut opinor, studio immensæ & solutæ Principum potestatis quæ non rariùs suâ illecebrâ illos corrumpit quam populus, ut ait, ista libertatis imagine luxuriat. Cur, inquit, cùm Majestati suo jure competat pacis transactio belliquе indictio, non permittatur ei, sine delectorum populi arbitrio, indictio pecuniæ, quæ longè minoris est momenti? Verùm responderi facilè potest: pertinere ad Reipub. summam, pacem bellumve facere, utcunque vel illius leni & remissâ transactione singulorum injuriæ maneant aliquando inultæ; istius verò clade injuriis singuli sæpe objiciantur: id enim non directò & ex destinatò, sed in consequentiam & quasi fortuitò accidit. At vectigalium tributorumve institutio principaliter & certâ intentione privatos contingit: ut meritò consensus eorum desideretur, Ordinum scilicet, qui populum repræsentant. Quod verò objicit de vitæ necisque arbitrio: eam comparationem promptiùs solveris, quod illud non vagum solutumque, sed legum limitibus inclusum sit; à quibus leviter tantùm ob favorabilem Clementiç aut gravem Severitatis rationem recedere licet, ut suo loco declaravi. Sed Optimatum Concilio, inquit, libera est vectigalium indictio: cur minus liceat potestati Regum, quæ utique major est? Nimirum quia Optimates ipsi contributionibus obnoxii sunt, quas indicunt (neque enim singuli majestate eminent, sed Collegium, ut suo loco diximus;) neque singuli jus in pecunias contributas habent, uti Reges. Porro non juris tantùm, sed boni publici rationibus Principibus hoc arbitrium exigendæ pecuniæ vindicat: Multa, inquiens, in administratione summæ Reipublicę occurrunt, quæ subitò ad faventem occasionis auram; multa quæ secretò, in adversarium nec opinantem imparatumque, expediri oporteat, nec expediri sine pecunia possunt. Sed tam segnes moras populum admonentis, delectosque ejus congregantis occasio spernit: interque illos undique convenientium & deliberantium strepitus petit secretum. His respondeo. Inprimis, quæ, occasionis aurâ provehente conatus, fiunt, ea non tanto molimine & apparatu indigent, ut non sufficiant ordinarii reditus, ad auspicandum saltem, aperiendamque viam: ad progressum verò operis affecti novis tributis juvandum, jam tempestivè Ordines convenerint, imò primo successu, quem occasionis benignitas dedit, in spem bonam elatus populus, tanto erit promptior ad contribuendum. Deinde illud videamus, an rectè hoc sibi sumat, & ut indubitatum reliquis præstruat; & promptiorem ad occurrendum occasioni, & tranquilliorem, ad celandos conatus, esse conficiendæ pecuniæ rationem, si rectâ viâ Rex eam indicat & in singulos dividat. Ego verò hanc rationem & tardiorem puto & turbulentiorem. Nam cum delecti ex populis interveniunt, promptiùs utique quia certiùs & familiariore notitiâ de viribus singularum urbium, de æquissima in singulos dividendæ indictionis; & colligendæ pecuniæ ratione transigitur. Quæ omnia à Principe, & per ministros ejus tardiùs agantur necesse est, quia à civibus distincti, non perinde ipsos facultatesque ipsorum nôvêre. Undè & minus placidè Cives ministris illis obsequentur, pręsertim cùm eos ferè averſentur, ut institutores suasorесque novarum contributionum à quibus ipsi immunes, imò ex quibus sępe in sinum suum, ut cum lamprid. dicam, prędam congerunt. Quemadmodum in exercitu hoc ipsum ad celeritatem insinuandi mandata Ducis pertinet, quod is ea non omnibus & singulis edicat, sed Tribunis Centurionibusque tantùm, qui in suos quique divulgent: ita in hoc de quo agimus negotio imperandæ pecuniæ, ad velocitatem facit Ordines interponi. Facit idem ad tranquillitatem, ob causam

jam

jam suprà expositam, & quia dilecti illi cives suos instruunt, demulcent, & contributioni conciliant. Themistocles ad Andrios super pecunia legatus, dicebat, se duabus divis comitatum venire, Suadâ & Violentiâ: Plutarch. in *Themist.* illa quietem ex benevolentia, ista tumultum ex odio gignit. Illa igitur potior, & potentior, nam

.... Peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit ....

Suada autem est in Ordinum interventu, Violentia in manu Regia. Itaque contra omnem veti fidem est, quod hanc populi libertatem fœcundiorem seditionem putar, quàm dutitiam Regum liberam in vectigalibus auctoritatem exercentium: nisi de populis barbaris & dominationi natis adsuetisque id intelligamus. Legatorum à populo circa vectigalia auctoritas non libertatem illis vindicat, sed ab ipso servitutem res suas precariò sub tyrannis tenentium, & licentiam à potestate summa arcet. Non virtutibus, inquit, Princeps & salubri regimine, niti debebit, sed fœdâ indulgentiâ & dissolutione disciplinæ, ut populi (id est plurium atque ita improborum) affectus sibi conciliet; & inde tributa. Nunquam enim eum rebus humanis tam bene agetur, ut optima pluribus placeant. Sed profectò non rectè sibi sumit, plerosque id est populum vitiis magis Principum delectari quàm virtutibus: cùm ex adverso verissimum effatum sit: *Malum Principem etiam qui fecerunt odêre.* Ex his liquêre satis puto, longè melius eum Rep. agi, ubi in pecuniis imperandis Regi opus est Ordinum auctoritate; huncque morem semel receptum (nam dominationibus subjecti ferre fortem suam debent) ut plenum sanctissimæ Æquitatis quàm religiosissimè custodiendum est.

CAPUT XIV.

De quibusdam conficiendæ pecuniæ commentis.

Suggeruntur & alii conquirendæ pecuniæ modi, sed non nisi in ultima necessitate usurpandi; veluti officiorum, præfecturarum, jurisdictionumque in pagos vel oppida venditio. Verum cum de territorio Princeps diminuit, Ordinum consensu opus, adjiciendumque redimendi quandoque pactum, semperque in ditiones sic venditas jus Majestatis recipiendum Principi: ne alioqui in plures dominos dissiparæ ditionis vires debilitentur. Adjiciunt & hunc modum consulendi ærario, diminuere Magistratibus præfectisque singulis pro rata parte stipendium. Sed antè videndum, an non superfluis ministris aula, supervacuis officiis civitates exonerari justius utiliusque possint. Huc quoque pertinet, jubere, ut aurum argentumque ex mundo muliebri, & pompa supellectilis omnes in usum publicum cudendæ monetæ conferant, æstimationem in pecunia recepturi: vel potius ad id incitandus populus Magistratuum procerumque exemplo, ut apud Livium *lib.* 36. Juberi enim id durum est: quamvis etiam Jurisperiti hon temerè existimant, in gravi necessitate Reipub. compelli ad mutuandum gratuitò nummos opulentos à Principe posse. Sed salubrior & hic Suada erit, quàm violentia: exemploque Venetorum, paratis ad mutuandum quædam prærogativæ titulive honorum proponendi. Quod verò quidam adjiciunt, ut jubeatur quisque conferre quantum in diei unius epulas erogare solet, indicto sibi tantisper jejunio; id ut specimen quasi desperatarum rerum, populoque asperrimum improbo: difficillimum enim Suadæ negotium fuerit cum ventre (ut Cato dicebat) auribus carente. Tolerabilius igitur isto fuerit, earum quæ ad luxum pertinent rerum nomine exigere in Fiscum aliquid

quid: atque hactenus tantum probare possum, quod suggerunt quidam, ut rerum in foro venalium aliquantisper augeatur pretium, augmento ad Fiscum pertinente. Ejusdem farinæ est, imminuere libræ modum: item nummorum æstimationem intendere, manente pondere & materia; aut pondus sinceritatemve materiæ delibare, æstimatione non imminuta. Sed neque hoc fas aut utile est, nisi in extremo necessitatis articulo, post quem æstimatio nummorum ad justam proportionem materiæ reducatur: ceterum enim commercia impediuntur, caritasque rerum venalium invehitur.

CAPUT XV.

De Quæstoribus.

MAgnum conservandi Ærarii momentum esse in iis qui ei curant, Quæstoresque vocantur, jam antè monui: hi enim vel avaritiâ infidi, vel negligentiâ ad scribarum ministrorumque flagitia conniventes, publicam sæpè pecuniam dissipant. Itaque & in Quęstores non perfunctoria inquisitio, & ipsorum in ministros severa inspectio esse debet, adeò ut eorum culpæ succedanei habeantur ipsi. Exemplum boni Quęstoris Cato exhibet, de quo Plutarchus: *Quæsturam, inquit, non antè ambiit, quàm Leges Quæstorias perlegisset, deque singulis earum articulis ex Peritis percunctatus, ejus Magistratus jus & quasi ideam animo informasset. Itaque simul atque Quæstor creatus fuit, scribarum administrorumque Ærarii aliam instituit rationem. Hi enim publicas literas legesque cùm antè in sua potestate habuissent, suo arbitrio quasi ipsi Quæstores essent omnia agitaverant, Juvenibus subinde ad id muneris promotis, qui per imperitiam à muniis dignitatis abhorrebant, solo ejus titulo contenti. Primus Cato novo modo non nomen tantùm honoremque ejus officii sibi usurpavit, sed curam & munia quoque prudentiæ industriæque suæ vindicavit: scribisque (ut res erat) pro famulis usus est, partim fraudes eorum coërcens, partim ignorantiam instruens. Cùm verò protervè ipsi adversarentur, atque alios adulatione sibi devincirent: primum eorum fraudis in hereditate commissæ convictum ab officio removit, alterum quemdam falsi crimine accusavit.* Est sanè Quæstura officium quod diligentię plus occupationisque, quàm ingenii exigat: idcòque eo potiti, ejus administrationem ferè per scribas ministrosque explicant: unde necesse est, multa illorum fraude, multa negligentiâ intercidere. Id igitur efficiendum, ut qui spectatâ fide & industriâ ad id muneris eliguntur, summam administrationis ipsi obeant. Idcòque non temerè quibusdam displicet, perpetuum (ut hodie) id officium esse: vel enim generosi animi ad remissionem labuntur tœdio adsiduitatis, in munere procuratorio & vili; vel viles animæ ipsâ familiaritate pecuniæ ad ejus amorem id est avaritiam, diuturnique officii exactâ calliditate & confidentiâ ad fraudes excitantur. Utilius igitur, secundùm Instituta Romanorum Quæsturam gradum ad honores esse; qui industriè & ex fide ea perfuncto offerantur, à quibusque fraudis compertus, perpetuæ infamiæ pœnâ arceatur. Quoniam verò fraudulenti Quæstores miras per artes in suum usum pecuniam publicam convertunt: suadent quidam, ut simul pecuniæ quam administraverunt, simul bonorum quæ sibi per id tempus acquisiverunt, rationes ab ipsis exigantur. Denique id curandum, ne Quęstorum major quàm pro necessitate numerus sit.

CAPUT XVI.

Quomodo Moderator Reipublicæ curâ rerum quæ ad tolerandam vitam pertinent Civibus consulet.

NOn Ærarii tantùm & pecuniæ publicæ, sed singulorum quoque opulentiæ ratio aliquatenus ad curam Mode-

Moderatoris Reipublicæ pertinet; non eo tantùm adſpectu, ne illi præfractè conſulendo iſtam adſligat, memor Fiſcum ut lienem eſſe, quo augeſcente reliquum corpus tabeſcit: ſed latius hoc manat. Sic enim Plato, ſic alii Legiſlatores judicaverunt, optimè cum Republica agi, ſi Cives neque prædivites, neque omnino inopes exiſtant; nimiæque opulentiæ, extremæque paupertati mederi ut morbis conati fuerunt. Quæ Lycurgus aliique hac in parte præſtiterunt, ut inimitabilia hodie, ita certè incitamento eſſe debent ne omnimodo hæc cura repudietur ab imperitantibus. Lycurgus igitur cùm æquabili agrorum adeoque ſupellectilis diviſione avaritiam; cùm publico & communi Civium convictu (quæ Phiditia ſive Andria dicebantur, ut penes Cretenſes Syſſitia) luxum ſuſtuliſſet; id effecit, ut nemo Civium pauper eſſet, nemo mechanicis artibus occuparetur, omnes caſtam quidem ſed hilarem ætatem agitarent. Hoc erat profectò aureum ſeculum poſtliminio reſtituere. Eo loco, inquit Plutarchus *in Lycur.* divitias collocaverat, ut non modo non fraudibus petendę, ſed ne votis quidem expetendæ viderentur. Uſus enim earum fructuſque nullus erat, ceſſabat earum invidioſa pompa, languebat eas oſtentandi ambitio, ſociatis communione victûs pepetuâ paupere atque divite. Atque illud tritum diverbium; *Cæcas eſſe divitias, jacere tanquam picturam animâ motuque caſſam*, ex omnibus terrarum urbibus tantum Spartæ reipsâ obtinebat. Itaque, ut dixi, ſupra imitationem hodie hoc Lycurgi Inſtitutum eſt poſitum: tamen ad aliquid hac quoque in parte providendum: quomodo Saluſtius Cæſari in Oratione de Republica ordinanda ſuadet, ut pecuniæ, quæ maxima pernicies eſt, uſum ac decus demat. Ubi divitiarum cupido, inquit, invaſit, neque diſciplina, neque bonæ Artes ſatis pollent: omnia bona vilia ſunt; fides, probitas, pudor, pudicitia. Tolletur aut minuetur certè pecuniæ ſtudium, ſi fructus ejus ſupprimitur, qui partim in luxu, partim in dignatione quadam collocatus videtur: illum Cenſura abolebit; hanc Judicium Principis & ſincera ex meritis virtutis honorum diſtributio; ſi

.... Opibuſque fluens & pauper eodem
Nititur ad fructum ſtudio; cùm cernat uterque
Quòd nec inops jaceat probitas, nec inertia ſurgat
Divitiis......

Avaritiâ imminutâ etiam inopia ſublevabitur; imò luxu ſublato magna paupertatis ſcaturigo ſupprimetur. Præterea ut morbo inopiæ occurrat Princeps, inhibere fœnus debet, quia avaritiæ inſtrumentum; prohibere otium, quia irritamentum luxus eſt: imò fœnus ipſum inſtrumentum ferè luxûs. Plutarchus in hanc rem pulchrè: Plato non aliter ex vicini fonte haurire vel ducere aquam alicui in legibus ſuis permittit, quàm ſi ſuum fundum uſque ad argillam fodiens ſterilem laticum deprehenderit: ita non ante permittendum ab aliis mutuum petere, alienoſque fontes adire, quàm ſuas quis domi copias excuſſerit, & quaſi guttatim collegerit quod uſui ſuo ſufficiat. Nunc, inquit, luxu, mollitie, & prodigalitate impulſi non utuntur ſuis, ſed magno fœnore ab aliis accipiunt nullâ neceſſitate compulſi. Magnumque hujus rei argumentum eſt, quod egeno pecuniam nemo credit, ſed pignora qui pretioſa habeat, aut ſponſorem teſtemque exhibeat bonæ fidei. Plutarchus *De non fœnerau. cap.* 1. Si contenti, inquit *cap.* 9. eſſe voluiſſemus rebus vitæ neceſſariis, non magis fœneratorum quàm Centaurorum Gorgonumque genus exiſteret: Luxus autem ut auri argentique tractandi artifices, qui materiam manuſpretio ſuperarent, unguentarios item pretioſorumque colorum tinctores, ita & fœneratores produxit. Non enim panis aut potûs causâ æs alienum contrahimus; ſed ob prędiorum, mancipiorum, mulorum, tricliniorum ambitioſam emptionem, affectationemque magnificentiæ ſuperbam. Jam qui ſemel

obæratus, semper manet, alium ex alio fessorem fœnerari instar equi recipiens; nullo in pascuorum libertatem effugio. Hæc cùm ita sint exterminanda ex Republica:

Est usura vorax avidumque in tempore fœnus.

Quæ Romanis quoque exosa semper fuit, multisque compressa legibus, ut discordiarum quoque turbarumque incitabulum. Tacitus 6. *Annal.* Vide nostra *C. De Usur.* Plebs enim locupletum fœnore exhausta, partim adversùs illos invidiâ, partim odio suarum rerum, ut Salustius *in Catilin.* ait, omnia immutata cupit. Secundùm quæ de Montibus, ut appellamus, Pietatis queri solet, expediantne Reipublicæ, quia horum benignitas acerbitatem fœneratorum expellit, an officiant potiùs, per faciles pecuniæ conficiendæ vias incitato luxu? Et sanè laudandi amplectendique sunt, eum nomini & primo instituto respondent; tantumque egentium solatiò, non etiam divitum luxui & emacitati serviunt. Hic dilectus si usurpetur, augescere Mons testatorum pietate, exercerique gratuitâ operâ poterit eorum quos huic ministerio ardentior virtutis & cœli amor applicabit: poteritque tandem sub solius pignoris fide, pecunia paupetum necessitatibus hinc suppetere, sine ullo incremento, post certum temporis spatium restituenda. Ita constitutus Mons meritò accensebitur illis pietatis fontibus, quos Xenodochia, Nosocomia, Bropotophia, Orphanotrophia, ptochotrophia Impp. appellant, & privilegiis muniverunt, tanquam portus miserorum hominum adversùs fortunæ procellas. Hi igitur in Republica fovendi, tuendique contra injurias avaritiamque administratorum. Vide nostra in *C. De Episcop. & Cler.* Ut fœnoris, ita quoque monopoliorum inhibita rapacitas, (vide nostra *C. De Monop.*) prohibitaque Magistratu aut dignitate eminentibus mercatura (vide nostra *C. De Comm.*) remedium inopiæ est. Tantumdem dico de rigida in tutorum administrationem Judicum diligentia: qua in parte Jus Romanum unicè laudandum, Inventarium, cautionem, jusjurandum ab illis in securitatem pupillorum gratuitamque fidem & industriam exigens; quam violatam tot actionibus vindicat. Vide nostra *lib. 5. C. per plures titulos.* Multorum namque inopia causam ducit à fraude, imperitiâ vel negligentiâ tutorum. Lites quoque multorum patrimonia atterunt vel absumunt: ideoque quæ præcedente in libro in illas remedia suggessimus, etiam inopiæ medebuntur. Jus quoque primogenituræ multis in regionibus multos paupertate immeritò damnat. Obtenditur quidem conservandæ per amplitudinem opum in primogenito familiæ cura: sed an ille utique ejus columen; an ille ingenio, industriâ, formâ, gratiâ, in quo

Domus inclinata recumbat?

Adhæc Solon quidem effatus de Republica, ab æqualitate nullam proficisci seditionem, nimis vulgo videtur indulsisse: qui verò, inquit Plutarch. *cap. 17. De Amore fratrum.* fratribus id persuaserit (quandoquidem difficulter obtinuerit, ut quomodo Plato de sua civitate, ita illi de familia Meum & Tuum exterminent) is firmum inter illos concordiæ & pacis fundamentum jecerit. Atqui eodem censente *cap. 3.* concordiâ fratrum & genus floret maximè & familia viget: haud aliter quàm unius communione naturæ & alimenti, humida, sicca, calida, frigida concentu consensuque suo salubritatem viresque corpori ministrant. Porrò *ut luxus populator opum*, ita Otium quoque Atheniensium Ægyptiorumque exemplo cohibitum manifestùm inopiæ remedium est. Socrates apud Stobæ. *serm. 56.* Amalthæ cornu sic interpretabatur: Amaltheam græcâ vocis origine significare minimè dissolutum, sed impigrum opere: huic bona omnia obventura: eòdem pertinere cornu bovis, animalis utique laboriosissimi. Botros autem & similia in cornu inesse, quoniam omnia quæ vitam instruunt, agricultura suppeditat: quamobrem gestantes

ſtantes ipſum bonus genius bonaque fortuna introducuntur. Vide *Prov. cap.* 24. 25. & 26. & 28. Sanè ſtudium agriculturæ omni ratione Moderatoribus Reipublicæ incitandum eſt, vide Xenoph. in *Oeconom.* prçmiis quoque interim in eos diſtributis, quòrum eximia enituit induſtria in cultura ſquallentium antè terrarum. Xenoph. in Hierone. Prçſtaret & Romanorum inſequi inſtitutum, cujus ſuprà mentio fuit, nec permittere opulentos majorem patrimonii partem in reditibus collocare. Denique Annonæ præfectos eſſe expediat, qui Dardanarios alioſque quorum calliditate penuriæ ejus & caritati laboratur coërceant, *l.* 1. *ff. De Annona.* qui contra ſubitos caſus magnam ejus vim aliunde invehendam procurent, & in publicis horreis conſervent. Vide Senecam *De brevit. vit. circa fin.* ac in neceſſitate promant æquo pretio, prudenterque diſtribuant, aliiſque vendentibus juſti pretii modum præſcribant. Ad Annonam quoque pertinet commercia cum fœcundæ terræ populis juſtè colere, nec vectigalium avaritiâ diſſolvere: terrâ marique ut facilis invectio ſit curare; itinera ſarta tecta tuendo, & Prçtoriis interdictis flumina ab omni incommodo vindicando. Vide *ff. tit. De Flumin.* & *tit. Ne quid in flum.*

FINIS LIBRI SEXTI.



DIODORI TULDENI
DE
CIVILI REGIMINE
LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I.

Definitio & usus fœderis, & ab affinibus conjunctionibus distinctio; item per quos & cum quibus contrahendum sit.

AD Reipublic. salutem, tutelamque vel amplificationem Fœdera quoque pertinent: perinde ut singulorum vita ad omnem usum instructior & adversùs iniquitatem casuum munitior est per copias amicorum. Natura quidem hominem homini conciliat, omnesque societate quâdam ut cognatos devincit; quę omnium conjunctionum fons est & fomes; adeo arctiores Societates pro morum aut utilitatum mutua opportunitate, quà privatim, quà publicè coëundas non damnat. Fœdus à fide dicitur quâ nixa pactio devincit diversas Respub. operæ aut rei alicujus præstandæ consortio. Dedititii quidem in fidem recipiuntur, sed pariter subditi fiunt: fœdus autem diversas Resp. connectit, non commiscet. Induciæ autem Respubl. distinctas relinquunt, sed quia sola offensionis intermittendę fide terminantur, differunt à fœdere, quod hoc ampliùs ad auxilia invicem obligat: unde & fœderati sive socii populi ab amicis distinguuntur: hi quippe tantùm illibata naturæ societate censentur, quæ non utique ad ferendam opem suo cum damno aut periculo obstringit. Aliquando tamen ad illa quoque fœderis appellatio refertur. Fœdus contrahere eos solùm posse, qui Majestate eminent, suprà diximus: nunc dicamus cum quibus contrahendum sit. Ut amicitia inter similes paresque, ita & fœdus firmissimum est. Similitudine igitur conciliante fidelior inter Respub. liberas, vel Principibus inter ipsos, quàm Rempubl. inter & Principem amicitia. Aristoteles *lib. 5. Politicor. cap.* 10. Moribus quoque legibus & animorum impetibus non multùm discrepantes facilius fideliusque coëunt. Unde fœdus inter plurimos fragile esse solet, tantumque subito & brevi impetu validum efficaxque. Hoc quoque adspectu cum vicinis utilior societas: nam ferè terrarum cælique conspiratione in eosdem animorum affectus inclinant, & plerumque communis inter eos periculi causa est, & secretius consilia, celeriusque & facilius opes viresque communicant. Non facilè igitur cum longè remotis ineunda fœdera; non facilè etiam cum longè potentioribus. Magna enim disparitas adversa amicitiæ est & concordiæ, quia difficulter ejus radix Æqualitas fovetur: dum eam infirmior Arithmeticâ, præstantior Geometricâ proportione dirigendam putant: isque socios primò clientum loco habet, paulatimque successu aliquo felici suppetiarum & in suis sibi beneficiis, sine vicissitudine aliqua, obnoxios superbior, eos subditorum instar efficere conatur. Sed & cum infirmis aut in perpetuum adflictis fœdus coire, id verò est, ex Hadriani Dicterio, in caducum parietem inclinare: nisi tamen alter tanto sit potentior, ut eos immeritò jacentes erigere, reficere, & amplitudini pristinæ restituere possit:

tunc

tunc enim tanto ab illis plus fidei spondere sibi poterit, quanto minus virium haberent eùm iis suas jungeret: imò tanto illustriorem sibi existimationem fidei gloriamque apud omnes conciliaverit, quanto exploratior adversis erit. Porrò quia nulla major disparilitas esse potest, quàm quæ Sacrorum & Religionis repugnantiâ censetur, improbanda sunt fœdera Christianorum cum Turcis aut simili superstitione Profanis. Et profectò ii sunt quibus nec Ara, nec Fides, nec ulla firma Pactio est. Præterea eùm consiliis, opibus, viribus, conatibus ita demum successus respondeat, si Numen adspiret, aut saltem non resistat; quæ fiducia auxilii ab hostibus Religionis & Numinis esse potest? Cùmque fœdus alterni auxilii necessitudine constet; quid aliud est fœdus cum impiis inire, quàm contra Christum Religionemque ejus conjurare? Quidam tamen & hæc fœdera tunc licita putant, cum necessaria sunt. *Samuel.* 27. Nam eùm equis & elephantis in auxilium bellicum uti fas sit; cur non & hominibus feris impiisque? Et quis concedat, exosum Numini esse, ad coërcendum sceleratos viribus & audaciâ, vulneribusque & mortibus impiorum uti: cùm eorum feritate interim ipsum Numen uti soleat ad castigandum suos? Non quia fœdus cum impiis percutitur, illorum impietas approbatur, adjuvabiturque aut propagabitur: nam quia & illi injustè oppugnati possunt, utique & justè eos propugnandi existere occasio potest. Quibusdam igitur in articulo necessitatis & contra sceleratos hæc quoque fœdera probantur, dummodo certis mutui auxilii finibus ita adstringantur, ne detrimentum inde Christiana Religio capiat.

CAPUT II.

De quibus rebus fœdera pangantur: & inde eorum divisio.

ENimverò ut Jurisconsulti dicunt, flagitiosæ rei societatem vires nullas habere: ita de fœderibus sentiendum est, invalida ea esse, si ad Religionis aut innocentium oppressionem, amplificationemque potentię injustam tendunt. Fœdus igitur certis liciti negotii finibus describendum est; indèque distinguitur, ut aliud sit *commercii*, aliud *defensionis*, aliud *utriusque*, aliud arctius imò amplius etiam ad *offensionem in hostes* pertinens, veluti cum eosdem amicos hostesque habere spondent. A conditionum quoque varietate dividitur Fœdus in *Æquale*, & *Inæquale*; eodem modo quo societates privatorum sæpè geometricâ proportione hinc pecuniæ operarumque conferendarum rationem, indè lucri damnique partes moderantur. Ad inæquale fœdus refertur jus clientelare. Inprimis enim patronum clientesque inter fœdus est; non enim subditi fiunt ejus quem libertatis protegendæ causâ adsumpserunt, *l. 7. ff. De captiv. cap. Ex parte.* ✠ *De privil.* sed tantùm Majestatem ejus comiter observare debent, & annuâ pensione fidem remunerari, expensasque defensionis sustinere. Verùm quia potentior ille patroni titulo Principem se levi momento gerere possit, quomodo Romani hoc prętextu dominatum suum extenderunt: consultum clientibus est, ut disertè jura Majestatis sibi excipiant in fœdere, ejusque instrumentum penes se retineant, tollendæ controversiæ; impediendarumque insidiarum causa, arces urbesque suas vacuas à præsidiario milite patroni teneant, eumque non in perpetuum, sed certum usque ad tempus adsumant.

CAPUT III.

De forma Fœderum sanciendorum.

AD majorem auctoritatem firmitatemque publicari fœdera in Senatu, aut Comitiis subinde solent; adhiberique interim Ordinum consensus; præsertim in regno electivo, aut statu Reipub. mixto: ne alioqui fragile fœdus sit, quippe Regem tantum adstringens

ſtringens non regnum. Scriptura quidem neceſſaria non eſt, ſed utilis omnino ad geſtæ rei fidem, explicationémque controverſiarum quæ emergere ſolent: quarum jam antè arbitros conſtitui expedit: quemadmodum hoc fine penes Græcos potiſſimùm erat conſilium Amphictionum. Solent & renovandi fœderis causâ conventus indici. Solennitatibus variis celebrari fœdera & olim & hodie ſolent: mirificum Armeniorum ritum Tacitus refert: *Mos*, inquit, *Regibus, implicare dexteras, polliceſque inter ſe vincire, nodoque perſtringere: mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.* Sed hoc barbarum eſt: ſolenne eſt Jurisjurandi vinculum: quod quidam hac potiſſimùm in parte etiam adſeveratione per fidem impleri putant; ſed efficacius ad religionem animis incutiendam firmiuſque ad adſtringendam fidem eſt, diſertè Deum teſtem invocari; (vide noſtra *C. De reb. cred.*) Legatis ex ſpeciali mandato Principum ſuorum obſtringentibus animos eorum religione. Solent ſæpè obſides præterea dari, proceres nempe quidam aut Principum filii. Aliquando & affinitate fœdera confirmantur.

CAPUT IV.

Quibus modis fœdera finiantur.

Diſſolvuntur fœdera morte Principum, lapſo tempore quod præfinitum iis fuit, finito bello cujus causâ inita erant, perfidiâ alterutrius partis De ſingulis breviter videamus. Pacis conventio haud dubiè & ſucceſſores obſtringit: tum quia pax perpetuam habet cauſam: tum quia Princeps non tam ſuo nomine quam Reipublicæ (utique & poſt ſecula ſemper ejuſdem, atque ita immortalis) paciſcitur de tranquillo ejus ſtatu. Solet aliquando caveri, ut etiam in ſucceſſorem continuetur fœdus: idque ratum procul dubio eſſe debet. Aliquando etiam in perpetuum fœdera ſanciuntur: id quod quidam multis incommodis obnoxium putant, exemplo privatarum ſocietatum, quas in æternum coiri leges vetant: alii verò contrà ſentiunt in liberarum Rerumpub. fœderibus: dummodo ſubinde renoventur: nam hîc quoque obtinet proverbium, *Multas amicitias diremit ſilentium.* Plerumque comprehendi tempus ſolet: quod certum reddi, non verò generatim longum nominari, aut arbitrio utriuſque partis relinqui, expeditius eſt. Cum Bello cujus causâ initum fœdus eſt, etiam finitur: quomodo Societas diſſolvitur expleto negotio cujus gratiâ contrahebatur. *l. Actione. 63. § Item. ff. Pro Soc.* Hoc tamen intelligendum, ſi diſertè in cauſam belli initum fœdus, non etiam ſi id ſolum occaſio fuit: magnum enim perfidiæ ſpecimen ſit, liberatum belli metu, qui impulerat ad ſociorum fidem confugere, eam violare aut adſpernari. Denique quia fruſtra fidem quis implorat, quam ultro violavit: unâ parte infringente vel unum ex pactis, altera quoque vinculo fœderis liberatur. Vide noſtra *C. De Condic. ob cauſam datorum.* Fides enim & Jusjurandum cùm individua ſint: meritò qui vel unum pactionis articulum, idem totum fœdus rupiſſe cenſetur. Neceſſe tamen eſt dolo malo, vel quæ hunc repræſentet negligentiâ ruperit: quia bonæ fidei, & quam illa exigit æquitati, *l. Bona fides. ff. Depoſ.* contrarium eſt, moroſè aut callidè alterius fidem cavillari, ut ruam exuas. Quod Jureconſultus dicit: *Non congruit bonæ fidei de apicibus juris diſputare*; id hîc potiſſimum valet: refugiendumque ab eo quod proverbio notatur, *Occaſionem quærit qui ab amico recedit.* Quæri poteſt, an Reſpublica converſo ſtatu priſtinis fœderibus adhuc teneatur? Ut enim iiſdem manentibus hominibus non idem tamen Chorus eſt, qui ex comico in tragicum tranſivit: ita quæ ex tyrannide ad libertatem emerſit Civitas

vitas alia videtur, neque proinde pacta illa ad hanc pertinent. Vide Arist. 3. *Polit.* 2. & 1. Sed hæc quoque subtilitas simplicitati bonæ fidei contraria & latebram (ut eum Tullio dicam) perjurio quęrens, improbanda est, si modò populus, vel qui hunc repręsentant Ordines, fœderi consenserant: aliter enim si interpreteris, integrum erit convertendo civitatis statum, fidem evertere, fœdusque eludere. Sic Societas quoque non ideo dissolvitur, quod socius postea emancipatus aut arrogatus fuerit. Quod si vel Princeps vel Optimates, fine consensu populi ad suam ambitionem, non ad commune bonum, fœdus percusserant, is eo non tenetur, Republicâ in Democratiam versâ.

CAPUT V.

Quæstiones duæ.

ILlud eleganter quęritur, duobus sociis invicem vi certantibus, an & cui opitulari tertius debeat? Et ferè recepta hęc est distinctio: ut si simpliciter amicitia inita sit, non sit ex officio unum promerendo alterum offendere; atque tunc demum alterutri auxiliandum, cum disertè de mutuis auxiliis conventum est; & quidem antiquiori, vel, temporis discrimine cessante, artiùs fœderato. Quod si & hae parte pares sunt, inhortabitur tertius, ut controversiam arbitrio submittant, & uter arbitrium adspernabitur, contra eum alteri armis adsit. Sed videamus, an huic distinctioni non sit adjiciendum aliquid. Inprimis enim intuendum à qua parte justitia stet: nam certè huic succurrere ex fœdere tenetur: & proinde eo salvo impugnare alterum poterit dum tamen antè eum de jure causæ admonuerit: non enim eodem actu quo officio fœderis fungitur, violare fœdus videri potest. Sed hoc ita demum valebit, si causa & jus liquidum sit: si enim ambiguum aut obscurum (ut sępe) videtur: utrique salutarem operam navabit, monendo, instruendo, reconciliando: quam si uterque adspernari pergat, & ex fœderis lege ad auxilium tenetur, id antiquiori pręstabit, aut aliàs (ut suprà diximus) conjunctiori: quod si hęc discrimina non dispartiuntur officii necessitudinem, quiescet. Sin alteruter tantùm æquas conditiones vel judicium & disceptationem repudiat, contra hunc succurret alteri. Porrò cum vicini nullo juncti fœdere armis decertant, an & cui accedendum sit, ambigi solet? Quibusdam enim placet, alieni certaminis discriminibus se subducere, tanquam id tutius; neque faces & materiam suggerere incendio, quia id justius; denique & utile esse, intentum in occasionem potentiæ suæ amplificandæ, observare mutuis fortasse cladibus debilitandos. Aliis verò periculosissimum videtur otiosum hoc dimicantium vicinorum spectaculum; ob ferociam insolentiamque victoris, qui felici temeritate prolectante cupidinem imperii, in prędam hunc quietum corripere solet, non minus justam offensæ causam existimans, quod suppetias negavit, quàm si oppugnasset. Sive enim quievisse formidine & detrectatione periculorum credit; facilè aggreditur, quem ob ignaviam contemnit: sive captavisse opportunitatem putat invadendi mutuis cladibus enervatos; justè, quia suo exemplo, eum se opprimere posse in animum inducit. Igitur dicendum, priorem sententiam utilem esse ei qui potentiâ longè præstat; alii verò alteram. Porrò in utrius partes concedendum? Quidam dicunt: *Fatis accede Deisque & cole felices.* Quod non utique probo: magisque dixero, Justitiæ accede, & ejus Vindici Deo.

CAPUT VI.

Legatorum usus, definitio, distinctio, dotes.

DEinceps quædam de Legatis disseramus, quoniam per eos conficiuntur fœdera, ut alia cum exteris negotia solent. Hos Cyrus magnum Imperii

perii instrumentum putabat, per quos non bello & vi, sed suadâ & gratiâ obtineret quę ex usu essent. Xenoph *lib* 8. Usu enim compertum est, non expedire Principum congressus inter ipsos, quia per ęmulationem alter in altero notet quod despiciat, perque ambitionem nunquam se pro merito cultos putent: adeò hac in parte verum est, *Majestati majorem è longinquo reverentiam esse*. Legatus est qui mandato Majestatis ad exteros solenniter mittitur negotiis suo interventu & prudentiâ conficiendis, non imperio sed suadâ. Toto enim genere diversi sunt, qui in Jure Legati Proconsulis dicuntur, quibus is Jurisdictionem mandabat. Dixi *solenniter*: quia illi qui sine pompa mittuntur vel minuendis sumptibus, vel quia dignus consessus negatur, vocantur Agentes: dignitate Legatis, non securitate impares. Posita definitio à Legati honore separat, quos Princeps ad subditos, aut hi ad illum mittunt: quemadmodum distinctè vulgò illos Commissarios, hos Deputatos appellant. Unde plerique putant, iis quos subditi in seditione, ut solet, ad Principem amandant, non competere securitatem Legatorum, sed comprehendi ad supplicium posse, spargendo in alios terrori. Intelligendum verò id non est, ubi ita æquales ferè partes populum distraxêre, ut dubium sit, penes utram sit Jus Reipublicæ. Nam Tacitus atrocius etiam putat, in Civili, quàm in externo bello violasse Legatos. Sed quidam ut dignationem Legati missis per seditiosos (tantùm enim Actores vocari possunt) negant; ita securitatem pessimo publico detrahi putant. Sed prior opinio ad normam Juris; ista ad Prudentiæ momenta aptior est. Qualescunque enim conditionum Internuntios à seditiosis missos mulctare, quid aliud est, quàm omni transactionis spe abruptâ, & insigni crudelitatis (ut ipsi interpretabuntur) specimine, illos ad extrema & præcipitia consilia impellere? Quid, quòd Internuntii illi sæpè à seditionis contagione immunes sunt, & à quibus (propter fidem) mulceri aut sanari alii possunt: aut, si nihil aliud, per hos moras nectere Princeps potest, inter quas pravus ille impetus animorum residat. Legatorum varia discrimina constitui possunt, inprimis adspectu illorum ad quos mittuntur; quidam namque ad hostes, alii ad socios, alii ad medios. Jam & commercii varietas discrimen facit: quidam enim ad negotia, ut fœdera, commercia, affinitates contrahendas amandantur; alii tantùm Officii causâ, nempe gratulandi, consolandi, gratias agendi. Distingui quoque à tempore possunt: alii enim ex occasione, nec in longum; quidam ex destinato & quasi in perpetuum leguntur. Hi veteribus incogniti, non aliud ferè mandatum habent, quàm providendi ne quid detrimenti capiat status ejus, à quo mittuntur. Et in his major quàm in illis sapientia desideratur. Qualis quantusque esse debeat qui in legatum legatur perspicuum est cogitantibus, hunc Principem repræsentare: hujus ille forma adspici, hujus ore loqui, hujus denique pectore sapere videtur. Igitur nec corporis dignitas omnino insuper habenda: nam hęc apud multos muta quasi eloquentia est: ea autem præcipua dos est legati (unde & Orator dicitur) hinc nec monendum est, eum legari utiliùs, qui Interprete non indigeat. Hic quippe tantùm à sententiis alienis decidit; quantum imago à veritate naturæ. Facundiam requirimus naturæ instinctu validam, arte adornatam, judicio temperatam: ita ut ars naturæ impetum formet, judicium ipsam artem abdat. Sic enim Facundia naturæ candorem referens minus formidolosa est; magisque reverenda, quia non artificii subtilitate, sed exacta notitia usuque rerum vigere videtur, & ex prudentia fluere. Sine his dotibus illa *dicendi copia torrens*, non aliud est quàm vel Dicacitas ridicula, vel Garrulitas inverecunda, vel Blandiloquentia vernilis, vel Cavillatio

villatio scholastica. His ubi optimè res succedit, tantùm aures scabunt, non animos conciliant aut movent. Vera eloquentia ex mentis fonte, multis magnisque scientiis irrigatæ, exundat. Quomodo Socrates quemque facundissimum in ea re putabat, quam penitus animo perspectam comprehensamque haberet. Specimen Legati, qualem describimus, esse potest Cineas Thessalus, qui (ut Plutarchus ait *in Pyrrho*) magnę prudentię & eloquentiæ laude clarus. Demosthenis, quem studiosè audiverat, in dicendo vim & gravitatem repręsentabat; & cum Pyrrho agens, ab eoque ad civitates dimissus, reipsa confirmavit Euripideum Eloquentiæ elogium:

Orationem conficere omnia vi sua,
Quacunque ferrum hostile possit exequi.

Fatebatur quippe ipse Pyrrhus, plures Cineam urbes dicendo, quàm se armis cepisse. Vigor sanè præsentis ingenii Legato convenit, & ad respondendum ex tempore quod ex re sit, & ad cavendum fraudes ferè blanditiis velatas, denique ad penetrandum in sinus intimos animorum. Quidam tamen eos legari dissuadent, quorum nota & celebrata sagacitas est. Quod sanè verum est in calliditatis aut cavillationis nota, aut aliàs si ad rudes mittantur. Sed & universè, diffidentia interiores pervicatioresque facit adversùs eos qui persuadendi arte & famâ excellunt. Animi nec superbiâ turgidi, nec irâ turbidi æquabilitas Legato adsit: ne vel eum cum quo agit contumeliosâ contentione aut jactantiâ, vel eum à quo missus est malignâ & invidiosâ relatione exasperet. Inde enim atroces sæpe turbæ. Ex adverso metu vel vilitate dejectus animus sustinere personam & dignitatem Principis nequit. Ut & mittentis, & ejus ad quem mittitur dignationem auget Legati nobilitas: ita potentiâ & claritudine majorum eminentissimos legari, quidam improbant; metuentes ne hi arbitrio magis suo, quàm ad pręscriptum agere audeant. Illud constat, non infensos, sed gratiosos ei ad quem legantur, id est genio ejus congruos eligendos esse; nec tamen indigenam regionis in quam legatur. Hunc enim Principis nativi reverentia debilitaverit; & Princeps eum ut subditum contemnet: certè tali minùs se coli interpretabitur. Vel unus vel plures legantur, pro negotii, & eorum inter quos agitur amplitudine. Præstat tamen uni summam committi, reliquos Consiliariorum ejus instar esse; ne si pares potestate sint, æmulatione & dissensu se invicem impediant. Excipe negotii confecti supremam manum: huic auctoritatis ergo plures intervenire non abs re est. Sanè legatio, non legio esse debet: hæc enim justè excluderetur, paucis admissis. Plures autem legationes ab uno gerendæ non sunt nisi municipales sint. *l.* 16. *ff. De Legat.* Privata quoque vel clientum negotia simul obire Legatum, quidam negant, *l.* 8. § 2. *l.* 10. *ff. De Legat.* at plerique permittunt. Quod ut probet æquitas, si ejusmodi negotia sunt, ut nullam inde vel moram vel remoram legatio capiat: ita prior opinio ut rigori Juris congrua, ita contra calumniam tuta est. Cur enim intentiorem in commissum negotiolum diligentiam à minutis illis Municipiorum, quàm ab his amplis & justis Legatis exigant leges? Quod verò disputatur, an Legatus agere simul possit negotia subditorum ejus à quo missus est: id affirmem in Legato perpetuo; negem in temporario. Illi enim generale mandatum consulendi in territorio alieno Statui sui domini, cujus dimidia pars sunt subditi ejus. At iste limites mandati non debet egredi.

CAPUT VII.

De Securitate Legatorum: & quomodo excipiendi sint.

Legati ex jure gentium sancti habentur, unà cùm Comitibus suis, quod ad securitatem attinet, etiam penes hostes, inve bello quod legatione pendente exarserit. *l. ult. ff. De Legat.*

Quo tamen casu dimitti solent. Atque etiam bellum denuntiantes tuetur hæc securitas quæ ut veniendi, & mandata explicandi, ita etiam remeandi libertatem continet: quam qui violaverit dedi debet ad pœnam ei qui legavit: *d. l. ult.* potestque eousque quasi obsidum loco retinere si qui penes eum vicissim Legati agunt. Non tamen iis vicem reddet: id enim fit, non vindicare facinus, sed imitari. Vide Sueton. *in Julio cap. 75.* Planè hac securitate non fruuntur, qui contra denuntiationem ejus, ad quem legantur, eunt: potest enim legationibus validè interdici ex justa causa. Quid enim si hoc prætextu veniant, qui subditorum fidem sollicitent, qui semina discordiarum jaciant, qui subdolè explorent & enuntient arcana regiminis? Etenim Speculatores (quamvis in hoc munus legatio ipsis ritè mandata est) Legatorum numero non habentur: qui scilicet aliud agunt, aliud simulant, & specioso sanctæ dignitatis prætextu insidias tegunt. Hi enim frustra (ex sententia plerorumque) fidem legationis implorant, quam ultro violarunt. Idque generale putant, quoties delinquitur contra jus legationis, vel majestatem ejus (facto, non dicto) ad quem missi sunt: & hactenus tantùm ad hos Legatos (qui cum subditi non sint ei ad quem mittuntur, solo Gentium jure censentur) pertinere legem 24. *ff. De Judic.* Quomodo in milite jus distinguit delicta propria à communibus. Exempla tamen illustria & in benigniorem partem exstant, etsi pauciora. Sic Tarquinius Româ ejectus Legatos miserat, qui bona ipsi restitui palam postularent, clam verò de ipso in regnum restituendo agerent: atque hi dum in Senatu super postulatis ipsorum deliberaretur; & colloquiis, & literis Tarquinii eos ex nobilitate, qui liberis ejus familiariter adsueverant, concitavêre. Attamen dimissos Livius scribit. Unde & pronior in tutiorem illorum sententiam sum, qui etiam tales remittendos ad dominum putant, cum elogio criminis, & postulatione vindictæ: tantùm permissâ ei ad quem missi sunt disquisitione fraudulentorum consiliorum, atque etiam machinantium oppressione, ubi ex mora periculum. Nam cùm nihil sit usitatius, quàm sub Legati persona latêre exploratorem: pessimo certè loco erit securitas Legatorum, si statim rapi ad supplicium ab eo poterunt ad quem missi sunt, si is suspicabitur aut interpretabitur eos contra Statum suum quid moliri. Difficilis enim hujus rei modus est. Interim in re atroci & aperta, rigor juris priorem sententiam defendit. Rectè igitur Cominçus 4. *Histor.* contra ejusmodi fraudes has suggerit cautiones, inprimis diligenter ut discernantur Legati qui à Principe populo-ve amico, fido, & candido mittuntur; ab iis qui ab infenso, æmulo, aut aliàs suspecto. His enim, specie honoris illustres fidique Principis amici jungendi sunt, tanquam illorum hospitali comitate percolendis, reverà autem ut ab iis observentur. Per hos arcendi sunt leves, turbidi, & cujusque novi motus cupidi. Denique nec diu tales retinendi sunt; perfunctoriâ tamen humanitate muleendi, ne occasio in querelas suggeratur. Romani non hostium modò, sed & incognitos Legatos extra urbem publico diversorio suscipiebant, & quid vellent per exploratores primò cognoscebant, deinde per minores magistratus visebantur, novissimè iis Senatus dabatur. Iidem Pyrrhum, iidem Eumenem Reges in urbem non admiserunt, quamvis ille pacificationis, iste gratulatum venire vellent. At verò illi Legati in quos suspicio nulla cadit, omni comitate demerendi sunt; promptâque affabilitate iis subinde ipse Princeps se dabit: diligenter tamen ante à consiliariis de negotio instructus, & quid respondendum differendumque præmonitus. Non tamen prolixiori familiaritati indulgebit: tum ne satietas ex adsiduitate ipsum minùs verendum faciat, ut Livius ait, tum quia voluntates ipsorum Principum mutabiles nec firmæ in benevolentia

esse solent. Quod si Princeps formâ gestuve, ingenio vel eloquio ineptus est, raro nec diu Legatis sui copiam faciet. Nam se subducere omnino & per alios audire & responsa dare, etiam magis contemptui Principem objecerit. Ergo Senatui, qui mandata exponentibus dari solet, præsidebit utique Princeps. Illud monendi sumus, Privatis, sine permissu publico agere cum Legatis non licere.

CAPUT VIII.

Quomodo Legatus officium suum rectè explicabit.

UT primum advenit Legatus insinuare se Magistratui debet: ne diutius delitescendo opinionem speculatoris incurrat. Officium Legati generatim in eo versatur, ut mandatum fideliter & peritè expliceet. Sanè proditionis reus est, si quod publicè suscepit persuadendum, id privatim dissuadeat. Ex hac causa Mithridates capite punivit Metrodorum. Is enim Legatus ad Tigranem, ut eum in societatem impelleret belli adversus Romanos; cùm Tigranes admodum id anceps & arduum prospiciens percunctaretur ultro, an id consilium daret: ut Legatus, respondit, suadeo, ut Metrodorus dissuadeo. Plutarchus *in Lucullo*. Atqui si ita sentiebat, potius non suscipere, ut ait Ulpianus, quam decipere debuit. Et mandatum vel liberum esse solet, cum Legati prudentiæ conficiendi negotii ratio committitur; vel definitum, cum certa forma præscribitur. Hinc vulgaris quæstio est, an à mandati forma recedere non liceat si opportunitas utilitasque id requirunt. Et quidam id negant, quia pessimo exemplo imperii religio & obsequii fides dissolvuntur, si mandata quæ quis accepit interpretari & invertere spe & specie majoris utilitatis potest. Athenienses Legatos suos in Arcadiam, quamvis negotio ex votis confecto, occiderunt, quod alio quàm præscripto itinere commeassent. Ælian. 8. *Histor*. Etiam qui hanc sententiam, non tamen hoc exemplum probaverit. Alii verò nullam auctoritatis imminutionem esse dicunt, si circa modum conficiendi negotii potius occasioni pareatur (quæ omnibus humanis negotiis dominatur) quàm formę pręscriptæ; quæ cùm adjici ex abundanti ad instructionem soleat, vix mandati pars est. Cumque ea pro statu rerum, qui tunc erat, temperata fuerit; cur non eo (ut sunt res fluxę) mutato mutari possit? Nimirùm ut in nave dirigenda ventis gubernator, ita in negotiis expediendis occasioni adaptare consilia Legatus debet. Alii verò distinguunt, utrum utilitas quæ aliter agendo captatur re succedente major erit, quam esset damnum fortunâ fallente. Atque eo demum casu priorem opinionem probant: si modò qui mandatum dedit, moribus æquus benignusque & facilis est: aliud suadent, si præfractæ arrogantiæ est. Huic quippe ob pertinaciam, difficile erit, rationem à præscripto recedendi approbare; perque superbiam, nullâ successus felicitate satis pensari putaverit exemplum imminuendæ auctoritatis Imperii. Latè Agellius 1. *Noct. Attic. cap.* 13. Sed & his distinctionibus plures etiam articuli adjiciendi sunt. Inprimis enim interest, tempus patiaturne moras consultandi, an secùs: deinde occasio statusque rerum inopinatus commodiorem negotii viam monstraverit; an verò accuratior subtiliorque cogitatio: præterea inspicienda mandata, utrùm dictione taxativâ formam agendi limitent, an verò laxiora sint: denique multum interest, aliud agatur, an aliter. Etenim nulla opportunitatis felicitas tanti esse debet, ut aliud prorsus negotium, quàm quod ad mandatum pertinet, tentetur; multo minus ut contrarium: sicuti de Metrodoro dixi. Is enim obtendebat (& probabile erat ex caritate in eum Mithridatis, à quo Parens nominabatur) quòd societatem dissuasisset, quò bellum utrique Regi funestum (quod exitus docuit) im-

 pediret.

pediret. Idem proinde dixerim circa modum rationemque negotii explicandi, cùm iis per dictiones taxativas adstringitur. Idem adhuc dicendum videtur, cùm rebus in eodem tenore inventis, diligentior Legati prudentia expeditiorem negotii viam invenerit: his tamen in articulis consultatio ad Principem mitti potest: debet enim generatim explorare & renuntiare quęcunque potest. Planè improvisa im patiensque moræ occasio valere, citra relationem, potest ad recedendum inculpatè à præscripta expediendi nego tii forma, maximè si dictione taxativâ non adstringitur. Quæritur quoque, an compelli Legatus ad editionem Mandatorum possit? Nam videntur sufficere Litteræ fiduciæ, per quas Legati persona adfirmatur, eumque eo gerenda se rata habiturum is qui misit promittit. Igitur Mandatum quidem exhibendum, non etiam instructio, quæ adjungi ci explicando, monstrandæque viæ & rationi conficiendi negotii solet. Vide nostra *C. De Mandatis Princ.* Porrò Legatus id agere debet, ut eum eos ve ad quos missus est, quâcunque honestè potest comitate conciliet; patrii quidem cultûs morumque retinens, non tamen eorum inter quos versatur Instituta superbè reprehendens aut fastidiens, aut sua ambitiosè extollens. Hoc loco quærendum est, an munera Legato fas sit accipere? Quidam enim adfirmant: quia nihil interest, dare Regi, an ab eo accipere recuses. Sic Livius, opinionem superbiæ subisse Legatos Rhodios scribit, quòd munera à Romanis oblata recusassent. Sic Seneca ad Neronem, invidiam deprecans opum ab illo acceptarum: *Una*, inquit, *excusatio occurrit, quòd muneribus tuis reniti non potui.* Si munera non admittas, fastidiri se Magnates credunt, aut suspectari, tanquam hamatam, ut Plinius vocat, liberalitatem exercentes. Adhęc cùm hæc munera in honorem ejus qui legavit offerantur; ineptus vilisque, aut superbus & præfractus Legatus videatur illa repudiando. Quin & Romanis Institutis adscribit Livius, discedentes Legatos comitesque eorum muneribus prosequi. Idque & hodie Regibus solenne. Alii verò alia omnia censent: quia Lex Julia Repetundarum hanc capionem notet: & apud Athenienses capitalis fuit: & penes Corinthios, hodieque penes Venetos gravissimis sanctionibus interdicta. Etenim non minore flagitio Legatus ab eo ad quem missus est dona capere videtur, quàm Advocatus à clientis sui adversario, idquod ad prævaricationem pertinet, nec minorem corruptelę speciem habet, quàm cùm Judex muneribus conciliatur. Notæque fraudes sunt his machinis expugnantium animos Legatorum, fidemque eorum occultè mancipantium sibi. Unde etiam Legatum cautum esse oportet, minimèque credulum, diffidentemque & ad omnem strepitum, non minùs ferè quàm in bello, erectum intentumque. Quid igitur? Quidam distinctione expediunt quæstionem; posterioremque sententiam in negotiis (ut sic appellem) contentiosis, alteram in gratiosis probant; Veluti, inquiunt, si quis legatus conciliandæ affinitatis fit. Ego distinctioni ferè adsentior, non exemplo: nam illud utique negotium controversiis quoque contentionibusque obnoxium est. Exempli igitur causâ nominaverim Gratulationes, Consolationes, Gratiarum Actiones. Igitur ab hoste nunquam Legatus munera accipiet (sunt enim auctoramentum servituris:) ab amico domini sui in causis jam dictis similibusque xenia (talia enim censentur) admittet. Sed & in his accepta dona, ut extra suspicionem sint, indicari à Legato debent Principi suo: eo magis, quòd ejus contemplatione offerri ea quidam ex JC.tis sentiant, utcunque non ipsi, sed Legatis cedere consentiunt. Vide nostra *C. De donat. ant. nup. in fin.* Zoarez *in Recept. Sent. lit. D. num.* 189. Igitur in renuntiatione Legationis, profitenda

tenda candidè sunt oblata acceptaque munera. Qui vetant munera durante Legatione, at eâ expletâ admittunt: non satis cavent. Etenim corrumpentis voto respondêri in ipsa renuntiatione Legationis, & in consiliis pôst sumendis possit. Renuntiatio autem ut accuratior sit, nihil aut amplificans aut elevans, diligenter scripto notanda sunt gesta Legationis. Atque etiam si responsum vel perplexum, vel superbius redditur, instandum est, ut litteris consignatum detur; ne alioqui referentis fides quandoque culpetur, neve in ipsum redundet indignatio ex superbia respondentis exsurrectura. Responsi autem planè contumeliosi non modò non scriptum exigere, sed & referendi ejus obsequium detestari, magis ex dignitate esse videtur: utcunque domi exponi poterit. Nihil enim omnium rerum quæ observavit non modò ad commissum sibi negotium, sed etiam ad statum Reipublicæ, indolem affectumque Principis aut populi pertinentium celare debet. Quæ ut pluribus oculis, auribus, ingeniis comprehendant Legati, adsumere præter ministros, comites solent, ornatûs simul & auxilii causâ.

CAPUT IX.

De Corruptelis Reipublicæ & caussis exitii.

EXplicandum deinceps de Rerumpublicarum corruptelis & calamitatibus est, ut iis quasi morbis cognitis, notiora promptioraque evadant remedia. Calamitates sive corruptelas Rerumpublicarum appello, quibus vel evertuntur, vel pervertuntur, vel convertuntur: suntque vel internæ, ut seditiones, conjurationes, proditiones, & factiones; vel externæ, ut bella. Evertitur Respublica dissipatâ civitate, vel externo imperio adjectâ. Convertitur de uno Statu regiminis in aliud: Pervertitur denique in vitia singulis Statibus adfinia. Sunt quidem & aliæ clades, quæ divinitus ingruunt, ut est terræmotus, qualis sub Tiberio duodecim Asiæ urbes hausit, ut fulmina, quorum ictu Judaïcas quasdam urbes erasas constat, ut incendium, quo tempore Neronis Lugdunum absumptum, Sen. in *Epist.* ut feratum infestationes, à quibus etiam minutis quasdam urbes erutas Plinius memorat. Sed hæc exitiorum genera sub præcepta non cadunt, nisi hactenus ut meminerimus, ea plerumque offensi Numinis vindictam esse. Adeóque generatim Sacræ Litteræ testantur, illas quoque eversiones transmigrationesque imperiorum, quæ politicis caussis adsignantur, nutu cuncta regentis, temperantis, & coërcentis Dei evenire; rarò manifestâ & directâ vi Majestatem suam asserentis exserentisque (neque enim id eam deceat) sed plerumque per causas medias; quarum serie fatum Stoïci nectunt. Hinc plerumque licentiâ, discordiâ, temeritate (quæ ex flagitiis diu prosperis aut inultis redundant) seipsas Respubl. præcipitant; & quam privata meruerunt ruinam flagitia, eam publica attrahunt: divinâ utique Justitiâ temperante. Nam ut à flagitiis caussas suas interitus trahit, ita sæpe imprudentia accedit aliàs prudentium, & temeritas circumspectorum. Hominum enim consilia corrumpit Numen, ut per eos suum exequatur. Hoc & Solon testatur in illo inclyto de causis Respub. subvertentibus carmine. Quidam Fatum, &, sine irritamentis & adminiculis scelerum, inter causas ponunt exitiorum civitatum: quippe quod res humanas hac notâ à divinis distinxit, ut non minùs fluxæ sint, quàm ipsi homines; similesque quamvis dispares, per vices oriantur, crescant, floreant, occidant. Unde ipsum felicitatis fastigium præsagium esse solet ruinæ. Sed & hìc civitas ipsa in exitium sui cum Numine quasi conspirat. Nimia enim felicitas luxum gignit, & (ut cum Livio dicam) libidinem pereundi perdendique cuncta per voluptatem: superbiam gignit, quæ & Deum provocat ad clades, quæ humanæ fragilitatis admone-

moneant, *Proverb.* 11. & temeritate atque ambitione majora viribus tentat, ita ut vel in conatu ipso succumbat, vel etiam per ea quæ obtinuerit oneretur. In hanc sententiam Claudianus 2. *De Laudib. Stilicon.*

...... Cætera regna
Luxuries vitiis, odiisque Superbia vertit.
Sic malè sublimes fregit Spartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit. Sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses.
Subjecit Persen Macedo, cessurus & ipse Romanis.

Sed frustra Romanos excipit. De quibus pulcherrimum est Petronii carmen inducentis ditem, qui fortunam in exitium rei Romanæ hoc sermone exstimulat:

Fors, cui nulla placet nimiùm secura potestas,
Quæ nova semper amas, & mox possessa relinquis;
Ecquid Romano sentis te pondere victam?

Licet enim felicitas adspirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit, ut Darius apud Curtium ait *lib.* 4. *Neç posse ulteriùs perituram extollere molem?* Nam quæ ad summam pervenerunt, incremento non relinquunt locum, sed *In se magna ruunt.* Addit:

Ipsa suas vires odit Romana juventus,
Et quas struxit opes malè sustinet: adspice latè
Luxuriem spoliorum, & censum in damna furentem.

Admonebat Seneca suo seculo: nimis luxuriosè ostentari Gentium spolia: faciliùs uni populo eripi ab omnibus posse, quod unus omnibus eripuerit. Id quod postea per irruptionem Barbarorum in Italiam, de qua præclarè Puteanus scripsit, evenit.

Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt.
Expelluntur aquæ saxis: mare nascitur arvis,
Et permutata rerum statione rebellant.

Conjungit ecce cum fatali excidio luxum, qui usitata sic fastidit, ut ipsam naturam rerum transformare conetur. Sed ex luxu fœnus est, inde

Et concussa fides, & multis utile bellum,

Ut Lucanus ait, itemque Petronius:

Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus.
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat.
Arma placent miseris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur. Inops audacia tuta est

Desperatio enim temerarios facit: nec quicquam metuit, qui nihil sperat. Ut tamen luxus & æs alienum hæc efficiant, occasione opus est; quæ licet infirmior causa est, eam tamen exsuscitat, & irritat in opus. Occasio autem discordiarum & exitii sæpe à fato est, causa autem plerumque à vitiis flagitiisque. Sed ut à luxu non illico discordiæ, ita confestim avaritia est, quę omne publicum privatumque profamet, quę jura Magistratusque corrumpat. In hanc sententiam Petronius:

Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia patrum.
Est favor in pretio, senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,
Ipsaque Majestas auro corrupta jacebat.

Largitionibus, inquit, favor & Magistratus comparabantur; adeoque ipsa suprema potestas, prodita libertate. Eadem ferè Solon de causis excidiorum Rerump. Primò enim hanc Avaritiam nominat:

Nam pretio quidam vendunt legesque fidemque,
Aurum qui nullo jure modoque petunt.

Deinde sævitiam Magistratuum, injuriasque potentum tenuiores opprimentium:

Sævitiam exercent, rapiuntque tyrannida quidam,
Induat ut justus civibus arma dolor.

Subjungit mox luxum; & inde Peculatus ac repetundarum crimina:

Pars studet & farcire domestica damna rapinis,
Exhausit patrias cùm male luxus opes.
Diripiuntque urbis patrimonia publica nostra
Et sibi divitias vique doloque parant.

Denique

Denique de Impietate addit, irritante Numen in clades:

Sed neque Justitia formidant Numen & iram,
Consiliis Superûm quæ Dea semper adest.
Hæc oculis ceruit vigilacibus omnia facta:
Nemo putet falli Numina posse Deum.
Et quamvis pœnas differt aliquando, tacitque
Mente tamen memori facta nefanda notat:
Exigit & tandem pœnas: nec regna nec urbes,
Effugiunt cladês quas meruêre graves.

Et describens exitiorum genera, addit: Primò dominationem,

Hinc urbs divitiis quondam imperioque superba
Servitii patitur tristia jura modò.

Deinde factiones:

Aut rabidi cives in mutua vulnera stringunt
Exertâ gladios seditione suos.

Mox bella supervacua & viribus majora:

Aut validos hostes sine causa forte lacessunt,
Sopitumque movent quod fuit antè malum.

Illud negari non potest, fatum aliquando imperia euerte urbesque sine adminiculis vitiorum. Eleganter in hanc sententiam Seneca *Epist.* 91. Modò, inquit, fortuna nostras in nos manus advocat: modò suis contenta viribus, invenit pericula sine auctore additque: sine hoste patimur hostilia: & cladis causas, si alia deficiunt nimia sibi felitas invenit. Et mox: Longam moram dedit malis propetantibus, qui diem dixit, non horam, momentumque temporis, evertendis imperiis sufficere. Quę domesticis, inquit, bellis steterant regna, quæ externis, impellente nullo ruunt. Et paulò post: Omnium istarum civitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Non vides, quemadmodum in Achaia clarissimarum urbium jam fundamenta consumpta sint, nec quicquam exstet ex quo appareat illas saltem fuisse? Denique generatim: Casura omnia exstant, omnibus exitus manet: sive interna vis flatusque præclusi violentè pondus, sub quo tenentur, excusserint; sive torrentium in abdito vis obstantia effregerit; sive flammarum violentia compaginem soli ruperit; sive vetustas, à qua nihil tutum est, expugnaverit minutatim; sive gravitas cœli ejecerit populos, & situs deserta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias, longum est. Contra fatum non remedium, sed solatium est ex ipsa necessitate, & lege Universi. In nimiæ autem felicitatis mala remedium est à Censura. *Ideò*, inquit Seneca, *Ep.* 75. *adhibebitur Prudentia, quæ modum illis ac parsimoniam imponat. Quoniam quidem licentia opes suas præcipitat atque urget: nec unquam immodica durarunt, nisi illa moderatrix Ratio compescuit. Hoc multarum tibi urbium ostendet eventus, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt; & quicquid virtute erat partum, intemperantiâ corruit.* Rectè Maximus: Ea demum potentia tuta est, quæ viribus suis modum imponit. Nimirum in felicitate cavendum, ut neque temeritate eam fatigemus, neque luxu exhauriamus. Secundùm hęc quęramus, an Rerump. interitus motusve provideri possint? Nam ut Seneca disserit, videtur fatum novi semper aliquid comminisci, per quod vires suas ingerat: & sæpè ex media serenitate inopinata tempestas exsurgit. Nam etiam causæ politicæ excidiorum à fato temperantur, & sæpè subita levique occasione erumpunt: quâ inhibitâ, sæpè longissimâ tabe Reipubl. corpus macerant, nec exstingunt. Adeoque hæc incerta sunt omnia ut aliquando,

Victrix causa Diis placeat, sed victa Catoni.

Subinde, inquam, iniquis conatibus fortuna adspirat, æquis resistit. Sic Cato, debellató Pompeio, qui pro libertate & Optimatibus contra ambitionem tyrannidemq; Cæsaris stetisse videbatur; multum caliginis res divinas habere dixit, fortunâ quippe ei refragante in causa tam bona, cujus ambitioni toties se indulserat. Quidam

verò

verò calamitates Rerumpublicarum etiam ex astris prospici posse credunt, quippe quorum contagione homines & humana omnia temperentur: alii, conversiones Imperiorum cum certis seculorum periodis congruere asserunt. Addunt & illud, vix unquam ingentes Imperiorum motus sine signis naturalibus emersisse: inde passim in Historiis prodigia cœlo, terrâ, mari, prænuntia civilium tumultuum. Eam quippe esse partium Universi coagmentationem consensionemque, ut nisi naturâ quasi condolente, luctumque profitente per ordinis sui turbationem, pars ipsius nobilissima Homines adfligi publicis cladibus nequeant: vel sæpè in vindictam merentium iræ Numinis conspirent. Vide Lucanum *lib.* 1. Tacitum 1. *Histor.* Lipsium 1. *monitor.* Appositè Tragicus:

Quin ipse diro spiritu sævi Ducis
Polluitur æther: gentibus clades novas
Minantur astra, quas regit Dux impius.

Quid igitur? Signis ejusmodi fides omninò detrahi nequit; sæpè tamen fortuita sunt, & fallacis presagii. Politicæ notæ instruere quidem deliberantem magis, quàm incitare vaticinantem possunt. Nam utcunque ex iis prospici ruina porest Rerumpublicarum, non tamen ad liquidum redigi, ob causas supra dictas: nam, ut Sacræ Litteræ testantur, articulos temporum quibus eventura quæque sunt, suæ providentiæ Numen reservavit.

CAPUT X.

Articulatiùs actum de causa civilium motuum.

HActenus in genere de corruptelis Rerumpublicarum disseruimus, primos earum fontes indicando: nunc proximas causas distinctiùs exequamur. Rectè enim Plutarchus, qui maximum pulcherrimumque Politices opus censet, semina elidere civilium motuum *in Polit. cap.* 74. Qui artes, inquit, curandi educandique periti sunt, illum alveum maximè vegetas continere putant, ubi tumultus plurimum est: at verò is cui Deus ratione prædiri civilisque examinis curam mandavit, tranquillitate ejus felicitatem metitur. Origines civilium motuum pro solitâ subtilitate explorans Aristoteles, examinat hæc tria, quâ opinione affectuque imbuti homines novandis rebus studeant, deinde quid spectantes petentesque, denique quibus stimulis exagitati. Affectionem quod attinet, quidam Arithmeticâ, alii Geometricâ proportione æquitatem metiuntur: illi quia pares omnes esse putant contra eminentes concitantur, quos plus æquo è Republica sibi vindicare arbitrantur. At verò illi qui excellunt, omnia imparia cupiunt, indignanturque vulgo nimis multa cum ipsis communia esse. Atque utrique lubrico errore abripiuntur, quod vel quibusdam rebus (veluti libertate in Democratia) æquales nimis stupidè per omnes exæquatos se cupiunt potentibus; vel hi quibusdam impares, verbi gratiâ opibus aut claritudine natalium, omnem parilitatem aversentur. *Aristot.* 5 *Polit.* 1. Sic apud Livium *lib.* 4. Primores contra Canuleium, id agentem, ut plebi cum patribus connubia essent: illum *colluvionem gentium, perturbationemque auspiciorum publicorum privatorumque afferre, ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit; ut discrimine omni sublato, nec se quisquam nec suos noverit: ut qui natus sit, ignoret cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum sit, dimidius plebis, nec secum quidem ipse concors Jam ad Consulatum vulgi turbatores accingi.* Sed Canuleius contra illos non minùs infensè, & invidiosè: *Lucis vobis hujus partem* (dicebat plebi) *si liceat, adimant: quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis indignantur. Et in patres* iterum: *Quod privatorum*, inquit, *consiliorum ubique semper fuit, ut in quamcunque fœminæ convenisset domum nuberet; ex qua pactus esset vir domo, in matrimonium duceret,* *id*

id vos sub legis superbissimæ vinculum conjicitis, quâ dirimatis societatem civilem, duasque ex una civitate faciatis. Cur non sancitis, ne vicinus patricio sit plebeius? ne eodem itinere eat? ne idem convivium ineat? ne in foro eodem consistat? Ad secundum quod attinet, finis civilium certaminum est honos vel lucrum: itemque ignominiæ aut jacturæ depulsio. Incitamenta porro sunt Avaritia Magistratuum, Contumelia & Superbia, denique vilitas, præterea quorundam Contemptus, nimia unius potentia, immodicum incrementum ordinis alicujus Reipublicæ, magna dispatilitas civium, denique res aliqua ob exiguitatem contempta, & perniciosè serpens. Aristot. 5. *Pol.* 2. Avaritia Magistratuum sive privata, sive maximè publica, invidiâ populum concitat, cum se cernit ab illis non honore tantum, sed quæstu quoque anteiri, vel ob hoc ipsum tam vile studium honore indignis. Superbia autem populum exasperat, cum imperii invidia acerbitate adaugetur; & honore clati alios ignominiâ adficiunt. Metus etiam sæpe ad turbas consternat, quà eos qui sub exemplo acceptæ injuriæ accipiendam metuunt, & prævertere cupiunt; quà eos qui conscientiâ factæ injuriæ id quod meruerunt exspectant. Contemptus verò eos qui protsus à Reipublicæ & honorum consortio removentur incitare solet, ut in Oligarchia tenuiores, in Democratia locupletes. Jam & nimia unius excellentia sæpe libertatem premit, & principatui imminet. Sed & immodicum augmentum unius ordinis civitatem non aliter turbat: quam corpus humanum pes ultra proportionem longus: veluti si nimia multitudo pauperum in Republica exoriatur. Utilitas quoque Magistratuum mutandæ Reipub. occasionem aliquando dedit; si vel sordidi, vel non bene de Repub. sentientes ei præficiuntur. Dissimilitudo civium alimenta seditioni ministrat, si promiscuè urbs peregrinis impletur; hos enim, antequam moribus & institutis coalescant, sæpe tumultuari necesse est: cum aliquando ad æmulationem discordiasque valuerit, civitatem flumine medio separatam, aut partem ejus insulam, partem continentem fuisse. Aristoteles *ibidem cap.* 3. Denique sicuti vastam magnamque civitatis partem absumpturum incendium non utique è sacris publicisque ædificiis exoritur; sed sæpe ex lucerna in humili domo neglectâ, aut quisquiliis incensis: sic non semper, inquit Plutarchus *in Polit. cap.* 76. civicos tumultus exsuscitat de publicis negotiis contentio, sed sæpe ex privatis offensis propagatæ lites Rempub. distrahunt & perturbant: id quod multis exemplis illustrat Aristoteles *ubi sup. cap.* 4.

CAPUT XI.

Remedia in causas motuum proximè expositas.

Æstimanti diligentiùs causas civicorum tumultuum suprà expositas, liquebit, eas ex uno ferè injustitiæ capite profluere. Nec temerè Homerus de Justitia pronuntiavit, quod cœtus hominum jungat solvatque vicissim. Justitiæ fruendæ causâ in societatem homines convenêre; quam dissolvere conantur cum sese spe illâ fraudatos vident. Rectè igitur Aristoteles *cap.* 8. *lib.* 5. in universum contra tumultus civiles hoc certissimum amulectum suggerit; religiosè leges observate: quoties enim violantur non utique statim Reipub. noxa, sed in summa demum apparet: haud aliter quàm prodigos non singulæ expensæ, sed singularum demum cumulus, post seram (ut Proverbium ait) in fundo parsimoniam perdit. Itaque contra Avaritiam Magistratus, Leges Repetundarum & Peculatus; contra Vilitatem, Leges de ambitu exercitæ; contra Contumelias supremum Provocationis jus remedio erunt. Sanè si in populari statu aut oligarchia obtineri potest, ne Magistratus ex Repub. quæstum captent,

jam Plebeiorum contrà illos invidia quiescet, existimantium suum à Repub. otium quod domesticis rebus & quæstui impendunt, paria facere cum excellentiâ Magistratuum; qua ipsi à se divites & simul expectatione præmiorum emeritis solvendorum acquiescant. Aristot. *ubi sup.* Contra Metum quoque adminiculo erunt repræsentata nocentibus supplicia. Magnates, inquit Guicciardinus, ob crimina fraudesque vel non sunt judiciis vexandi, vel ita jam ante clam instructa disceptatione illico nec opinantes corripiendi, ut censuræ aculeum excipiant, antequam perhorrescant; alioqui enim consilio utuntur quod Alcibiades Pericli suggerebat: quem cùm perplexè laborantem in conficiendis rationibus animadvertisset; quin tu (inquiebat) potiùs id agis, ne rationes reddas, quàm quomodo reddas. Periclesque finitimo Athenienses bello implicuit, ne huic negotio vacarent. Maximus *lib. 3. cap. 1.* Itaque id agendum, ut mali nec timeant, nec terreant; quem felicissimum civitatis statum Plinius dicit. Contra nimiam unius excellentiam, inter arcana Rerumpublicarum; quemadmodum contra contemptum in simulacris imperii, remedia monstravimus. Adversùs immodicum incrementum unius alicujus Ordinis, remedio erit oppositis partibus Magistratus præcipuè mandare, ut sic ad libramentum partes omnes redigantur. Alterum remedium est, ut utrique invicem, verbi gratiâ, divites cum pauperibus permisceantur, aut qui in medio sunt illorum evehantur. Ita sublato partium discrimine atque inæqualitate, factiones quoque potentiorum tollentur. Aristoteles *d. cap.* 8. Disparitas nimia civium evitari poterit, non temerè admittendo colluvionem peregrinorum, inhibendoque licentiam privatarum commentitiarumve religionum, educationemque puerorum & institutionem adolescentum ex legum publico proscripto ad unum quasi tenorem, cum forma Reipublicæ congruentem, dirigendo. Atque de his tribus sparsim, ut series rerum tulit, jam antè disseruimus. Denique ne privatæ lites evagentur in seditionem, efficiet prompta, sincera, & rigida Juris administratio, & publica Judiciorum Majestas, inhibitâ, per Romanarum Legum hac in parte severitatem, omni licentiâ privatam per temeritatem vel dolorem suum ulciscendi, vel rem suam sibive debitam ei qui possidet extorquendi, vel duello decertandi. Vide nostra *C. Quand. liceat unicuique sine Judic.* & *C. Unde vi.* & *C. Ad Leg. Cornel* & in *Aphorisf. Jur.* Aliam cautionem Plutarchus adhuc suggerit in *Polit. cap. ult.* ut certamina judiciorum modestè, nudis purisque rationibus peragantur; neque argumenta tanquam jacula maledicentiâ & malignitate acuantur, neque minis ut veneno imbuantur: quomodo eorum qui in palæstra decertaturi erant manibus globos quosdam præligabant, ne in plagam atrociorem exirent.

CAPUT XII.

Species Civilium motuum: & primò de Conjuratione & Proditione.

POstquam distinctiùs de caussis civilium motuum egimus, diligentiùs quoque species eorum persequamur. Quidam enim clanculum ut Conjuratio & Proditio, alii palam ut Seditio, Factio, & (in quod illæ sæpè erumpunt) bellum civile grassantur; quædam denique utroque modo, ut Tyrannis. Conjuratio igitur sive Insidiæ est fraudulenta machinatio plurium vel unius adversùs Imperantes. Proditio autem pari fraude, in subjecta Imperanti loca resve, ut oppida, arces, exercitus, munimenta dirigitur. Seditio est violenta populi concitatio in Rectores suos. Factio est plurium vel potentium è populo in partes inimica secessio. Tyrannis est scelerata Imperii occupatio aut administratio. Primò de Conjuratione dicamus: ea vel contra Imperantem, vel contra Statum (ut Aristoteles distinguit) suscipitur, vel

etiam

etiam contra utrumque. Et ille quidem ejus causas ferè existere ait Injuriam, Metum, Contemptum; finem autem, vel lucrum, vel honorem, vel vindictam, vel denique gloriam quasi pulchri facinoris. Auctores plerumque esse homines bellicæ fortitudinis aut familiaritatis fiduciâ in audaciam præcipites. Injuriam dividit in eam quæ in bona, & quę in corpora vel verberibus, vel stupris, vel in honorem contumeliâ grassatur. Iram quidem vehementiorem esse ait, sed magis improvidam: odium verò callidius in exitium esse. Singula exemplis illustrat antiquis Aristoteles *lib. 5. cap.* 18. Sed fortasse revocari ad duo possunt capita ex, quas ponit, causæ; ad Odium & Contemptum: illud contumeliâ, sævitiâ, rapinis; iste desidiâ, libidinibus, ebrietate irritatur. Sic de Nerone Tacitus 1. *Histor.* quòd illum *sua Immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulêre.* Nam plerumque causæ hæ concurrunt. Sic idem Tacitus de Othone 1. *Histor.* cujus insidiis Galba succubuit: *Othonem*, inquit, *cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimulabant: luxuria etiam Principi onerosa, inopia vix privato toleranda; in Galbam ira, in Pisonem invidia. fingebat & metum, quo magis concupisceret. Prægravem se Neroni fuisse: nec Lusitaniam rursus, aut alterius exilii honorem exspectandum. Suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. Nocuisse id sibi apud senem Principem; magis nociturum apud juvenem ingenio trucem & longo exilio efferatum. Occidi Othonem posse. Proin agendum audendumque dum Galbæ auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset.* Nominat ecce luxum, quæ generalis innovandarum rerum causa, Contemptum, Metum, Iram, sed & Invidiam. Idem Tacitus 15. *Annal.* describens conjurationem Pisone Duce adversùs Neronem susceptam: *Summum*, inquit, *robur in Fœnio Rufo Præfecto videbatur: quem vitâ famâque laudatum, per sævitiam impudicitiamque Tigillinus in animo Principis anteibat, fatigabatque criminationibus, ac sæpè in metum adduxerat.* Nominat & hic Metum, qui id agit, ut *periculosior quies temeritate videatur*, insinuat quoque Invidiam. De ejusdem conjurationis socio Afranio Quintiliano Tacitus ait, quòd *molli corpore infamis & à Nerone probroso carmine diffamatus, contumelias ultum ibat.* Par ferè est quod Seneca de Chærea Tribuno militum scribit *lib. De constánt. cap.* 18. *Huic*, inquit, *Caius signum petenti, modò Veneris, modò Priapi dabat, aliter atque aliter exprobrans armato mollitiem. Coëgit itaque illum uti ferro, ne sæpius signum peteret. Ille primus inter conjuratos manum sustulit, ille cervicem mediam uno ictu decidit. Plurimum deinde undique publicas ac privatas injurias ulciscentium gladiorum ingestum est.* Incitati ad conjurationem indignatione verberum exemplum apud Curtium *lib.* 8. Hermolaus est. Contemptum quod attinet, is potissimum Vespasianum instigavit in Vitellium: Mutianus enim illum exstimulans apud Tacitum: *Nec mihi*, inquit, *major in tua vigilantia, parcimonia, sapientia fiducia est; quàm in Vitellii torpore, inscitia, sævitia. Non*, inquit, *adversùs Divi Augusti acerrimam mentem, nec adversùs cautissimam Tiberii senectutem, nec contra Caii quidem aut Claudii aut Neronis fundatam longo imperio domum exsurgimus.* Quales verò sint, quos ambitio ad conjurationem impellit, Seianus ostendit, qui per intimam familiaritatem insidias Tiberio struxit: quem (inquit Tacitus 4. *Annal.*) *variis artibus devinxit, adeò ut obscurum adversùs alios, sibi uni incautum intectumque efficeret. Corpus illi*, inquit, *laborum tolerans, animus audax; sui obtegens, in alios criminator, juxta adulatio & superbia; palam compositus pudor, intus*

summa adipiscendi libido, ejusque causâ modò largitio & luxus, sæpius industria ac vigilantia. Deinde artes ejus describit: *Irrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando: simul Centuriones ac Tribunos ipse deligere: neque Senatorio ambitu abstinebat, clientes suos honoribus ac provinciis ornando: facili Tiberio, atque ita prono, ut socium laborum non modò in sermonibus, sed apud patres & populum celebraret, colique per theatra & fora effigies ejus, interque principia legionum sineret.* Ex quibus apparet, nimiam unius excellentiam interim ad conjurationem quoque erumpere. Idem Seianus Tiberium ad vitam procul Roma amœnis locis degendam impulit, ut munia imperii faciliùs transmitteret, dulcedine voluptatum in ignavum otium resolutus. Ergò, ut jam ante dixi, Majestatem à contemptu & insidiis asserit industria summi imperii jura per se exercentis. Contra familiarium quoque perfidiam quæ cautio sit, explicitum à nobis est de Amicis & deinde de Consilio tractantibus. Ad remedium in priores causas quod attinet, illæ ipsæ clamant, cum Plinio: *fidissimam Principis custodiam esse, ipsius Innocentiam.* Adhæc remedium est Inquisitio, si nimirum Princeps habeat qui clandestini arbitri sodalitiis primorum interveniant, & ex fide renuntient. Aristot. *Polit.* 5. *cap.* 11. Linguæ enim violentiam temeritatemque verborum quæ in Principem jaculentur nihil aliud esse quam scelesti animi indicem ac testem, dicebat Alexander apud Curt. *lib.* 7. Quid igitur? hoc Principi consultum, ut delatores foveat & calumniarum architectos? ut nec sermonum licentiam (quæ libertatis tantum umbra est) suis permittat? ut lubricum linguæ (contrà quàm Jureconsultis visum) ad pœnam crimenque Majestatis trahat? Nec sub Tiberio cum invaluissent, anxia & pavens civitas, inquit Tacit. 4. *Annal.* satagens adversum proximos: congressus, colloquia, notę ignotæque aures vitari, etiam muta atque inanima, tecta & parietes circumspectabantur. His respondeo: inprimis non nisi in suspectis populis delatores habendi, nec quicquid referunt pro comperto habendum, & calumniæ convicti justissimis suppliciis iræ populi sunt immolandi. Prętereа discrimen esse debet & in sermonibus & in personis & occasione, ut constituerunt Impp. Romani in *l. un. C. Si quis Imperat. maledix.* ubi latiùs nos. Namque rectè Amyntas apud Alexandrum sermonis adversus Majestatem ejus habiti accusatus: *Etiam si militis tui*, inquit, *vel in agmine deficientis & fatigati, vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo ægri & vulnera curantis aliqua vox asperior esset accepta; merueramus fortibus factis, ut malles ea tempori nostro imputare, quàm animo. Cùm quid accidit tristius, omnes rei sunt: corporibus nostris, quæ utique non odimus, infestas admovemus manus.* Igitur si quid verborum contra reverentiam Majestatis, impatientię inconsultus calor, vel dicacitatis insana dulcedo, aut obtrectandi morositas expresserit, id contemnere, clementis magnique spiritus gloriosum experimentum est: certè Justitia exigit, ut ab iis discernatur sermonibus, qui adornandæ, incitandæ meditatæve conjurationis indicium continent. Vide Tacit. 15. *Annal.* Tertium Remedium est, prę mium & impunitas indici denuntiata: quâ viâ plurimæ conjurationes omni ævo detectæ fuerunt. Denique pœna in convictos asperrima. vide *l. Quisquis. C. Ad leg. Jul. Majest.* Nunquamne igitur Clementia hic locum utiliter obtinuerit? *Non est quod existimes*, dicebat ille Alexandro, *eum qui tantum facinus ausus est, veniâ posse mutari. Scit eos qui misericordiam consumpserunt amplius sperare non posse. Quædam beneficia odimus. Meruisse mortem, confiteri pudet. Superest ut malit videri injuriam accepisse, quàm vitam.* Potest tamen aliquando Clementiæ locus

locus esse. Quid enim si continua insidiarum series non reprimitur vindictâ, sed irritatur? nempe medicorum exemplo, cùm usitata remedia in noxam vertunt, contrariis utendum est. Quid si magnæ familiæ columen in hoc facinus vel vecordia, vel impetu quodam impulsum, multis illustribus deprecantibus donandum sit? Vide Senecam 1. *De Clement.* 9. Aliquando sanè tam inusitata Clementia efficacior ad securitatem fuerit, omni severitate; certissimo quippe experimento comprobans, quàm indignus offensâ sit, qui bonitatem suam etiam indignissimis impartitur; quamque à crudelitate alienus, qui etiam à justissima severitate abhorret; quamque salutaris bonis Princeps sit, qui etiam salutis suæ insidiatoribus salutem præstat Aliquando, inquam, id consultum esse potest: maximè si conjuratio suscepta fuerit odio crudelitatis: hujus enim species atque opinio eâ ratione poterit aboleri. Idem multo magis dixero, si tantum scelus non liquidò probetur: quo casu venia danda erit tanquam justè purgatis, non verò tanquam non satis convictis: ne scilicet suspectos adhuc exstimulet Metus. Sic Alexander apud Curt. *lib.* 7. Amyntam fratresque ejus reos Majestatis absolvens: *Vos autem Juvenes*, inquit, *malo beneficii mei oblivisci, quàm periculi vestri meminisse. Eâdem fide redite in gratiam mecum, quâ ipse vobiscum revertor. Nisi quæ delata essent excussissem, valdè dissimulatio mea suspecta esse potuisset.* Similis astus apud Tacitum 1. *Histor. Celsus constanter servatæ erga Galbam fidei crimen confessus, exemplum ultro imputavit: Nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostis metum reconciliationi adhiberet, statim intra intimos amicos habuit:* Atque ut Plutarchus narrat, justiteum causæ magis oblivisci, quam veniæ meminisse. Quæ omnia eò pertinent, ne suspecta reconciliatio Metum gignat: is enim sæpe ad Conjurationem impellit, ut diximus, & exemplum in Antipatro est, qui veneno Alexandrum sustulit, cum ab eo evocaretur penes quem in suspicionem adductus erat criminatione Olympiadis. Curt. *lib.* 10.

Conjurationi finitima est Proditio, difficilior etiam indagatu. Est enim hominum versipellium, qui operosè simulata fide fiduciam sibi conciliantes occasionem perfidiæ captant; itemque Avaritiæ in fas nefasque mancipatorum; & levium, qui non causæ, sed eventui, non juri sed fortunæ applicare consilia solent. Vide Tacitum *in fin.* 1. *hist.* Igitur remedii pars est, indolem proditioni & perfidiæ pronam novisse & cavere; & deprehensos in tanto scelere supplicio afficere; quod Romanis (aliàs clementibus) atrocissimum in hos placuit, descriptum Virgilio 8. *Æneid.*

Haud procul inde cita Metium in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, & sparso rorabant sanguine vepres.

Sed fraus proditionis sæpe mutuâ fraude dissolvi debet. Apud Antigonum Regem insimulabatur proditionis Python Præfectus Mediæ, tanquam qui exercitum conscriberet, pecuniasque hoc fine describeret. Rex quippe simulavit se non credere, adeoque ei se confidere jactitavit, ut quinque millia Macedonum armatorum & Thracum, & mille custodes præfecturæ ei mittere destinaverit: Illectumque hac fiduciâ & honore Pythonem, eique capessendo adventantem, receptumque in medium exercitus sine tumultu unà cum sceleratis conatibus oppressit. Polyen. 4. *Stratag.* Pariter Leuco compertâ quorundam ex Trierarchis proditione & transfugiendi ad hostes consilio, comprehendi præcipuè suspectos, sibique sisti jussit. Quos mox admonuit, indignos ipsorum fide famaque rumores fraude inimicorum sparsos; & ne his calumniandi audacia cresceret cladem aliquam quam fortuna tulerit, ipsorum ad perfidiam referentibus, de-

stinavisse se à prælio ipsos separare. Utque fidem faceret candoris sollicitudinisque de fama & securitate ipsorum, familiares ipsorum Magistratibus ornavit. Bello autem confecto, securè cum illis judicio disceptavit, curiâ inclusis: convictosque immisso milite trucidavit. Polyen. 6 *Stratag.* Sic nimirum agendum cùm alieno tempore deteguntur insidiæ; ut eùm vindicari sine motu nequeunt, arte quadam distineantur. Tunc, ut Tacitus ait, ***unicum insidiarum remedium est, si non intelligantur:*** nam si deprehensos se resciverint, etiam necdum certa aut matura sceleris consilia pręcipitabunt; Rati, ***non esse cunctatione opus, ubi perniciosior quies est, quàm temeritas.*** Sunt & aliç artes opprimendi sine motu proditores aut transfugas. Hannibal cùm sciret proxima nocte ex suis transfugisse aliquos, versarique suis in castris exploratores: palam pronuntiavit: non oportere fidelissimos commilitones transfugarum nominibus infamari, quos emisisset ipse ad speculandum conatus hostium Exploratores id Romanis renuntiaverunt, qui transfugas illos manibus mutilatos Hannibali remiserunt. Non absimilis solertia Hamilcaris fuit: qui eum auxiliares Galli jam dudum adsuevissent transire ad Romanos, fidelissimos subornavit qui simularent transfugium, Romanosque excipiendorum eorum causa ex more fidenterque & secure progressos ceciderunt. Sic enim in posterum quoque veris transfugis fidem ademit. Hanno quoque eùm comperisset Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia, indignatione non soluti stipendii, ad transitionis consilium concitata esse: quia intempestativa animadversio erat, delinivit eos promissione additamenti & liberalitatis, pensaturæ moras solutionis. Interea occasione quæsitâ, dispensatorem suum ad Ducem Romani exercitus misit, qui tanquam conturbatis rationibus transfugiens, significavit quatuor millia prędatum emissa, posse excipi. Ille lectissimos in insidiis collocavit: à quibus Galli illi excepti, & cædendo quosdam ex Romanis, & cadendo omnes ipsi, utrimque Hannonis animum expleverunt. Neque tamen non poterit à sincera benignitare aliquando remedium peti: hac enim Cl. Marcellus fidem sibi obstrinxit Battei Nolani, populariumque qui ex eo pendebant, quosque ille ad defectionem sollicitabat, in gratiam Hannibalis, à quo inter Cannenses captivos ex vulnere curatus, & ad suos remissus erat. Igitur Marcellus, cùm videret hunc beneficio hosti conciliatum, metueretque supplicio ejus reliquos Nolanos concitare, sibi quoque beneficentia gratiam ejus promerendam ratus: testimonio fortitudinis, nunc primum sibi renuntiatæ, eum delinivit, secumque morari jussit, & verborum honori fidem donato equo adjunxit. Frontinus 3. *Stratag. cap.* 16. Pari benevolentiæ significatione Q. Maximus sibi Starilium clarę industrię equitem transfugium meditantem, feliciter reconciliavit: conquestus, quod ad eum diem, invidiâ commilitonum, virtutem ejus ignorasset. Nec longè aliâ ratione aut successu Philippus Macedo Pythiam quendam strenuum, sed ambiguæ fidei, militem sibi devinxit, sanatâ offensâ, quam is conceperat ex angustia rei familiaris, indigna tam nobilibus quas ediderat operis. Frontin. *lib* 4. *cap. ult.* Denique Diodorus Amphipolim præsidio tenens, duo millia Thracum, quæ in direptionem urbis conspirasse conjectabatur, simulatione & specie opprimendi paucas naves quæ proximo littori applicuissent, emisit, ac deinde clausis portis non recepit. Frontin. *lib.* 3. *cap.* 16. Hæc igitur perinde & circa conjurationem obtinent. Cùm Hanno nimiis opibus elatus dominationi immineret, destinato internecioni Senatu veneno patrandæ in epulo quod occasione nuptiarum filiæ apparabat: Senatus per ministros re detectâ, ut funestas epulas alio & honesto prætextu declinaret,

Legem

Legem sumptuariam sancivit communi luxui, potissimùm in nuptiis, reprimendo: ne conscius detectæ fraudis, eam in vim præcipitem (id quod contigit) converteret. Justin. *lib.* 21.

CAPUT XIII.

De Seditione: Quæ in Nascentem, quæ in Adultam remedia.

Supra egimus de seminibus Seditionis supprimendis: quod si præverti non potest, proximum est crescenti adhuc occurrere; dum intra querelas paucorumque contumaciam consistit. Statim igitur advertet Princeps, mittetque ex Proceribus gratiosum aliquem & facundum, qui inhortetur ut querelas & desideria in libellum conferant, deinceps à clandestinis cœtibus & conciliis abstineant; & jure niti se ostendant, ab armis & omni specie violentiæ refugiendo: nihil adhuc quod cuiquam crimini aut discrimini sit futurum admissum esse; ultro enim desiderare Principem pro Justitia sua, instrui de injuriis populi; si quid, ob tentu auctoritatis ejus, durius constituerint Præfecti Magistratusve; quæ suâ vel æquitate rescindere, vel clementiâ mitigare, pronus promptusque sit, vel etiam (si causa exigat) securitati populi in futurum quoque consulere per severitatem distringendam in Magistratuum licentiam insolentiamq; Secundùm hęc utrimque injuriis quà verbis quà facto inferendis interdicatur: inque fidem & protectionem Principis recipiantur illi quibus vis intentatur: isque cognitionem causæ repræsentet, definiatque moderatè & quà fine damno Justitiæ aut Reip. potest, desideriis medeatur. Nam ut pulcherrimè Plutarchus *in præf. in Phocion.* Quemadmodum Mathematici solem perhibent neque eodem quo cælum motu ferri, neque prorsus tamen contrario, sed obliquo & deflexo cursu leviter incurvis circuitionibus converti, quibus temperiem rebus omnibus salutemque conciliat; ita in regimine Reipub. rectus nimis & per omnia populari sententiæ repugnans tenor, durus est & inhumanus; sed magis etiam proclive in perniciem est, passim illi obsequi, & cum furentibus insanire. At verò aliquando cupiditatibus populi indulgere, neque summó semper jure agere; rursusque reposcendæ gratiæ vicees præparare & nosse, severitatemque & comitatem inter se miscere; id ut difficile, ita longè est saluberrimum: neque hoc temperamento ulla esse potest modorum sonorumque concinnior harmonia: quomodo Deus ipse temperare mundum censetur; non violenter impellendo, sed parendi necessitatem suadelâ quadam deliniens. Quantum fieri potest subtrahenda contentioni materia est: cedendo enim illa subinde elanguescit, pertinaciâ irritatur. Sed Romæ cum plebs magna contentione postulasset jus Consules ex suo ordine creandi, concessumque esset de Tribunis militaribus consulari potestate creandis: contra omnium exspectationem haud dubitantium quin seditiosissimum quemque lectura esset, omnes ex patritiis renuntiavit, *contenta quod ratio habita esset plebeiorum. Eventus*, inquit Livius *lib.* 4. *eorum comitiorum docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatisque; alios secundum deposita certamina incorrupto judicio esse.* Sed addit: *hanc Modestiam Æquitatemque & altitudinem animi ubi nunc in uno inveneris, quæ tum populi universi fuit?* Ideòque ex adverso id videndum, ne, ut idem ait *lib.* 3. concedendo omnia non mitior plebs, sed asperior alia ex aliis iniquiora petendo, cum prima impetravit, evadat. Sic enim de plebeis Quæstoribus factis, *lib.* 4 *Pro ingenti*, inquit, *victoria id fuit plebi: Quæsturamque non honoris ipsius finem æstimabant, sed patefactus ad consulatus ac triumphos locus novis hominibus videbatur: Patres contrà non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremere.* Sed de his jam ante admonuimus. Porrò quemad-

quemadmodum adversus nascentis seditionis rudimenta celeritate opus est, primò (ut dixi) judicii æquitatem, & si illa spernitur, imperii vim exercendo: ita adversus coalitam jam audaciâ lateque propagatam turbarum licentiam cunctatione opus, quod ad vim attinet, non etiam quod ad astus. Illico enim subornandus aliquis gratiâ, fide, auctoritate, eloquentiâ pollens, qui mitigare incipiat. Qualem Poëta fingit etiam inter saxis & facibus sævientes cum silentio audiri, mulcentem iras & regentem animos. Scribit quidem Seneca 3. *De Ira*.39. ubi dicit: *Primam iram non audebimus oratione mulcere; surda est & amens: dabimus illi spatium. Remedia in remissionibus prosunt: nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem movendo incitaturi; nec cetera vitia dum fervent. Initia morborum quies curat.* Sed hanc sententiam sic temperat, ut nolit palam ei occurri: sed *ipsum quoque impetum, quem non audet lenire, fallet.* Quomodo? Idem aget, inquit Plutar. *in Polit. cap.*75. quod in dissidiis amicorum solet: & cum eâ parte quæ injuriâ affici videbitur ita colloquetur, ut ejus indignationisque particeps & ipse videatur: deinde paullatim lenire aggredietur. *Removebit*, inquit Seneca, *omnia ultionis instrumenta: simulabit iram, ut tanquam adjutor & doloris comes plus auctoritatis in consiliis habeat.* Exemplum apud Tacitum 2. *Hist. Fit*, inquit, *alienæ temeritatis comes Spurinna, primò coactus, mox velle simulans, quò plus auctoritatis consiliis esset, si seditio mitesceret.* Exemplum quoque apud eundem auctorem est 2. *Annal.* Crispi, qui subornaverat clientes qui simulatâ conspiratione cùm seditiosis, occasione captatâ, Ducem eorum clanculum abduxerunt in potestatem Tiberii. Addit Seneca: *moras nectet: & dum majorem quærit pœnam, præsentem differet: omni arte requiem furori dabit.* Sic cùm Othoniani Marium Celsum, qui acerrimo contra ipsos ministerio partes Galbæ foverat, ad supplicium tumultuosè flagitarent, Otho *simulatione iræ vinciri jussum, & majores pœnas daturum affirmans, præsenti exitio subtraxit.* Tacitus 1. *Histor.* Exemplum elegans apud Livium est in hanc sententiam. Cùm plebs Campana implacabili seditione in Senatus interneeionem conspiraret, quidam apud populum gratiosus, tanquam proditione Senatûs ei gratificaturus, Senatores omnes Curiâ conclusit, præmonitos secretò collusionis. Mox in concionem procedens: Quas per ancipitem, inquit, Martem alternasque cædes, petituri à nefario Senatu pœnas eratis; earum hodierno die, meâ operâ, liberam quieramque potestatem habetis Non acie ambiguâ subnixi clientum præsidiis vincendi erunt: ex Curia illa scelesta, tanquam ex carcere, eos vestris sententiis exhibebo Ideòque quia tempus & occasio patiuntur, ut antè Reipublicæ saluti, quàm ultioni consulatis: in vicem cujusque de Senatu occidendi alium sublegite: quandoquidem Senatores istos ob scelera, non utique Senatum aversamini & Concilium publicum; quo sublato, necesse foret, vel perpetuis turbis destitutam auspiciis consiliisque Rempublicam agitari, vel in externi Regis populive dominatum oppressâ libertate concedere. Cùmque placuisset hæc sententia: insinuatur quidam in Senatum sublegendus, sed infensi populi opprobriis exploditur: idque iterum iterumque contingit circa alios, qui non minùs viles, infames, aut exosi nominabantur: namque luxus & licentia omnes qui opibus aut dignatione eminebant corruperat. Itaque populus sedatiore jam affectu (quia porestate ultionis, & terrore isto redegisse se in ordinem Senatum credebat) considerare cœpit, quòd scelere & crudelitate nihilo tolerabiliorem statum consecuturus esset: atque ita ceptis destitit. Primum igitur remedium in hujusmodi astibus est: alterum ut ex Ducibus

cibus sive præcipuis secretò corrumpantur aliqui: hi enim ut concitare, ita & sedare tumultum possunt. Vide Livium *lib.* 4 & 6. Populus instat maris est, quod ex se tranquillum flabris ventorum & turbinum concitatur: sic enim iste tribunorum suorum concionibus impelli & perturbari solet. Hi ambitione & æmulatione turbidi, specie tuendæ plebis, & specioso libertatis obtentu contra Rectores suos impellere populum solent; reverà autem, ut regimen sibi sumant, & libertatem opprimant. Itaque si hoc nomine in suspicionem invidiamque rapi apud multitudinem poterunt, ut olim Manlius apud Livium *lib.* 6. id quoque remedium erit. Quartum quoque adjungo, ex sententia quorundam, promittendo omnia largè placare ad tempus populum, dum didueatur; deinde rescindere tanquam vi metuque expressa. Quod vix probaverim. Nam licet Plato moderatoribus Rerumpubl. mendacia interim permittit: aliud tamen, credo, de perfidia senserit. Fides etiam perfidis, sic seditiosis rebellibusque servanda. Privatis quidem vi metuque circumventis Prætor subvenit suo edicto: sed ad id confugere contrarium est Majestati. Scio, temperant sententiam suam, ut promissa quidem cetera exuantur, ceterum impunitas præstetur: sed fides ejusmodi est, ut si religio ejus laxari ceperit; facilè in totum abrumpatur. Quintum remedium est, objecto externi periculi metu, & necessitudine mutui communisque auxilii ad consensionem compellere dissidentes: de quo aliàs dixi. Consortium periculorum (inquit Xenoph. 3. *de Cyr. inst.*) benevolentiam inter commilitones excitat, jam enim gloriæ industriæque alterius aut viribus nemo invidet: sed tales potius conjunctos sibi optat. In modicam certè & teneram adhuc seditionem aut factionem efficax hoc remedium est. Utile quoque est, alio prætextu segregare seditiosos, & divellere consensum in rebellionem: quam sæpe excitat ex frequentia securitas, & ex longa familiaritate fiducia. Verùm hoc remedium magis nascenti aut certè jam confidenti seditioni congruit. Ad dilabentem deflagrantemque seditionem quoque pertinet, in auctores concitatoresque præcipuos animadvertere; *l. Si quis. §. Auctores. ff. De pœn. l.* 2. *C. De sedit.* ubi dixi. remedium enim id adversùs tumultus in posterum est. Ceterùm animadversio hæc uno quasi ictu transigi debet: si enim per spiramenta sævit, in omnes conscios metus dispergitur, incitamentum restaurandæ seditionis. Celeri igitur vindictâ Ducibus correptis, non teneatur multitudo suspensa, sed palam crimine omni & discrimine liberetur: imò absolutio multitudinis antecedat condemnationem Ducum. Si atrocior & cruenta seditio fuit, castigari etiam Multitudo solet, sed internecione abstinendum est: modica irrogetur pœna, & ea potissimùm quæ seditionis materiem supprimat. Dejiciantur munimenta aut arces, si eatum fiduciâ rebellarunt: adimantur privilegia, si iis insolescentes tumultuati sunt: multa aut tributum indicatur, si immodicis opibus luxuriant: si otio lasciviunt, militiâ aut aliis negotiis occupentur. Solent interim & arma auferri ac vetari. Solent & coloniis eductis exonerari, si frequentia temeritatem incitat; vel ex adverso immixtis coloniis cohiberi populi malefidi, & identidem jugum quatientes. Vide quæ dixi accuratè ad *Tit. C. De pœnis.* Illud quæri potest, an non ipse Princeps occurrere seditioni debeat? Sic enim Julius, sic Augustus adspectûs vocisque Majestate tumultuantes legiones sæpè coërcuerunt. Sed aliis hoc displicet. Si enim Princeps spernitur, quod aliud remedium, quàm ut armis & promiscuâ stràge Majestas Imperii vindicetur? Excussâ per seditionem reverentiâ atque obsequio, parum valida auctoritas videtur; incitandæque pertinaciæ fuerit supremum Principem moveri seditione ad congressum, colloquium, blandimenta.

Magis ea decorè per Interpretes admoventur. Sed interesse puto, venerabilis gratiosusque Princeps sit, an exosus aut despectus; tumultusque ad summam Imperii, an municipium unum aut alterum pertineat. Nam si magni momenti seditio est, & Principi auctoritas aut charitas integra, consultum sit ipsum Majestatem suam ferocientibus objicere; non aliàs. Vide *sup. lib.* 6. *cap.* 2. & in *differtat. nost. cap. ult.*

CAPUT XIV.

De Factionibus.

FActiones non minùs seditionibus noxiæ sunt Reipublicæ: quamvis etiam olim quidam eas utiles putarint & securitati Principum adversùs conspirationes, distractâ subditorum consensione; exercitiumque hoc esse & incitamentum animorum. Quemadmodum enim Physici tradunt, inquit Plutarchus *in Agesilao*, lite ex rerum natura expulsâ fore, ut cœlestium corporum motibus torpescentibus, rerum omnium mutationes ortusque inde manantes pariter supprimantur: ita Lacedæmonius Legumlator videtur in Rempublicam immisisse studium contentionis, quasi fomitem virtutis, uti semper aliquid inter bonos dissidii certaminisque esset: eam verò gratiam, quâ cives, non expertis viribus, ultro alter alteri concedunt, ut ignavam sterilemque indignam specioso (quo se tegit tingitque) concordiæ titulo & colore censuit. Huic sententiæ & Homerum aliqui auctorem inscribunt, quippe qui Agamemnonem introducit Ulyssis & Achillis rixâ gaudentem, *Mutua cùm facerent gravibus convitia verbis*: non facturus, nisi præstantium heroum æmulationem Reip. salutarem credidisset. Sed ipse Plutarchus id non nisi de modica æmulatione & civili contentione admittit: magna enim, inquit, in magnas Reipublicæ clades erumpit. Ego vix modicam Magnatum discordiam probandam puto: nisi Tyrannis forte, quibus Aristot. hoc fine suadet summas præfecturas non uni sed duobus pari potestate mandare. Nam ut Seneca ait 3. *de Ira.* 8. *Alit seipsam Contentio: admissos arctiùs tenet. Faciliùs est se à certamine abstinere, quàm abducere.* Hoc ipsum igitur in factiones remedium est, prima potentium certamina, ordinumque aut urbium teneras adhuc contentiones, vel arbitrii æquitate sanare, vel auctoritate imperii exstinguere, divellendo & locis muniisque segregando æmulos, & clientes facesque factionis graviter coërcendo. Ex prava & pudenda causa scorti nimirum ejusdem amore, inter Themistoclem & Aristidem exarsisse contentio à quibusdam traditur, quæ in publicis quoque negotiis illos colliserit. Obtrectabat Themistocles gloriæ & auctoritati Aristidis, ejusque consulta & decreta interpellare ubique ardebat; Aristide, quamvis aliàs justissimo, vicissim connifo ad evertendum illius conatus etiam Reipublicæ salutares: idque partim sui defendendi, partim potentiæ illius inhibendæ causâ, ne nimia Reip. incumberet. Sed aliis faciliùs hoc tam specioso prætextu, quàm conscientiæ suę approbare vir optimus studium æmulationis potuit: & aliquando excedens concione, ubi Themistoclis salubria consilia eluserat, ultro professus est: Res Atheniensium salvas esse non posse, nisi se cum Themistocle in barathrum pręcipitassent. Sed hęc contentio citra exitialem factionem stetit, moderatione Aristidis: qui ad sua consulta proponenda alium quempiam submittebat, ut sic Themistoclis æmulationem fallerent: adeoque in perplexis Reipublicæ rebus ultro illi fasces submittebat, ut in commune consuleret. Plutarch. *in Arist.* At cum certamina hæc vel ordines urbesque, vel proceres committunt ambitione & irâ pertinaces, in funestas factiones erumpunt. Tacitus de Seleucensibus 5. *annal. Quoties*, inquit, *concordes agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere*

senſere dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocant, accitus in partem, adverſus omnes valeſcit. Etenim, ut Livius ait, hic exitus factionum eſſe ſolet, ut pars Domeſtico certamine inferior, potius hoſti ſe jungat, quàm civi cedat. Sed ille ipſe, ut Tacitus oſtendit, qui in auxilium accerſitur, opportunitate diſſidiorum, & ſuperbia præſtitæ opis elatus, vel Dominum, vel hoſtem mox agit. De Rhæginis Juſtinus ſcribit *lib.* 4. quod *cum diſcordia laborarent, civitaſque per diſſenſionem diviſa in duas partes eſſet, veterani ex altera parte ab Hiera in auxilium vocati, pulſis civitate contra quos implorati fuerant; & mox cæſis quibus tulerant auxilium, urbem cum conjugibus & liberis ſociorum occupavere.* Exemplis in hanc rem hiſtoria omnis abundar: unum etiam promam quod ob oculos ponat perniciem quæ ex paucorum etiam procerum factione exiſtit. De Vitellio Tacit. 2. *Hiſt. Munia imperii*, inquit, *Cecina ac Valens obibant, olim anxii odiis: quæ bello & caſtris malè diſſimulata, pravitas amicorum & fœcunda gignendis inimicitiis civitas auxerat; dum ambitu, comitatu, & immenſis ſalutantium agminibus contendunt comparanturque, variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus.* Sed quis fructus aut finis? *Cecinna æmulatione*, inquit Tacitus, *invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteiretur, ipſum Vitellium prævertit, & ad hoſtem transfugit.* Ex his illud quoque apparet, remedium in factiones eſſe, ſi ambitio coërceatur. Plato 7. *de Repub.* potiſſimùm in multitudine clientum. Hi enim facem æmulationi ſuggerunt, dum hinc inde patronos ſuos contendunt, & ſuum diverſi præferunt: atque ita *ex horum certamine*, ut cum Agellio *lib.* 14. *c.* 3. dicam, *ad illos quoque contagium certationis adſpirat.* Solon in ardentium jam factionum remedium legem tulerat, quæ exilio & infamiâ mulctabat eos qui neutri ſe parti junxiſſent. Plutarch. *in Solon.* Non enim ſinceri in patriam animi videtur, ei periclitanti non adeſſe, jungendo ſe ſtatim parti meliori; ſed ſecurum certaminis ſpectatorem, quo fortuna victoriam eò fidem inclinare. Bonos quoque & quietis amantes intentiores reconciliationi fore ratus eſt, ſi ſe quoque diſcrimine certaminum involvendos ſcirent: adeoque ab his potiſſimum reſtitui concordiam poſſe, dum partem cui ſe ſociarunt majore fide & auctoritate leniunt, & adverſariis conſultum cupiunt. Agell. 2. *Noct.* 12. Alii tamen legem improbant, medioſque probant ut arbitros futuros majoris utrimque fidei. Namneque in affecto corpore, inquit, Plutar. *in Polit. cap.* 73. ſanitatis initium exiſtit à membris pariter morbo correptis, ſed cum integrarum partium temperies prævalens vim naturæ infeſtam à reliquo corpore depellit. Sic qui à factione ſeſe immunes exhibent non modò quicquid eſt civium patriæ & pacis amantium ad ſe attrahunt, & materiam incendio ſubtrahunt, ſed illorum quoque ſanitas paulatim per ceteros diffunditur, exempli hortationiſque afflatu. Non enim inviſi ſunt quod ſocietatem faciendæ injuriæ deprecantur; ſed apud utramque partem gratioſi, cujus vices ex æquo dolent, & æquales ſe arbitros conciliatoreſque exhibent. Sed mihi videtur utraque ſententia in tempore probanda. Aliquando enim charitas ſocietaſque unius partis ſimulata fundamentum fuerit auctoritatis pignuſque fidei ad illam mitigandam, nec alienandam tamen alteram: Quid enim ſi quis parti ſe adjungat cui multis devinctior nominibus & venerabilior multiſque meritis probatus eſt? Ille certè ſic efficacior erit reconciliator. Præterea quid ſi quis parti ſe applicet manifeſtè à Repub. ſtanti, quam altera oppugnat? Laudabiliùs certè in partes venit, quam ſi medium ſe gereret. Aliquando è contrario veniendo in partes omnis auctoritas arbitri exuitur; quid enim ſi quis virtute eximius, & ob

ob tranquillitatem utrique parti charus, seriò se alteri admisceat? Quid si exiguæ aut nullius dignationis vir partis unius studium simulet, ut sic parta fide eam moderetur? Ridiculus nimirum erit, aut etiam suspicione perfidiæ exosus. Lege tamen generaliter cogi singulos ad partes, periculosum videtur. Quotusquisque enim cum Cicerone 6. *De Rep.* sentit: *in dissensione civili, cùm boni plusquàm multi valent; expendendos cives non numerandos?* Quin potiùs cum Cælio ad Cic. *lib.* 8. *Epist.* 14. judicant: Quamdiu civiliter sine armis certatur, honestiorem sequi partem oportere: ubi ad bellum & castra ventum sit, firmiorem; & id melius statuere quod tutius.

CAPUT XV.

De Tyrannide. Ejus Origo, definitio, distinctio, consilia & actiones.

INter labes Reip. morbosque lethiferos etiam tyrannis est: quia ferè illâ salvâ, nec ferri, nec tolli potest. Hanc Plato sic describit: Tyrannis, singularedominationis caput, tunc oritur, cum is qui leges contumaciâ suâ ruperit, simili Regûm conjuratione adoptatus imperium invaserit; constituens deinceps ut omnis civium multitudo desideriis ejus & cupiditatibus parens, obsequium suum tali fine moderetur. Apuleius *de Philosoph.* Duplex autem ejus est species: namque vel scelere dominatio occupatur, vel justo titulo quęsita per scelera exercetur. Utriusque originem sic explicat Aristot. 5. *Polit.* 10. Plerique, inquit, Tyranni ex Demagogis exstiterunt, fidem criminandis optimatibus consecuti. Exemplum in Pisistrato, qui describente Justino *lib.* 2. *voluntariis verberibus laceratum corpus populo ostentans, de crudelitate Principum, à quibus hæc se passum simulabat, queritur: adduntur vocibus lacrimæ & invidiosa oratione multitudo credula accenditur: amore plebis invisum se Senatui affirmat. Obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxilium: per quos occupatâ tyrannide; annos* 33. *regnavit.* Quædam tyrannides (inquit Arist. secundam speciem describens) ex Regibus coörtæ sunt, patria instituta violantibus, dominatumque sibi liberum in suos ut servos vindicantibus. Præterea quidam quoque nimiâ populi indulgentiâ pasti, & magnis diuturnisque Magistratibus elati Tyrannidem sibi stabilivere: quidam occasione discordiarum in Oligarchia, & potentiæ suæ fiduciâ dominos se gesserunt. Ex his perspicuum est, quos regiminis ratione Tyrannos Aristot. appellet, qui nimirum civitatis legibus oppressis, quæ gubernationi ipsorum tempetabant, eam ad solutam jure dominationem extenderunt. Discrimine Regis Tyrannique hoc illustrat: Ille, inquit, antiquitus ex principibus civitat[illegible], quò eos à licentia plebis tueretur, constitui solebat; iste verò ex plebe, ut vindex ejus adversus optimates. Regnum imaginem aliquam Aristocratiæ habet: vel enim ob virtutis admirationem, vel ex nobilitatis prærogativa, vel in magnorum gratiam meritorum, vel ob claritudinem rerum gestarum creati ab initio Reges fuerunt. Justin. *lib.* 1. *in princ.* Tyrannis verò similitudinem gerit Oligarchiæ & Democratiæ vitiosæ. Cum illa enim hoc commune habet, quod maximum imperii momentum in opibus ponit, unde & ad satellitium, & ad voluptates alendas copiæ suppetat; itemque quod multitudinis benevolentiæ diffidit. Cum ochlocratia verò hac familiaritate jungitur, quod animis, genere, opibus eminentes odit, premit, exstinguit. Tyrannus totius imperii regimen suis utilitatibus metitur: Rex autem omnium saluti invigilans id agit, ut locupletes ab injuriis plebis, tenuiores autem à potentium contumelia vindicet. Regis enim scopus quò collimet est honestum; Tyranni verò jucundum: unde ex commodis hic divitias, ille gloriam præoptat. Sed quædam ex descrip-

ſcriptionibus iſtis Ariſtotelis nimis rigidæ ſunt: & lubricum eſt, unâ formulâ Tyrannum definire: differt certè ab illaudato & vitioſo Principe. Quomodo ille ultra vitia majorem malitiæ indolem conſtituit, quam feritatem appellat: ita Tyrannus immanius quiddam eſt malo aut iniquo Principe. Ergo ex omnium æſtimandus eſt conſiliorum actionumque ſerie & tenore: quæ rectè Ariſtoteles ad tria capita revocat. Tyrannus enim his opinionibus penitus imbutus eſt, hæc maxima arcana & ſalutis pignora exiſtimat: Animos civium frangere, vires minuere, conſenſum divellere: ut dejectiores infirmioreſque ſinguli ſint, diffidentioreſque univerſi quàm ut audeant vel poſſint jugum excutere. Hinc igitur ſcelera Tyranni ut arcana dominationis, ut remedia inſidiarum, ut inſtrumenta regendi amplectuntur & exercent. Nam primum illud decretum ſecuti contundendi civium ſpiritûs, præmia amicitiamque in viles, improbos, aſſentatoreſque; odium verò & ſupplicia in generoſos, rectos & liberos diſpenſant. Illos enim ut fanda & nefanda laudaturos, omniumque promptos ſcelerum miniſtros, nec ſuo quicquam judicio, ſed omnia ex illorum libidine æſtimantes amplectuntur. Bonos verò magnanimos, illuſtres averſantur, exiliis cædibuſque tollunt, partim reverentiâ, ut qui diſſimilitudine vitæ ipſis flagitia exprobrent; partim invidiâ, quia per illos ipſis ſolis eminere non licet; partim denique metu, ne impatientes ſervitutis, quâ indigni ſunt, libertatem vindicent. Igitur ſub illis conſideratus ac ſapiens eſt, qui ætatem in tenebris agit, inquit Plinius; claritudinem enim famæ aut natalium ſuſpectam habent. Hinc ad ſuum Traianum Plinius: Tandem ergo nobilitas non obſcuratur à Principe, ſed illuſtratur: tandem illos ingentium virorum nepotes illos poſteros libertatis nec terret Cæſar nec timet: quin imò feſtinatis honoribus amplificat atque auget, & Majoribus ſuis reddit ſi quid uſquam ſtirpis antiquæ. Tyranni verò omnem civium excellentiam exoſi, etiam in ſcientias earumque Antiſtites ſæviunt, ut Domitianus olim: Plinius *in Panegyr.* Tacitus *in Agric.* inſenſiſſimâ verò æmulatione ſtrenuos premunt & militiâ claros. Sic Plinius Traianum laudans quòd diſciplinam caſtrorum, & militares artes refoverit: *Quippe*, inquit, *non is Princeps, qui ſibi imminere, ſibi intendi putet, quod in hoſtes paretur: quæ perſuaſio fuit illorum, qui hoſtilia cùm facerent, timebant. Eodem ergo tempore militaria ſtudia, nec animos modò, ſed & corpora ipſa langueſcere, gladios etiam incuriâ hebetari retundique gaudebant.* Sed ut militari laude inclareſcere aliquem ex civibus Tyranni averſantur: ità plerumque, ut Ariſtoteles tradit, bellum ex bello ſerunt, quo magis neceſſarii videantur, & opes civium atterant, vires diſtringant, animos foris occupent: hoc enim ſecundum arcanum habent, infirmos cives facere. Hinc illos tributis exhauriunt, hinc per fas nefaſque augendo fiſco ſtudent, cujus cauſam nunquam eſſe malam, Plinius dicit, niſi ſub bono Principe. Hinc populum ſupervacuis operibus fatigant. Exemplo ſunt, inquit Ariſtoteles, Ægyptiorum Pyramides, ſive monumenta regia & ſepulchra: eòdem pertinet coloſſus, quem ex voto Cypſellus Corinthiorum tyrannus extruendum curavit; itemque Polycratis Samii inſana opera, dum immani ſumptu foſſam per montes deducit, dum in ipſo mari portum molitur, dum immenſum univerſi orbis templum ædificat. Tertii dogmatis quo tyrannicæ mentes imbuuntur, creandæ diffidentiæ populi inter ſe, hæc ſunt conſectaria: clanculum diſcordias ordinum movere; & plebem cum nobilitate, locupletes cum divitibus, quin & amicos cognatoſque invicem committere. Hoc fine delatores & emiſſarios ſuos habent, quos civium ſanguine & prædâ ſaginant: utque

diffidentes invicem subditos præstent, quasi ignotos reddere conantur, *adempto* (ut Tacitus de Domitiano ait *in Agric.*) *per inquisitiones & loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam*, inquit, *cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quàm tacere.* Igitur Collegia quoque & sodalitia civium, & publica convivia abolent: servos quoque adversus dominos, uxores in maritos instigant aut subornant, ut Aristoteles annotat, monstrantque iis crimina quæ deferant. Id quod Domitiano familiare, Traianus prorsus aboleverat præclusa Domesticis omnibus accusatione in patresfam. De quo Plinius: *Reddita est*, inquit, *amicis fides, liberis pietas, obsequium servis: verentur & parent & dominos habent. Non enim jam servi Principis nostri amici, sed nos sumus: nec pater patriæ alienis se mancipiis chariorem, quàm civibus suis credit.* Id quod Tyrannis usitatum Aristoteles ait.

CAPUT XVI.

Tyrannidis detestatio & miseria.

HÆc igitur Tyrannorum consulta atque acta, crudelia, scelerata, immania: sed quæ profectò non minus ipsis gravia, quàm subjectis incumbunt. Adeò illud Attali verum est: Maximam partem veneni sui malitia ipsa bibit: Miseros Tyrannus facit, sed invicem miser est, terret alios, sed invicem timet; servitute suos premit, sed vicissim servus est. Gravissimè sanè Tacitus 6. *Annal.* Si remotâ fortunæ & externâ pompâ, tanquam scenico apparatu, nudæ inspiciantur *Tyrannorum mentes & recludantur, posse adspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur.* Socratemque hujus auctorem sententiæ insinuat; qui apud Platonem *lib.* 9. *De Repub.* evincit ipsi civitati quam regit similem esse Tyrannum; nec minùs in animo ejus, quam in illa, angores, tumultus,

Luctus & ultrices posuêre cubilia curæ.

Platonis sententiam pulchro carmine Boët. *lib.* 4 expressit:

Quos vides sedere celsos,
Solii culmine Reges,
Purpurâ claros nitente,
Septos tristibus armis
Ore torvo comminantes,
Rabie cordis anhelos;
Detrahat si quis superbis
Vani tegmina cultus:
Jam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.
Hinc enim libido versat
Avidis corda venenis:
Hinc flagellat ira mentem,
Fluctus turbida tollens:
Mæror aut captos fatigat
Aut spes lubrica torquet.
Ergo cum caput tot unum
Cernas ferre Tyrannos,
Non facit, quod optat, ipse
Dominis pressus iniquis.

Reges amari, Tyranni metui ab omnibus student; sed ideò vicissim omnes metuunt. *Occurrat hoc loco tibi*, inquit Seneca 2. *de Ira* 11. *Laberianus ille versus, qui medio civili bello in theatro dictus, totum in se populum non aliter convertit, quàm si missa esset vox publici affectus;*

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Ita natura constituit, ut quod alieno metu magnum est, à suo non vacet. Leoni quàm pavida sunt ad levissimos strepitus pectora? Acerrimas feras umbra, vox & odor insolitus exagitat. Quidquid terret, & trepidat. Cum à Tyranno, inquit acutè Panegyristes, *tanquam successor timeatur, quisquis est dignior: cùm sit nemo non dignior, omnes timentur.* Sed lubet uberiùs explicatiusque universam Tyrannidis miseriam oculis subjicere, recensendo colloquium Simonidis cum Hierone super privatæ & tyrannicæ vitæ contentione apud Xenoph. *in Hier.* Recenset ille omnes voluptatum species, & primò eas quæ externos sensus deliniunt; affirmans pleniores eas Tyrannis adfluere, conjecturâ ex ductus

quod

quod omnes Tyrannis ut beatis invideant, tyrannisque per flammas & ferrum petatur. Sed Hiero ipse refutans: hunc errorem inexpertorum, & quos externa species & pompa tragica in admirationem impellit: Inprimis, inquit, liberalis est voluptas, quæ oculis capitur, curiosè perlustrantium quæ in variis regionibus, inque celebribus conventibus, vel naturę vel artis genio mira & magnifica. At hæc voluptas privatis libera est, tyrannis negata: quippe quos palatii penetralibus, ut carcere sontes, aut ut gynæcio mulieres, concludit metus. Id quod & Plato notat 9. *de Repub.* An non talis Domitianus? *Quem*, narrante Plinio, *non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper secretumque captantem; nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret. Ille tamen, qui sibi parietibus & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum, & insidias, & ultorem scelerum Deum inclusit: dimovit perfregitque custodias pœna, angustosque per aditus & obstructos, non secus ac per apertas fores & invitantia limina irrupit: longèque tunc illi divinitas sua, longè arcana cubilia, sævique secessus, in quos timore & superbiâ & odio hominum agebatur.* Similis est Phavorini sententia apud Stobæum *Sermon.* 49. Quemadmodum, inquit, feræ retia declinantes in angustiorem se locum recipiunt: ita & Tyrannos est videre recedentes ex Gręcia in civitatem, ex civitate in arcem, inde in domum, postremò in cubiculum. An fieri tandem potest, ut quisquam Deum effugiat? Certè quocunque fugerit deprehendetur à justitia. Porrò Simonides, ut concedam, inquit, oculis vos minus oblectari, at certè aurium delinimentis omnes superatis. Penes vos enim adsiduum est certamen vel concentus potiùs ingerentium laudes: quâ harmoniâ viro generoso nulla potest esse jucundior. Atque, inquit Hiero, ex laudibus voluptas, quibus nec benevolentiam, nec judicium respondere scimus. Pulchrè & verè. Tyrannis nunquam desunt, quibus omnia honesta & inhonesta, ut Tacitus ait, laudare mos est. *Nibil ante*, inquit Plinius, *tam vulgare, tam parvum in Senatu agebatur, ut non laudibus Principis immorarentur, quibuscumque censendi necessitas accidisset. De ampliando numero gladiatorum, aut de instituendo collegio fabrorum consulebamur: & quasi prolatis imperii finibus, nunc ingentis arcus, excessurosque templorum fastigium titulos, nunc menses etiam, nec hos singulos, nomini Cæsarum dicabamus.* Sed an solidum illis inde gaudium, ad posteritatem imò ad secreta ab arbitris colloquia respicientibus, reputantibusque *nullum locum, nullum esse tempus quo funestorum Principum manes à posterorum execrationibus conquiescant.* Quin etiam si laudator loquetur de humanitate, exprobrari sibi superbiam tyrannus credet; cum de frugalitate, luxuriem; cum de clementia, crudelitatem; cum de liberalitate, avaritiam; cum de benignitate, livorem; cum de continentia, libidinem; cum de labore, inertiam; cum de fortitudine, timorem. Plin. *in Paneg.* Simonides longiùs confessionem Hieronis eliciens: at verò, inquit, quæcumque est epulandi potandique voluptas, ea proculdubio in solidum se tyrannis indulget & mancipat. Nequaquam, respondit Hiero, eæ enim voluptates nimiâ copiâ & adsiduitate penes tyrannos sensum sui amiserunt. Sed privatis

Voluptates commendat rarior usus;

earumque ipsis lenocinium ex ipsa spe est, & cupiditate animum in eas penitus intendente; & longiore atque etiam suaviore, quam pro te, imagine detinente. Hinc natalem festumve aliam diem hilares & excipiunt & expectant. Hæc condimenta tyrannis desunt. Hinc Darius in fuga, cum aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius.

Non

Non aliàs videlicet sitiens biberat. Cicero 5. *Tuscul.* Simonides assensus Hieroni de voluptate victus, idem se existimare dixit de odoribus, gratiores eos conversantibus & insuetis, quam habentibus esse. Sed largius, inquit, Venus sua vobis gaudia impartitur; quippe quibus hîc licet, quod lubet. Refutavit & hoc Hiero, eadem ratione. Veneris namque condimentum Amor est, Amoris incitamentum desiderium; desiderii stimulus, difficultas. Hic enim potissimum illud Poëtæ obtinet:

Nolo quod cupio statim tenêre,
Nec victoria mî placet parata.

Nimirum sic amorum Magister tradidit:

Quod datur ex facili longum malè nutrit amorem
Miscenda est lætis rara repulsa jocis.
Dulcia non ferimus, succo renovamur amaro.
Sæpe perit ventis obruta cymba suis.

Sed Simonides longiùs progressus: at, inquit, hac felicitate certè censemini, quod ut res magnificas animo concipitis, ita celeriter conatus perficitis & vota impletis. Adhæc quicquid in divitiis vel ad instructum, vel ad ornatum, vel ad delicias excogitare felicia vota possunt, id vobis abunde suppetit. Jam & amicos conciliandi demerendique, & inimicos ulciscendi aut premendi larga vobis & adsidua copia est. Ad quæ Hiero sic respondit: Quæ in possessionibus splendida, pretiosa, miranda habemus, omnium ferè oculis exposita sunt: sed quæ molesta, gravia & acerba adsunt, ea intimo incumbunt animo, qui fons est felicitatis aut miseriæ. Si insigne generis humani bonum Pax est, minima ejus portio ad nos pertinet; si magna calamitas Bellum censetur, ejus præcipua portio ad nos redundat. Imò vel induciis, vel pace respirant à belli malis cives: at ea adsiduè incumbunt tyrannis, quibus non domi unquam, non in publico securitas aut fida pax suppetit. Enimverò nulli illis sunt sinceri, & quibus fidant amici: cum tamen tantum amicitia bonum sit, ut existimem ei qui amatur bona omnia adfluere à diis & hominibus. In hanc sententiam Plinius: *In Principum domo nomen tantum Amicitiæ inane scilicet irritumque remanebat. Nam quæ poterat esse inter eos Amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur?* Non habet Tyrannus amicos, quia amicus ipse non est. *Neque enim ut alia subjectis, ita amor imperatur: neque est ullus affectus tam erectus & liber, & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat.* Fatetur ipse Hiero, non minus ac privatis notos esse tyrannis qui vel fortitudinis gloriâ, vel sapientiæ admiratione, vel justitiæ gratiâ, digni amore sunt: sed eos aversantur quia metuunt; fortes, ne libertatem vi vindicent; sapientes ne astu tyrannidem evertant; Justos, ne populum in se convertant, desiderantem ab ipsis gubernari. Adeò autem, inquit, Amicitia Tyrannos destituit, ut neque illi charitati, quam naturæ instinctus atque nexus constituit, fidere possint: multi enim omni ævo tyrannidem paricidio vel quæsiverunt, vel stabilierunt, vel denique amiserunt. Quia *cunctis affectibus flagrantior imperii cupido.* Tacit. At verò privati suavissimè in necessitudinum suarum fide acquiescunt: imò legum magistratuumque & mutuâ civium ope tuti agunt, adeò ut homicidæ etiam ex templis ad supplicia abstrahantur; at tyrannicidis, inquit, statuæ in templis aliaque præmia decernuntur. Jam igitur, inquit, metuere turbam, metuere solitudinem, metuere ipsos etiam custodes, ac neque inermes illos apud se velle, nec securè adspicere armatos, an non ingens miseria est? Tum autem peregrinis potiùs, quàm civibus fidere; Barbaris, quàm Græcis? Postremò huc compelli, ut pro liberis servos opes, ex servis liberos facias: an non hęc tibi indicia satis manifesta videntur animi angoribus perplexi, & pavoribus attoniti? Et non immeritò. Quemadmodum enim sus ad cujuscunque contactum miserè vociferatur & se adflictat, conscia non

vellera, non lac, non aliud ex se quàm carnem peti, juxta Æsopi fabulam: ita Tyrannni ad minimum strepitum insidias imaginantur & extremum vitæ discrimen, quam devoveri ab omnibus sciunt. Ælian. apud Stobæum. Porrò non per se solùm, inquit Hiero, amarus animo comes est pavor, sed omnium quoque rerum jucundarum corruptela. Nempe

Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Sicula dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium cytharave cantus
Somnum reducent.

Adhęc ne existimes, inquit, faciliùs Tyrannos votorum damnari, quàm privatos: hi enim modica & parabilia desiderant, domum, agrum, servum: ille autem arces, portus, urbes, regiones; non nisi ingenti sudore & sanguine obtinenda. Quinetiam de plebe homines certare cum Tyrannis opulentiâ possint; siquidem ea non mole rerum aut numero, sed suppetentibus in necessarios usus copiis definitur. Eæ verò faciliùs privato, quàm Tyranno obtingunt, cui tanta pecuniarum vis profundenda in satellitium est. Et quod majus specimen egestatis tyrannicę, quàm quod ad turpem, imò scelleratum quæstum adigitur, sacra & profana, publica & privata vi, fraude, calumniâ in suos usus convertendi?

FINIS LIBRI SEPTIMI.

DIODORI TULDENI DE CIVILI REGIMINE LIBER OCTAVUS.

CAPUT I.

De re militari: quatenus ad eam Cives exercendi.

BEllis Respub. aliquando corrumpitur, aliquandò conservatur, sæpe etiam amplificatur; prout nimirum bonis aut sinistris auspiciis diriguntur: id quod magna ex parte pendet à scientia militari: quæ proinde in Repub. vigere & exerceri debet: quippe absque qua & imperium & libertas precaria sunt, obnoxia libidini ambitiosorum, & violentorum ac ferocium populorum furori. Arist. 7. *Polit. cap.* 9. & 4. Aureo seculo diu dilapso, ęgrè constare regnis inter ipsa concordia potest: adeòque observatum à quibusdam est, singulis verò imperiis divinitus ęmulum aliquem excitari, quò à luxuriosa potentia, & insolenti impotentia refrenentur: Cominę. *cap.* 107. & 108. item Nicætas. Hoc amplius prępotenti pòpulo quies diuturna & immota minimè salubris esse solet: Thucyd. *lib.* 2. pręsertim si olim bellicosus, victorum populorum spoliis incubat. Tunc enim insolitum luxuriosumque & domi tumultuosum

Otium Reges simul & beatas perdidit urbes.

Tunc quod de Romanis Juvenalis scribit

..... Sævior armis
Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem.

Tunc si externa bella desunt, civilia exoriuntur. Tacit. 2. *Histor.* Alcibiad. apud Thucyd. *lib.* 6. Cura igitur virtutis & disciplinæ bellicæ esse moderatori Reip. debet: cum modo tamen. Coli enim res & gloria militaris debet magis ut necessaria, quàm ut optanda; non ut extremum bonorum, sed ut adminiculum. Non potentia, non claritudo, non fortitudo quoque bellicæ rei finis esse debet; sed pax, id est secura libertas. Negotium enim propter otium, labor ob quietem, bellum pacis ergo suscipiendum est. Erraverunt hac in parte non mediocriter Lacedęmonii, qui summum civitatis bonum pugnacitate civium quasi gallinaceorum deficiebant. Arist. 7. *Polit. c.* 14. Illud sciendum, qui populum militarem cupit, venationis libertatem indulgere debere: ejus enim studium prima est juventutis ad rem bellicam conformatio. Xenoph. *lib.* 1. *Cyr.*

CAPUT II.

Methodus Materiæ. Quæ circa justitiam belli consideranda sint?

BEllum vel externum est, vel civile. Cerniturque partim in suscipiendo, partim in pręparando, partim in gerendo, partim in finiendo bello prudentia militaris. De singulis ordine exequemur, & quidem cum venia idcirco, quod nihil trademus nisi fide auctorum quibus ipso usu hæc cognita fuerunt. Igitur non temerè, sed perpenso consilio suscipi bellum debet. Benè ac diu de re semel suscipienda deliberare, maximum est tum lucrum, tum rei exequendæ adjumentum: & in cunctando multa sępe bona insunt, cum

cum de bello suscipiendo agitur: ut Artabanus Xerxi dicebat apud Herodot. *lib.* 7. Igitur Princeps quantumvis liberâ potestate instructus, ante omnia proceres in consilium adhibeat, exemplo Xerxis: apud Herod. *ubi sup.* vel ob hoc solùm, ut eos excitatiores faventioresque habeat. Utilissimum proinde est, Ordinum consensum intervenire. Commin. *cap.* 108 & 110. *cap.* 64. & 109 Consultationis autem duo erunt capita; ut iniquitas absit, utque Temeritas. Inprimis enim, ut eleganter quidam ait Comes Sanpaulus apud Comminæ. id agendum, ut æquitate causæ & belli Deum in partibus suis Princeps habeat. Principes enim qui fas nefasque insuper in bello habent, utcunque subinde iis succedit (utitur enim talibus subinde Numen ut Carnificibus, Commin. *c.* 15. 16. 17.) infelicem tamen tandem exitum habent, Com *cap* 49 mutuis quoque interim cladibus adflicti. Com. *c.* 108. inque magnorum operum molimine, & immani felicitatis fiduciâ immaturâ aut subitâ morte rapi solent, ut Commin. de Carolo VIII. scribit *pa.* 2. *c.* 50. sic Cræsus in potestatem Cyri redactus, sic Cyrus ipse à Thomiri Regina cum exercitu deletus. Herod. *lib.* 1. Belli autem æquitas liquere Duci quoque debet, ut per eum & aliis innotescat, militibus scilicet sociis & vicinis: quos recepta justitiæ opinio faciliùs conciliat & vehementiùs instigat. Xenop. 1. *Cyr.* Æquitas belli in tribus maximè versatur; legitima auctoritate, justa causa, probo fine. Auctoritas indicendi belli inter jura supremi imperii eminet, ut suo loco tradidimus. Causa ad duo ferè capita redigitur, defensionem contra vim illatam, & vindicationem ob injuriam acceptam. Xen. 1. *Cyr. can.* 4 *cau.* 23. *q.* 1. Defensio ex jure naturali licita, etiam in ambiguis causæ momentis: tunc enim ideo invadentis iniqua temeritas est, quia potior semper conditio possidentis. Non tantum autem id ad sui, sed & sociorum defensionem pertinet. *c* 5. & 7. *q.* 3. *cau.* 23. Injuriam quoque illatam ulcisci bello, licitum est: dummodo per feciales res ablatæ repetantur, aut contumeliæ auctores ad deditionem prius flagitentur. *c.* 1. *q.* 2. *cau.* 23 Sic enim apparebit, injuria singulorum sit, án verò Reipublicæ: & tum demùm justâ arma, cùm legibus judiciisque locus non relinquitur. Xen 2 *Cyr.* Atque hactenus saltem iis adsentior, qui denuntiationem exigunt: ut expostuletur scilicet de injuriis & satisfactio seriò postuletur. Quâ denegatâ non ultra id exigo agendum, ut *Professa perdant odia vindictæ locum.* Igitur quod dicitur justâ belli causa ex violatione Legatorum 2. *Samuel.* 10. & 11. intelligitur, si publico consilio illud patratum aut si privatus violator non deditur id postulanti Principi, *can. Dominus. cau.* 25. *q.* 2. Sed & priore casu satisfactione (si, quod rarum, obtineri potest) acquiescendum. Adhæc invasio quoque justa esse potest in nullâ quidem præcipua nobis injuria cognitos, sed qui alios injustis bellis aut tyrannide opprimunt. Imò hæc bella non minùs justa sunt, quàm pulchrum est, generis humani injurias vindicare: id quod Herculem immortalem fecit. In hanc sententiam D. Hieronymus: *Si quis fortitudinem latronis & piratæ & furis enervat, infirmosque eos reddat: prodest illis sua infirmitas. Debilitata enim membra, quibus priùs non benè utebantur, à malo opere cessabunt. c.* 6. *q.* 3. *cau.* 23. Sed non hæc materia ambitionis & crudelitatis quæri debet: diligenterque causa belli à prætextu distinguenda, ut Polybius *lib* 1. monet. Itaque non causa tantùm, sed finis legitimus desideratur; studium nimirum tuendæ vel restituendæ sibi aliisve pacis & tranquillitatis. Rectè igitur Seneca 1. *De Benef. c.* 13. Alexandrum ab Hercule, cujus imitatione gloriabatur, distinguens: *Hercules*, inquit, *nihil sibi vicit: orbem terrarum transivit, non concupiscendo, sed vindicando. Quid concupisceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisque*

pacator? At hic à pueritia latro, gentiumque vastator, tam hostium pernicies, quàm amicorum, qui summum bonum duceret timeri. Existimabat Alexander id ad justitiam belli satis esse, si ex denuntiato gereretur. Plutarch. *in vita*. Alibi *lib.* 3. *Natur.* idem Sophus illa Philippi atque Alexandri bella appellat Latrocinia, quia non alium instinctum, quàm libidinem dominandi; nec alium finem sequebantur, quàm potentiam, & *occisarum gentium gloriosum scelus*. Ista inquit *Epist.* 95. *quamdiu furtim & à singulis fiunt, minus noxia minusque monstrosa sunt: ex Senatusconsultis Plebisque scitis scelera exercentur; & publicè jubentur, vetita privatim. Quæ clam commissa capite luerent, eadem quia paludati fecere, laudamus. Et pro gloria habentur*, inquit alibi 2. *De Ira.* 8. *quæ quamdiu opprimi possunt scelera sunt.* Nimirum

..... *Prosperum ac felix scelus Virtus vocatur.*

Igitur non eventu, non vulgi famâ de belli gloria judicetur, sed ex æquitate causæ, sanctitudine propositi: His destitutum bellum à latrociniis non specie, sed magnitudine id est atrocitate penes Deum distinguitur: tanto illis quoque immanius, quod latrones & piratas plerumque egestas instiget; impiorum verò auctores bellorum insatiabilis cupiditas vel prædę vel triumphi & vanæ gloriæ in cædes impellit. Id Demetrius Pirata Alexandro objecit: ego, inquiens, Pirata censeor, quia navi unâ atque alterâ mare infesto; tu, si Dis placet, Rex, quia classe id agis. Cicero *in fragmen. de Repub.*

CAPUT III.

De temeritate circa bellum suscipiendum fugienda.

SEd etsi justa bellandi causa sit, non statim ad arma procurrendum est.

.... *Ne frana animo permitte calenti; Da spatium tenuemque moram: mala cuncta ministrat*

Impetus.....

Cùm semper, tum hac in parte potissimum inimica consilio ira est: dum quippe in alienam perniciem ruit, suam nec videt, nec vitat. Seneca 3. *De ira cap.* 3. Impetu omnia, nihil judicio agit. Hinc enim est illud Horatii

Vis consilii expers mole ruens suâ

& magnâ clade temeritatem iræ luens. Senec. 3. *De ira* 2. Qualem Xerxem Herodotus, & Carolum Carolesium describit Commin. *cap.* 49. Sic Athenienses inconsulto impetu Siculum bellum suscipientes sese perdiderunt. Thuc. *lib.* 7. Facilè sanè inter potentes exoriuntur bella; sed ęgre deponuntur: Commin. *cap.* 33. *pa.* 2. nam semel commissos hinc ex successu superbia pertinaces facit; inde cladis acceptæ indignatio & cedendi pudor. Antequam suscipiatur bellum præcipiendæ animo clades omnes quas secum vehit, etiam eùm uteunque succedit: & æstimandum, an tanti sit vincere. Ut hostes perdat Princeps, antè ferè hostilia in suos facere cogitur. Desertis aut vastatis agris, penuria & caritas annonæ cives fatigat: semul licentiæ ad vim signo dato, Jus & Judicia languent: adsuetudine rapinarum & cędium indoles populi efferatur: multa contra æquitatem vel pati vel facere Princeps cogitur. Curâ & pecuniâ omni in bellum conversâ, civile regimen negligentiâ labat: infestis per grassantium insidias itineribus commercia fugantur, & pauperantur. Et nondum de infelici bello loquor: quod diteptiones aut eversiones urbium vastitatesque terrarum; strages exercituum captivitatesque civium; ademptiones Imperii, oppressionem Legum & libertatis continet. *Quicquid longa series, multis laboribus, multâ Deûm indulgentiâ struxit, id unus dies spargit ac dissipat.* Seneca *Ep.* 91. Ut hęc non contingant, metuuntur tamen: imò eùm minimè metuuntur, & viribus confiditur, facillimè interveniunt, temeritate vel faventem fortunam fatigante; vel infensæ occasionem

sionem patefaciente. Non igitur ira, superbia, ambitione, aliove affectu in bellum ruat Princeps, sed axactè ante deliberet; & consiliatiorum sententias audiat & dijudicet, singulorum æstimans personas, num lucro aut damno præcipuè connectantur bello. Non desunt unquam in Principum aulis instinctores bellorum, sed sæpè inexperti, & procul à Jove & fulmine constituti, ideoque ferociores. Igitur hi periculis miscendi, Thuc. *lib*. 4. inprimisque ut Mutianus Vespasiano dicebat, considerandus qui suadet est, adjiciatne consilio periculum suum. Tacitus 2. *Hist*. Sed nec militaribus viris semper tutò Princeps in hac consultatione credit: illi enim nihil aliud quàm bella spirant, per quæ virtus ipsorum enitescat. Itaque multi in arma impellunt Principem speciosis prætextibus, reverà autem non Principis, sed suę fortunæ aut animo gratificantes: *Levissimus quisque*, inquit Tacitus 2. *Hist*. *& futuri improvidus, spe vanâ tumens. Multi afflictâ fide in pace, ac turbatis rebus alacres, & per incerta tutissimi*. Quin etiam in hac deliberatione maximè salutare est pręceptum Delphicum, *Nosce te*, ut Socrates censebat. 4. apud Xenoph. ideò fugiendi & hic assentatores sunt, qui per omnia sui Regis opes, vires, terrorem attollunt, hostem verò contemptu extremo elevant. Herod. *lib*. 7. Solent & peregrini potissimum exules ferocissimi incitatores esse; & qui in societatem sui belli pelliciunt, vanissimo tumore vires suas attollere; quibus proinde non nisi re diligenter & cominus explorata accedendum est, ut apud Thuc. *lib*. 4. Nicias admonet 5. & Herod. *lib*. 9. Igitur inprimis videndum, an non vitari honestè bellum possit; & quod bello petendum est, potius astu, comitate, pecunia conficì: quibus Philippus Macedo, itemque Ludovicus 11. sæpius quàm armis utendum putabant. Comin. *c*. 75. *&* 122. Præcipuè verò satagendum, ne bellum vicibus majus lacessatur: cujusmodi esse solet mediterraneorum adversùs maritimos. Archidam. apud Thuc. *lib*. 1. Non qui terrestri certamine valent, utique & navali prælio fidere possunt, ut Polyb. inquit *lib*. 1. Itaque æstimanda hostis conditio est & sua. Est sanè navalis militiæ major commoditas. Xenoph. *De Reb. Ath.* Difficile quoque est gerere bellum longinquum; si nulli in vicinia socii fidi. Pol. *lib*. 1. Thuc. *lib*. 6. difficilius pluribus distringi: quomodo Athenienses magno cum Reipublicæ detrimento Siculum bellum unà cum Poloponesiaco susceperunt. Thuc. *lib*. 3. In hoc igitur articulo rerum, vel cum æquiore, vel cum potentiore hoste transigere expedit: Thuc. *lib*. 4. Comin. *pa*. 2. *cap*. 25. 26. *&* 27. Sic Romani cum Carthaginensibus fœdus inivetunt ingruente tumultu Gallico. Polyb. 2. Sed & generatim, propè cum Pindaro dixerim, vel iniquam pacem justo bello antcferendam esse: Thuc. *lib*. 4 quod tamen Polybius rectè temperat, dummodo civitas, libertas, majestas non perdatur nec duriores ipsis belli cladibus conditiones pacis recipiantur: Polybius *lib*. 4. neve mollitie, & quietis amore, timiditate, & tędio molestiarum belli, pacis bona, id est libertas & tranquilla rerum suarum possessio in perpetuum abdicentur aut amittantur. Thuc. *lib*. 1. *in Orat. Corint*. Illud quoque sciendum, non utique securum belli invitamentum esse discordias hostium: sed potius ipsâ securitate illæ alendæ sunt, ut ingravescant. Comin. *c*. 105. Ceterùm nihil usitatius, quàm externum metum domesticę discordię remedium esse. Livius passim, & Nos *sup*. Porrò suscipienti bellum id curæ esse debet, ut quicquid domi æmulum & infensum est id concilietur, quicquid ægrum refoveat, quicquid suspectum custodiat. Thuc. *lib*. 4. Et vicissim in civili bello videndum, ne res externæ sine cura habeantur: Tac. 1. *Histor*. quomodo Vespasianus limites Imperii muniebat, adversùs Vitellium bellaturus. Tac. 3. *Hist*. Vicinos quoque consi-

considerarę debet, & observare bellum suscepturus: si enim infensi sunt, facilè cum recens exorto hoste se conjungent: Sic Galli, sic Boii, sic alii adventante contra Romanos Hannibale, pariter in eos insurrexerunt. Polybius *lib.* 3. Quod si potentior vel æquior hostis populum vicinis exosum aut formidolosum inclinare ceperit; promptissimè ab iis impellitur in ruinam: hac occasione Illiricorum regnum facillimè Romani eruerunt. Polyb. *lib.* 2. Hîc igitur potissimum obtinet proverbium: *Ruente quercu, quilibet ligna colligit:* ita vicini vi, fraude, vel ex societate cum victore labentis regnum lacerant & singuli portiunculam ad se trahunt. Commin. *pa.* 2. *cap.* 46. Itaque longinquam suscepturus expeditionem componere ante regnum, & cum vicinis stabilire pacem debet. Polybius *lib.* 5. *de Philippo in Illiricum profecturo.*

CAPUT IV.

De præparandis bello necessariis, ut pecunia, commeatu, armis.

Sequitur de pręparando bello, id est omni ejus instrumento tempestivè conquirendo; veluti est Pecunia, Commeatus, Arma; præterea administri & adjutores; nempe Socii, Duces, Milites: qui ipsi faciliùs parantur, cùm priora illa suppetunt. Quod dicitur, Principium dimidium esse operis: verissimum est circa apparatum. Hic jam antè ex destinato reconditus, id efficit, ut toto pectore patrando bello Dux & miles incumbant: atque ita alacriùs id celeriùs & feliciùs conficiatur: quemadmodum ex adverso ubi annona aut pecunia in ipso opere desunt, omnia tumultu, discordiis, seditionibus ęstuant, ut Polybius notat *lib.* 5. Igitur ex composito jam antè Ærarium militare esse debet: quale Augustus habuit, in quod post civilia bella centesimam rerum venalium inferri curavit. Tac. *lib.* 1. De commeatu pariter Cambyses filium Cyrum admonet apud Xenoph *lib.* 1: ne ejus parandi curam in necessitatis articulum differat, sed eum struat aut suppleat, cùm nondum deficit. Nondum enim indigens commeatus, faciliùs eum obtinueris, auctoritate integrâ, quàm eâ per egestatem & militum querelas imminutâ. Etenim in commeatus penuria incipit querulus & contumax miles esse, nec imperio vel persuasione facilè regitur. Acrior quandoque miles si commeatus non inopia, sed exiguitate premitur: semper tamen obsequentior in copia est. Itaque & in itinere faciendo designandus aliquis qui commeatum curet: Cyrus apud Xenoph. *lib.* 4. & in collocandis hibernis accuratè ratio ejus habenda: durissimi enim hostes & inexpugnabiles fames & frigus: Cyr. *ib* qui si evitari nequeunt, præstat maturè exercitum dissolvere; & per urbes dispergere, Cyrus *ib.* Centurionibus quoque incumbit, inspicere quantum quisque miles sibi commeatus paraverit, & negligentes coërcere: Ducis verò est, mercatores ad castra præmiis aut privilegiis incitare. Cyrus hanc expeditissimam commeatus rationem putabat, si miles aquam bibere adsuescat, ciboſque probabat maximè salsos, acutos & mordaces. Xenoph. *ibid* Non castris tantùm, sed & urbibus quibus obsidionis periculum aut finitimus hostis imminet de commeatu providendum. Polyb. *lib.* 1. Castrorum autem commeatus munitâ arce custodiendus, neque facilè universus uni loco credendus: huic enim acerrimè insidiari hostis solet. Polyb *lib.* 4. *De villâ Thalamo, quam Philippus ideo obsedit.* Sic Romani Agrigentum magno commodo; Polyb. *lib.* 1. itemque Hannibal Neapolitanam arcem expugnaverunt. Polyb. *lib.* 3. Telorum quoque & quicquid ad vim inferendam aut arcendam utile reposita esse copia debet, id quod Armamentarium vocatur: simul enim tormenta bellica & machinas intelligo: in quibus & nova excogitanda sunt: Xenoph. *lib.* 1. *Cyr* quippe

pe quæ dum incognita sunt validiorem metum incutiunt, tum quod nihil contra ea provisum hosti, tum quod quousque eorum vis noxia eruptura sit, cum stupore & angore sollicitus hæret. Sic Romanos diu perturbaverat Hannibal elephantis objectis Polyb. *lib.* 1. Hoc igitur fine in belli instrumento habendi quoque illi Mathematici qui mechanici appellantur: Sic enim Archimedis unius ingenium obsidionem Syracusarum fatigare & tardare potuit. Polyb. *lib.* 8.

CAPUT V.

De Sociis & Militibus colligendis. Nativus an externus miles utilior sit? Item pedes, an eques?

Deinde adjutorum in bello cura esse debet: veteresque socii accersendi, & novi pelliciendi; Thuc. *lib.* 2. ostensâ, quà fieri potest, periculi communione, Xenop. 1. *Cyr.* saltem ex potentia hostis si vicerit invalitura ad vicinorum injurias aut metum. Polyb. *lib.* 1. Veteres quoque hostis inimici aut æmuli resuscitandi. Polyb. *lib.* 3. Id agendum, ut antè tecum quoque diffidentes vicini, sanatis simultatibus, syncretismo quodam conspirent contra hostem, edocti ad illos quoque pertinere causam saltem exemplo. Thuc. *lib.* 6. Aliquando quoque speciosus titulus, veluti iniquè oppressos in libertatem vindicandi, plures conciliat cupidine gloriæ. Præcipuè autem curandum, ut urbes mari propinquæ, vel sociæ vel amicæ habeantur; ob oportunitatem commeatus & copiarum. Xenop. *De Rep. Ath.* Porrò ita societates colligendæ sunt, ut tamen præcipua fiducia & momentum virium in nativo milite sit. Cives, inquam, armis exercendi & militiæ adaptandi sunt: longè meliores futuri utilioresque externis militibus. Illis enim certior fides ex affectu in patriam, in penates, & charissima pignora: isti verò ut animam ita & fidem pecunia æstimant, majore ex adverso mercede non difficiles capi. Igitur & mansuetior domesticus miles in agricolas & cives, ut suos; in quos externus tam crudelis esse solet, quàm in hostem ignavus. Jam & ad obsequium magis compositus ille, patientior quippe imperii cujus jugo adsuevit: at verò alter alienigenam & temporarium dominum non perinde reveretur. Denique externus miles ærarium exhaurit & Rempublicam eviscerat, civesque pauperat; domesticus verò non civitatem tantùm, sed & suos interim lares spoliis instruit & locupletat. Externæ copiæ periculosæ certè sunt: Thuc. *lib.* 1. & 6. nam si iis solis cives fidunt ipsi ignavi & militiæ inexperti, insignis exercitus strages totam evertere Rempublicam possit, quia non sit in promptu subsidium ullum aut repagulum hostis victoriam persequentis. Polyb. *lib.* 1. & 6. *de Carthaginensibus post primum bellum punicum penè eversis.* Præterea externæ copiæ, si ex iis Respublica pendet, adeò sunt infidæ, ut nec tutò inducantur in oppidum, ubi non major civium numerus: Polyb. *lib.* 2. sic enim olim Messana & Rhegium capta fuerunt. Polyb. *lib.* 1. Remedium aliquod in hujusmodi perfidiam esse potest, si conjuges & liberi militum, id est charissima pignora retineantur. Polyb. *lib.* 1. Jam & non persolutis stipendiis externæ copiæ facile ad seditionem erumpunt: Polyb. *ibid.* in quam remedium aliquod esse potest, si locis aut cohortibus segregentur Polyb. *ibid.* Hinc apparet frivolum esse quod quidam objiciunt, incitamentum ferociæ, audaciæ, & seditionum esse, si cives armis exerceantur. Adjiciunt & illud, gentem aliam bellicosiorem aliâ esse: ideoque circa externas copias liberiorem feliciorem que electionem esse. Verùm utrique quod fingunt incommodo occurrere poterit dilectus & disciplina: de quibus mox explicabitur. Domesticos milites dividit Lipsius in Ordinarios qui ex professo militent & hoc unum agant; & in Subsidiarios, qui demum ingruente periculo

culo in centurias cohortesque suas conveniant, aliàs negotiis singuli suis, artibusvè, potissimùm agriculturæ vacent. Nam ex pagis & quidem sparsim hos conscribi, id quoque fuerit inhibendæ seditionis: tum quod rustici innocentiores, quietis amantes, ambitionis expertes; tum quod patentibus campis dispersos non irritabit ad rebellionem fiducia ex propugnaculis, aut securitas ex frequentia. Ordinarios minore quàm alteros numero, & hos quoque in pace diductos esse, securius sit: ut olim Romæ Prætoriani erant. Quos Seianus tyrannidi inhians primus una in castra collegerat, *ut simul imperia acciperent, numeroque & robore & visu inter se, fiducia ipsis in ceteros metus crearetur*. Tacit. 4 Porro ex ordinariis illis stipatores Regis esse, ærario consultius sit, exemplo Regum Ægyptiorum. Herod. *lib.* 2. Nam & æquissimum erit, magnam horum militum partem in Regia urbe agere: quicquid enim hoc oneris est minus certè id gravari debent illi cives ad quos ex præsentia regis & aulæ plurima commoda adfluunt. Hi Prætoriani, cùm bellum aut tumultus ingruet, periculis se pro Rege objicient, non tantum ut milites, sed ut familiares. Centuriones autem, tribuni & quicunque ordines ducunt non à Ducibus, sed ab ipso Principe deligendi erunt; quò magis huic, non illis obnoxii sint. Stipendia his certa magis & fida quàm maxima constitui debent: ut & perfidiæ ipsis mutuæ & tumultibus materies subducatur, & denique disciplina militaris pondere suo stare, & vigere auctoritate possit. Nam & exercendi in pace omnibus bellicorum laborum simulacris erunt, partim ne otio lasciviant primùm, mox ferociant; partim ne ad exardescentis quandoque belli munia minùs alacres sint, adsuetudine & dulcedine gratuitorum stipendiorum. Certo tempore recognoscantur inquiraturque in singulos & qui vel fluxa aequè rula valetudine, vel ignavis pectoribus inscpti militiæ obrepserunt, tempestiva missione ante periculum exonerent exercitum. A copiis sic exploratis novum subitariumque militem differre non immeritò quidam censet, quod navem quæ probaris trabibus est compacta, ab ea quam intempestivè excisæ arbores & obvia quæque non pensatis vitiis ligna componunt. Barclai 4. *Argen.* Neque est quod hujus instituti utilitatem revinci impensâ arbitremur: cum eam abunde compensent pacis & securitatis bona, quæ non alio certiore pignore quàm sic paratis & accinctis copiis asseruntur. Sine his nullum unquam imperium potentiâ floruit. Sic penes Persas assiduorum militum decem millia erant; qui proinde immortales dicebantur. Herod. *lib.* 7. Sed & eo leviores hæ impensæ videri debent, quod indigenas vel cives, non peregrinos ditent. Sanè non supra ærarii vires copiæ hæ esse debent: Thucyd. *lib.* 2. Etsi aliàs numerum præfinire difficile sit. Sed & bello ingruente, id videndum ne major exercitus conscribatur quàm cui alendo & conservando commeatum & perfugium terra ac portus præbere possunt, ut Artabanus Xerxem monebat. Herod. *lib.* 7. Denique cùm milites partim pedites sint, partim equites, contingit de horum prærogativâ dubitari. Veteres enim Equitatum ferè præferunt: quippe sine quo nec roboris ferè satis sit in hostem fugientem. Xenoph. 4. *Cyr.* Thuc. *lib.* 6. Sed ut ad prælium præstantior equitum usus; ita peditum ad totum bellum, quippe quorum non tantùm in patentibus campis, sed & in salebrosis impeditisque locis vis valet: minusque ærario graves sunt.

CAPUT VI.

De Dilectu militum.

Milites boni & strenui dilectu excerpuntur; disciplinâ fiunt aut conservantur: in quibus proinde magnum momentum est validæ & felicis militiæ. Dilectus & repetendus sæpius ut

ut in vacantes numeros subjiciantur alii; & non nisi peritis & industriis delegandus; qui patriam, ætatem, Corpus, Animum, vitam scrupulosè examinent: ex istis enim capi conjectura potest indolis ad militiam factæ. Patriam quod attinet, jam aliàs *lib.* 3. *cap.* 1. tradidimus quomodo ad similitudinem natalis soli cœlique, occultà quadam contagione, homines asperiores sint molliores vè. Cyri dictum est apud Herod. *lib.* 9. non eandem terram frugibus & bellatoribus felicem esse. Jejunior terræ gleba duriores homines laboriosioresque facit: at contrà fertilior tellus molles, voluptarios, desides timidosque facit, & fugitantes mortis tot bona incisuræ. Populi igitur pauperes & tenaces disciplinæ Martis maximè alumni sunt, ut Demaratus de Græcis Xerxi dicebat apud Herod. *lib.* 7. Ætas Romanis placuit plenę pubertatis: ea enim obsequentior dociliorque est, & ut Seneca ait agitandis per labores corporibus animisque aptior. Corpus adstrictum præ obeso probatur: hoc enim ipsâ sui mole laborat; illud non æquè lassitudini obnoxium, & ad pernicitatem expeditius est. Statura non utique altissima (ut quibusdam visum) sed mediocer melior est. *Habiliora sunt corpora in bella*, inquit Sen. *de Tranq. cap. 6. quæ in arma sua contrahi possunt, quàm quæ superfunduntur, & undique magnitudo sua vulneribus objiciet.* Frons quoque torva, & oculi acres, &

Hispida membra quidem, & grandes per brachia seta
Promittunt atrocem animum......

Jam & animus vel maximè intuendus est igneus & erectus sit, an languidus & ignavus: aliqua hujus discriminis etiam ex corporis temperamento suppetere conjectura potest; sed certior, quam Socrates suggerit apud Xenoph. *lib.* 3. & Xenoph. *lib.* 1. *de Cyr. instit.* ex honore: nam prout ad hujus gustum vel torpet, vel excitatur, perinde quoque ad pericula vel concidit vel instigatur. Neque sanè omnimodo Aristoteli adsentior, qui *lib.* 3. *Eth. cap.* 11. improbos bello aptiores putat; tanquam faciles ad mortem sint, qui vità viles. Itaque vitæ genus quoque pensandum est: arcebant enim à castris Romani servos criminis damnatos, & infames, itemque voluptuariis aut sellulariis artibus deditos; istæ enim effœminant: malebantque ex agris, quàm ex urbibus militem; quod probem de gregario, ob adsuetudinem patientiæ & laborum; non etiam de iis qui ordines ducturi. Nullum laborem, inquit Seneca *Epist.* 52. recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur: in primo deficit pulvere ille unctus & nitidus.

CAPUT VII.

De Disciplina militari.

Disciplinæ militaris quatuor ferè partes sunt Exercitium, Ordo, Coërcitio, Exempla. Exercitium illud est, quod ad armorum peritiam, & operis industriam, & laborum patientiam adsiduo usu militem erudit, expedit, indurat; tam ei salutare, quàm otium noxiosum est; quod fontem fomitemque fœcundissimum seditionis esse Polyb. scribit; *lib.* 1. quantum enim de fortitudine detrahit, tantum petulantiæ adjicit. Quemadmodum ex adverso labores & occupationes continuæ mansuetiorem militem faciunt. Xenoph. *lib.* 2. *de Cyr.* Magni Imperatores, inquit Seneca *ep.* 57. cùm malè parere militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent. Nunquam vacat lascivire restrictis. Exercitum, ut Cambyses Rex Cyro filio consulebat, nunquam otio resolvi oportet; sed semper occupari vel insidiis in hostem, vel commeatus parandi operâ, vel militarium operum exercitio. Hoc enim conducit valetudini quoque militum: cujus Duci cura summa esse debet non tantum per medicos, sed captata quoque salubritate loci sicubi diutiùs morandum;

quam & testimonia, & color incolarum indicare potest. Huc igitur quoque & Continentia & Exercitium conferunt. Sic Tacitus 11 *Annal.* C. Cassium laudat: *Quantum*, inquit, *sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercere legiones, cura, provisu agere perinde acsi hostis ingrueret.* Idem de Philippo Macedone Polyen. scribit *lib.* 4. quod suos sæpe trecenta stadia emetiri juberet, non armis tantum, galeis, scutis, loricis munitos, sed commeatu quoque & utensilibus instructos: tantundem de Romanis Cicero scribit 2. *Tuscul.* Ita nimirum voluntariis laboribus onerandi sunt vel vegetandi potius, ne necessariis fatiscant. Erat præterea operis artificiosa molitio, valli nimirum, fossæ, munimentorumque: quibus non arcetur modò hostis, sed subinde non minus quam armis vincitur. In hanc sententiam Seneca *Epist.* 18. Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, & supervacuo labore lassatur ut sufficere necessario possit: quem in ipsa retrepidare nolueris, ante rem exerceas. Sed præcipuus est armorum usus, & prolusia quædam, ac simulacra pugnæ subinde instituenda, quæ ea omnia exhibeant monstrentque quæ in ipso discrimine fortuna objicit vel ratio invenit. Xenoph. 2. *De Cyr.* Ad Ordinem quoque condocefaciendi sunt: quomodo nimirum pressi referre pedem, non confusis ordinibus; prementesque inferre pedem debeant. Duces verò scire debent sic instruere aciem, ut pressis militibus spatium liberum ad referendum pedem relinquant. Polyb. 2. Enimverò secunda disciplinę pars est Ordo partim in exercitu & castris, partim in agmine & acie servandus. Inprimis enim ipse exercitus ne confusa moles sit, sed corpus membris compactum articulis distinctum, necesse est: sic enim facilius à Duce quasi uno spiritu regetur, qui momento id agere poterit, ut imperium à paucis ad omnes sine errore aut tumultu perveniat: imò pro usu & arbitrio statim jungere, vel dividere copias poterit. Sed & in castris, ad imaginem urbis disponendis, dispartiendæ certis compitis copiæ sunt; primò per nationes, deinde per vexilla, mox per contubernia quibus unus prędsideat. Chyrus singulis Cohortibus (quæ 100. militibus constabat) paria tabernacula destinabat. Existimabat eos inde mutuà industriæ & fortitudinis conscientia adversùs hostes animosiores fieri, & æmulatione inter se accensum iri: partim quod viderent cominus pares singulis annonas suppeditari: partim quod invicem noti & noscentes magis verecundiam colerent, quam sæpe abjiciunt ignoti, tanquam in tenebris versantes: partim quod convictu illo magis ad charitatem coalescentes minime se deserturi viderentur: cum & bestiæ compascuæ non sine dolore & desiderio divellantur. Sed præcipue hoc instituto ad ordinum curam & instructionem tendebat. Præfecti quippe cohortium cohortes, manipulari manipulos, decuriones decurias, quinarii quiniones perinde locis & domiciliis dispositos tenebant, atque si cum agmine iter facerent. Id autem utilissimum rebatur, tum ad id ne perturbarentur ordines, tum ut perturbati facilè redintegrari possent: quemadmodum lapides & ligna quæ coagmentanda sunt, etiam dissipata fortè, facilè colliguntur beneficio notarum quas distinctionis causa impressas habent. Xenoph. 2. *Cyr.* Jam vel maximè in agmine & acie ad ordinem adsuefaciendus miles; veluti ne postremi progrediantur, nisi anteriores in eodem agmine & turmâ processerint; ideoque qui progredi cœperint inhortentur proximos: sic fiet ut continuum æquabilemque interstitionum tenorem ordines servent. Cyr. *lib.* 5. apud Xenoph. Loricatos in nocturno itinere jubebat præcedere, quia hæc gravissima moles est, & quam reliquum agmen facilè sequatur: nam expeditissimorum antecedentium celeritas facilè divelleret exercitum. Et cum

plana

plana ac lata via esset, putabat & celerrimè & tutissimè iri catervatim, præfectis in fronte sitis & cohortibus ita procedentibus ut singuli singulis succederent. Ideoque Dux non in una parte agminis proficiscentis aut ad prælium accincti hærere debet, sed modò huic modò illi lateri occurrere; modò à fronte, modò à tergo versari, ut observet ne quid uspiam arietet aut labet. Xenoph. *lib.* 5. *Cyr.* Tertia disciplinæ pars Coërcitio tribus ferè capitibus comprehenditur Continentiâ, Modestiâ, Abstinentiâ. Illa à voluptatibus arcet quæ animum corpusque effœminant; ista à jactantia, prodigo cultu, & contumaciâ. Jactantia linguâ strenuos, factis imbelles vel facit vel detegit; ex veteri proverbio, Canem timidum fortiùs latrare. Sumptuosus corporis cultus contemptui & prædæ opportunos facit. His omnibus perniciosior contumacia. Contumacia omnis, inquit JC. in *l.* 6. §. 2. *De re milit.* adversus Ducem vel præsidem militis capite punienda est. Obedientia nimirum tam salutaris est, quàm imperium necessarium. Apud Xenophontem est *lib.* 2. *Expedit.* quod miles Ducem magis quàm hostem timere debeat; si is futurus sit qui stationem & ordines servet, qui hostem citra tergiversationem invadat, qui denique ab amicis & sociis abstineat. Denique Abstinentia eò pertinet, ne milites concussionibus, rapinis, injuriis vel civibus vel sociis vel mediis graves sint: qui hâc humanitate pellici vel conciliari arctiùs solent; quemadmodum ex adverso alienari omnium animi per militarem insolentiam, contumelias, raptus. Superest ultima Disciplinæ pars, munimentum & vinculum reliquatum, Exempla; id est pœnæ in eos qui disciplinam castrorum violant, & præmia in bonos strenuosque. Cyro quidem apud Xenoph. 2. *Cyr.* æqualitas hîc arithmetica placuit, tanquam sic omnes magis incitandi sint, si non natales aut ordines, sed sola facinora in pensandis præmiis ponderentur. Verùm alibi aliam proportionem probavimus. Nam profectò opibus, genere, præfecturâ decorus non eâdem mercede vitam periculis objecerit, quâ vilis & gregarius miles: plus enim ille bonorum habet quæ cum vita amissurus est; & in aliqua felicitate jam posito nec momentum, nec gaudium attulerit præmium, quod infimæ sortis hominem beabit. Planè Cyri sententia in Democratico statu poterit obtinere, ut apud Thucididem *lib.* 2. in Oratione funebri Pericles censet; quâ suadebatur in exequiis fortiter pro Patria occisorum, liberis ipsorum præmia dividerentur. Ad delictorum pœnas quod attinet; severitas probatur, in homines quippe fiduciâ armorum feroces, & impunitate singulorum, facilè in communia scelera conspiraturos, ut sunt seditio, defectio, rebellio: propter quæ decimari olim legiones solebant. Sed & legio aliqua quæ hujusmodi facinoris contagione laborat, per speciem prælii communis objici hostibus, & reliquis latenter subductis destitui trucidanda solet: exemplo Hieronis apud Polyb. *lib.* 1. Planè in expeditione occupatis modica errata, nec ad perniciem disciplinæ pertinentia, indulgeri possunt: in præsidiis verò, aut sedibus otiosi severiùs coërcendi sunt. Ad exempla pertinet Missio, triplici discrimine Romanis usitata: erat enim honesta, emeritorum post viginti annorum stipendia; erat Causaria, excusatorum ob valetudinem aliamve causam; erat denique Ignominiosa, exauctoratorum ob crimina. Honesta missio virtutem remunerabatur & incitabat; Causaria exercitum exonerabat; Ignominiosa purgabat. De illa Suetonius *in Augusto cap.* 49. *Quicquid ubiquè militum esset, ad certam stipendiorum Præmiorumque formulam adstrinxit, definitis pro gradu cujusque & temporibus militiæ, & commodis missionum: ne aut ætate aut inopia post missionem sollicitari ad res novas possent.* Ad Ignominiosam missionem pertinet, quod

Cyrus apud Xenoph. *lib.* 2. cum audiſſet de quodam milite, qui in laboribus periculiſque minorem portionem, in commodis & præmiis potiorem ſibi vindicaret, hujuſmodi purgamentis exonerandum exercitum, reſpondit: hos enim non tantum fucos eſſe, quà laborum ſocietatem detrectent, ſed deterioris etiam notæ cenſendos, quà primas lucri prædæque partes ſibi arrogarent. Hujuſmodi, inquit, homines magnam exercitus partem corrumpere poſſunt; pronioribus quippe animis tales audiendi, quàm meliorès: idcirco quod illi in declivem illam per voluptates viam ignaviæ & vitiorum ducant; iſti verò in aſperum virtutis iter. Dimiſſi igitur tales, & quod ad ſe attinet exercitum purgabunt, & quod ad alios, qui infamię exemplo emendabuntur. Quemadmodum in quadriga ſegnes equi etiam celeres impediunt, & quemadmodum præſtat famulis domum carere, quàm malis perturbari: ita tales milites exercitum onerant. Porrò pręclarè Cyrus, qui præmia & munificentiam in milites monitis & verborum comitate adornabat; cujuſmodi illi Xenophon tribuit *lib.* 3. Benè, inquit, agi nobiſcum hoc tempore videtur, tum ob acceſſionem opum, tum vel maximè ob uſum earum, dum de meritis cujuſque exiſtimare, & pro dignitate promereri ſingulos licet. Prorſus autem contemplandum vobis identidem eſt, cujuſmodi vitæ ſecta hæc commoda comparaverit: invenietis quippe & laborando, & vigilando, & celeritate, & non cedendo hoſti hæc obveniſſe. Quapropter macti virtute eſtote, vobiſque ſimiles perſeverate, perſuaſi, voluptates & ingentia bona non niſi ex obedientia, & laborum periculorumque, cùm res poſcit, tolerantiâ oriri.

CAPUT VIII.

De Belli Ducibus: eorum neceſſitas & uſus. An Princeps ipſe præliis intervenire debeat? An libera poteſtate Dux belli inſtrui? Unus an plures eſſe expediat?

NOn minor de Duce, quam militibus cura eſſe debet. Nam ut Iphicrates dicebat, Exercitum oportet inſtar corporis diſpoſitum, loco thoracis phalangem habere, vice manuum milites levis armaturæ; pedum autem, æquites; & denique capitis inſtar Imperatorem. Pariter Epaminondas, qui inſignem exercitum ſine Duce conſpicatus: quanta, inquit, bellua ſine capite! Adeoque Philippi Macedonis ſententia innotuit: præſtantiorem eſſe cervorum exercitum Duce Leone; quam Leonum, Duce cervo. Etenim Ducum imperitia etiam ſtrenuos milites impedit aut evertit, ut Xantippus dicebat apud Polyb. *lib.* 1. Exercitus ſanè quantumvis vaſtus ſine Duce pręlians vincitur ab exiguo, qui à bono Duce regitur: quomodo Veſpaſianus Vitellianos vicit. Tacit. 3. *Hiſtor.* Duces autem dupliciter conſiderantur, Supremus nempe cujus imperio auſpiciiſque bellatur, & ejus Vicarius. De illo quęritur, an miſceri præliis & diſcriminibus bellorum debeat? Et quidam affirmant: ſepoſitus enim ne quidem conſiliis poterit ſupereſſe, quippe hîc potiſſimum obtinet proverbium: *Gladiator in arena conſilium capit:* pendet enim ex velociſſimis momentis occaſionis, ex locis, temporibus, motibus animorum militarium, ex temeritate & ſtultitia ruentis hoſtis. Quomodo verò Majeſtatem ſibi aſſeruerit Princeps qui tutelam magnitudinis ſuæ & viribus militum & conſiliis Ducis ipſe ignavus, imbellis torpenſque permiſerit? Et quibus ſtimulis in ſuperbiam ille Dux ſollicitabitur tanti in Principem meriti, tantæ in Repub. auctoritatis, tantæ denique penes milites dignationis ſibi conſcius? Ipſi verò milites

lites quanto alacriores animosioresque sunt, cùm Principem suum Patremque Patriæ periculis mixtum conspiciunt? Dum vicissim ab illo conspiciuntur, singulorum industriæ, fidei, & fortitudinis Arbitro? Aliis tamen displicet in uno capite totius exercitus & Reipublicæ fata lacessere. Ne domi desidem aut inutilem operam ejus fore. Frustra enim sunt arma foris, nisi sit consilium domi: nam ut in bello quædam non nisi in re præsenti constitui possunt, ita alia deliberationis dilationem patiuntur. Et magis est, ut hæc sententia communiter vera sit: prior tamen obtinebit, si de summa rei transigendum sit: tunc enim *perniciosior quies, quàm temeritas.* Illud quoque quæritur, utrùm Duci libera decernendi potestas danda sit, an verò omnia ei ex præscripto agenda? Alterum enim Principi aut Reipublicæ, alterum bello ipsi contrarium videtur. Nihil enim tam capax est fortuitorum minùsque ad præceptas opiniones respondet, quàm bellum. Satisque Majestatis resplendere vis videtur in suscipiendo, præparando, finiendoque bello, quamvis gerendi consilium penes Ducem sit: sed & quæ maxima in ratione gerendi belli sunt, veluti trahendum bellum sit an urgendum, urbium obsidionibus, an acie certandum, expectandus hostis sit an ultro in regionem ejus prævertendum, hæc utcunque præscribi à supremo Principe possunt. Planè quod ad disciplinam militarem attinet, imperium summum Duci nec ab eo provocari fas esse debet, Thuc. *lib.* 6. Id quod Jure Romano etiam Tribunis militum, & Præfectis classium alarumve tributum fuit: ut sine aliquo impedimento Legis Juliæ per eos militare delictum coërceri possit, inquit Julius Paulus 5. *Sent.* 26. Hinc etiam unum esse Ducem præstat, quàm plures potestate pares. Impetrantium turba (inquit Hermocrates apud Thuc. *lib.* 6) domi militiæque noxia est, licet vicibus administrationis imperium ipsorum dividatur. Æmulatio inter pares id agit, ut alter alterius consiliis & conatibus obtrectet, & ne concedere videatur æmulo, vel hostibus hunc succidisse gaudet. Sic Pedaritus & Astiochus Duces exercitum Lacedæmoniorum dissensu suo adfligebant; Thuc. *lib.* 7. itemque Megabates & Aristagoras, Demaratus & Cleomenes. Herod. *lib.* 5. Sic Punicum Anno & Amilcar: quorum obtrectationem præter potestatis consortium incitabat diversitas factionum quibus commissi fuerint; itemque ingeniorum dissimilitudo, cùm alter militaris & animosus esset, alter ignavus & imbellis. Polyb. *lib.* 1. Maximè igitur cavendum, ne tales pari potestate donentur: id enim erit non conjungere eos, sed committere. Quòd si plures aliquando Duces constituantur, saltem exemplo Darii apud Herod. *lib.* 5. regionibus segregandi sunt, ut distinctos singuli administrationis limites habeant; nec conveniant nisi periculum ex hoste conjungi vires jubeat.

CAPUT IX.

Boni Ducis Notæ & Dotes: & generatim de ejus Officio monita.

Magnæ Dotes Artesque sunt quæ belli Ducem perficiunt: adeò illius difficile, perplexum & diffusum est regimen; adeò in rebus impeditissimis expeditum illi esse consilium debet; & in rerum humanarum parte longè perturbatissima mens tranquilla, serena, sibi præsens & in omnia tamen dissipata. Dubites scire plura debeat, an excogitare; exemplis magis fidere, an ingenio: tantæ hæc materia varietatis capax est. Tullius quidem *pro Leg. Manil.* sic existimat, In summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, Scientiam rei militaris, Virtutem, Auctoritatem, Felicitatem; verbis quidem pauca, sed rebus immensa. Quàm enim latè patet illa quam Dux præcipuè profitetur rei militaris Scientia? Hanc quidem in

Pompeio Tullius sic celebrat, ut dicat eum sæpius cum hoste conflixisse, quàm quisquam cum inimico concertaverit; plura bella gessisse, quàm ceteri legerint: cujus, inquit, adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis; non offensionibus belli, sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis est traducta. Rara hæc quidem laus: utique tamen necesse est, eum qui huic muneri par sit, artem militarem non auditionibus aut lectionibus tantum, sed experimentis & periculis imbibisse. Neque verò illa triumphorum series utique exigenda: eùm & acceptæ interim clades, admonitos licentiæ fortunæ, cautiores in posterum faciant, animosioresque in omnia quæ inimica vis casuum tulerit ut non nova. Et hæc quidem scientia rei militaris validior pœnis premiisque est ad provocandam militum obedientiam: sic enim in morbis, in navigatione, in itinere homines volentes lubentesque iis parent, quos excellere in ea parte prudentia sciunt. Xenoph. I. *de Cyr. Inst.* Igitur peritia quidem bellandi præcipuè, & vel præ ipsa virtute (si alterutra carendum sit) spectanda: hæc tamen necessaria quoque est. *Non enim*, inquit Tullius, *illæ sunt solæ virtutes Imperatoriæ, quæ vulgo putantur; labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: sed multæ sunt artes eximiæ, hujus administræ comitesq; virtutis. Ac primum quantâ Innocentiâ debent esse Imperatores? Quantâ deinde omnibus in rebus temperantiâ? Quantâ fide? Quantâ facilitate? Quanto ingenio? Quanta humanitate?* Atque de his singulis breviter videamus. Nominat *Laborem in negotiis.* Debet enim ut Cambyses Cyrum monet apud Xenoph. *lib.* I. Imperator per æstatem plus solis, per hiemem plus frigoris, & in opere plus laboris quam milites subire; idque palam & conspicuis exemplis: si modò illorum benevolentia id est fide, consensu, obsequio vigere cupit. Nam, inquit, similia quidem Imperatoris & militum corpora pari labore non similiter adficiuntur: illi enim labores mitigat honos & gloria quæ ad ipsum totius operis redundat. Deinde *fortitudinem in periculis* Cicero exigit; sed fortitudinem, non temeritatem: hæc enim abesse maximè à Duce debet: & quæ illa? Quæ (describente Clitarcho) virium mensuram excedit. Sic Archidamus Lacedæmoniorum Rex filium suum contemplatus nimis præcipitem in prælium: *aut vires*, inquit, *tibi sunt augendæ, aut minuenda audacia.* Præterea *Industriam in agendo* Cicero requirit; qualem Cambyses Cyro præscribit: qui, inquit, meliorem decertandi conditionem prærepturus hosti sit, eum & insidiatorem esse oportet, & dissimulatorem, & versipellem, & fraudatorem, & raptorem, & omni in re hostibus prævalere. Adjicit Cicero *celeritatem in conficiendo*; quæ nimirum rapidissimæ occasionis momenta subsequi, quæ famam antecedere, hostem prævenire potest; & maximi ad victoriam momenti est; Thuc. *lib.* 3. hæc non nisi fortitudinis vigore, prudentiæ maturitate, sed & temperantiâ, ut Cicero ait, continetur. Non illum, inquit de Pompeio, *eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui novi tam celeriter in ultimas oras pertulerunt; sed hæ res quæ ceteros remorari solent, non retardaverunt: non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.* Laudat porrò Cicero *Consilium in providendo.* Oportet enim, ut quidam ait, belli Ducem Argo oculatiorem esse. Mentis enim quàm corporis vis in Duce longè est præstantior. Quidam Timotheo Charetem ostentabant, magnitudine & robore membrorum insignem, tanquam hic Dux eligendus

dus esset. At Timotheus; non per Deos, inquit, sed talis sit qui stragula gerat Imperatori: hunc quippe oportet quæ ante, quæque pone sunt simul intueri; utque id possit, plures sibi adjungere oculos debet, Exploratores nempe fidos: sine quibus nunquam ingredi alienam regionem debet; Herodot. *lib.* 3. multo minùs hostilem. Nam periculosissimum est in hostico progredi, nisi cum exercitu valido, & explorată omni conditione loci, reditûsque ratione provisâ, & à Duce itineris obsidibus acceptis. Thuc. *lib.* 3. Adeòque quodcunque iter ineundum, antè explorandum est. Cyri sententia est apud Xenoph. 5. Nocturnum iter tutissimum esse per aures (silentio intentis omnibus) diurnum verò per oculos, utrumque tamen per præmissos semper equites & exploratores; qui quoscunque possunt de indigenis capiant, & de hostium situ, numero, conatu interrogent. Xenoph. *lib.* 6. aut latrocinii vel venationis specie fugent, ac decipiant, ne scire aut renuntiare de exercitu possint. Xenoph. 2 *De Inst. Cyr.* Populationibus autem & prædationibus certior fit exploratio: exemplo Fabii in Samnio apud Liv. *lib.* 10. Sed latius exploratorum usus patet: perque eos in arcana hostilium consiliorum, conatuumque penetrandum, in vires & opes, spesque & metus inquirendum. Xenoph. *lib.* 6. Sed de his erit alius locus: nunc enim tantum de Ducis prudentia agimus, quæ in eo cernitur, ut Cautione erectus & vigil, circumspectione in omnem partem occasionemque intentus sit: nec unquam, ut Seneca ait, ita paci confidat, ut bello se non præparet; quod licèt non geritur, indictum est. Denique alias adhuc secundariasque in Duce virtutes Tullius desiderat, veluti *Facilitatem*: quam in Pompeio laudans: *ita*, inquit, *faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis esse dicuntur, ut is qui dignitate Principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur.* Et addit deinde de ingenio: sub quo & memoriam comprehendo, quam in Cyro Xenoph. *lib.* 5. celebrat, quod singulos præfectos nominatim appellaret. Et absurdum ille putabat, Artifices nominarim instrumenta omnia artis nosse, ut medicum qui singula medicamenta appellationibus distincta teneret: non idem elaborare Ducem, cujus instrumenta sunt Præfecti, sive aliqui incitandi, sive terrendi sint, sive quædam occupanda, sive custodienda. Jam non satis decorè quempiam præmio adfici, nisi nominatim compellarum. Deinde hanc ipsam notitiam incitamentoesse, eum sciant facta sua non latere Ducem. Denique si quis imperet generatim non nominatim, alios aliorum operam expectare, neminem culpam propriam timere. *Jam quantum consilio*, inquit Cicero, *quantum dicendi gravitate & copiâ valeat (in quo ipso inest quædam dignitas imperatoria) vos Quirites, hoc ipso in loco sæpe cognostis. Igitur etiam facundia instrumentum, non ornamentum* tantum Ducis est: Suadelæ quippe proles obedientia est, & instinctus quidam ad gloriam: ut Socrates disserit apud Xenophontem. Multum huic parti conducit, spem bonam in animis militum excitare. Cautione tamen opus, ne id promiscuè & temerè fiat: id enim perinde fuerit ac si venator identidem canes instiget eâ voce quæ conspectam feram indicat. Nam primò quidem inde alacres erunt: sed sæpe frustrati, languebunt tandem etiam cum verè extiterit fera. Igitur per alios quidem Dux uti illâ poterit illecebrâ; ipse verò eam non adhibebit nisi re liquidò compertâ sibi, vel alioqui ad maxima pericula. Idque fidei causâ. Xenoph. 1. *de Cyr.* Adjicit enim deindè Cicero Pompeii laudibus: *Fidem verò ejus inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium sanctissimam esse judicarint?* Nimirum.

..... Optimus ille
Militia, cui primum postremumque tueri
Inter bella fidem....

Sanè

Sanè servata hosti fides quam eludere cum lucro potueris, magna æquitatis opinione partes tuas commendat, in easque alios pellicit: ut passim Comminæus admonet de Ludovico XI. *cap.* 23 & 27. & de Comite S. Pauli *c.* 28. & 33. *Humanitate*, addit Cicero, *jam tantâ est, ut difficile dictu, utrùm hostes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint.* Sed non adversùs victos tantùm humanitas salutaris est; sed & erga socios aut medios, imò hostes ipsos justitia necessaria: quæ & illos conciliat, & hos aliquando reverentiâ speciosiùs quàm terrore subegit. Sic Imperator Cæsar Germanicus, eo bello quo cognomen illud victis hostibus meruit, cum in finibus Cubiorum castella poneret, pro fructibus eorum locorum quæ vallo comprehendebat, pretium solvi jussit: atque ea justitiæ fama, inquit Frontinus, omnium fidem adstrinxit. Cyri in captivam Pantheam temperantia atque humanitas conciliavit maritum ejus Abradatam, induxitque ad transeundum cum duobus circiter millibus. Xenoph. *lib.* 6. Scipio Africanus eùm in Hispania inter captivas, formâ & natalibus eximia virgo, dono ipsi à militibus oblata esset, intellexissetque eam primario inter suos viro Luceio desponsam: hunc accersiri jussit, eique ipsam sanctissimè penes se habitam reddidit, collato insuper sponso in dotem auro quod in redemptionem is attulerit. Hæc temperantia, liberalitas, æquitas totam gentem Romanis conciliavit tam luculento exemplo moderati clementisque imperii permotam. Ex adverso omnes à se alienat qui inermes juxta ac armatos trucidat, qui nihil de adventu suo secus suspicantes pro hostibus habet. Thuc. *lib.* 3. Etenim etiam in hostico clementiæ & justitiæ fama captanda est: Duces hostilium præsidiorum comitate donis iniciendo; dedentesque præsidia honorandi eximiè. Hujusmodi igitur virtutes procul dubio auctoritatem gignunt, quam tamen distinxi idcirco, quod proximè ex famâ, existimationeque virtutum nascatur: *Cùm sciamus*, cum Tullio, *homines in tantis rebus, ut aut contemnant aut metuant, aut oderint aut ament, opinione non minùs famæ quàm aliquâ certâ ratione commoveri.* Auctoritatem Dux severitate, quæque suo loco alia suggessimus tuebitur: sed cum ea charitatem militum sociabit. Magnum enim rerum præclarè gerendarum impedimentum est odium exercitus in Ducem: hinc enim dedignatio parendi, hinc obtrectatio consiliorum gloriæque ipsius Tac. 4. *Hist.* Benevolentiam autem Dux comparabit humanitate. In hanc sententiam Cambyses apud Xenoph. Ut Dux charus militibus sit, eâdem ratione obtinetur quâ amicorum fida benevolentia: oportère enim puto ut studium de ipsis benemerendi emineat. Difficile quidem est benignæ voluntati factis semper respondere. At illud in proclivi, ut consortem se lætitiæ exhibeat potitis voto; dolorisque infelicibus: & intercedere conetur adversæ fortunæ: satagatque sollicito affectu ne hallucinentur & labantur. Igitur erga ægros & saucios paternam exserere sollicitudinem debet: exercitiis quoque civiliter misceri, interdum & convivium cum iis participare. Hæc in Traiano Plinius laudat: circumire eum solitum tentoria militum, fessis levamen, ægris medelam procurasse: adeò ut cùm aliquando obligandis vulneribus fasciæ deficerent, in eum usum discidisse ipsum vestem suam Dio testetur. Paria de Germanici conjuge Agrippina Tacitus; & de Tiberio Velleius: communicasse in bello Pannonico languentibus aut sauciis commilitonibus suum vehiculum, suam lecticam, & in illorum demùm refectionem intulisse castris balnei apparatum. Ultimam boni Ducis Dotem posuimus Felicitatem: namque ea plerumque quidem, verùm non perpetuò respondet meritis, industriæ, consiliis. Quidam enim peculiari curâ & tutelâ altio-

altioris Genii, majore fortunâ, ut Salustius ait, quàm Sapientiâ sunt; illamque quasi in potestate sua habent, &, ut Proverbio dicitur, teti urbes capiunt, atque de cœlo iis in sinum fortuna devolat: quemadmodum ex adverso alios quartâ lunâ natos, & equo Seiano uti, Proverbia dictitant. Sed Felicitas non præceptis, sed votis subjicitur: nisi hoc tamen præcipiendum sit, ut pietate quæratur: nam cùm Dei munus sit, is haud dubiè in sinceros sui cultores munificentior est, quàm in alios. Ideòque Ducibus nihil unquam adgrediendum est non procuratis Sacris. Xenoph. 1. *De Cyr.*

CAPUT X.

De gerendo bello communia præcepta.

SEquitur de gerendo bello: qui Tractatus nullis unquam præceptis exhauriatur, adeò non concludatur: tam multa bellum inopinata movet, tam multa ultro monita suggerit. Præcipuum enim est, sagaciter & perpetuò invigilare occasioni: hæc enim meliorem rei benè gerendæ viam suggerere solet, quàm consilia viresque. Sic ad committendum prælium aliquando ipsa fortuna invitat, si miles hostilis adhuc tyro; si copiæ omnes nondum convenêre; si Dux abest, vel morbo aut vulnere inutilis torpet; si sociorum militumque nostrorum insignis alacritas & ardor animorum exstit, mox deflagraturus; si recentium victoriarum gustu inescatus, & incitatus fiduciâ est, hostis autem iisdem ex causis timore languet, si hostilis exercitus fessus, vel imparatus, vel iniquo loco deprehensus, vel cum maximè in acie instruenda trepidat. Polyb. *lib.* 3. Secundum dogma esse potest, Utendum famâ quæ vanissimo numine vera sæpè bello momenta addit. Sic apud Tacitum 4. *Histor.* Civilis mors falsò vulgata & credita fudit ejus exercitum: quemadmodum è contrario fama mortui ægrotantisque Ducis ex composito sparsa, aliquando magna ejus molimina provexit adversùs securum incautumque adversarium: exemplo Hannibalis apud Polyb. *lib.* 8. Sed & fama de superveniente auxilio subornata hostem aliquando in fugam terrore egit: quo astu apud Tacitum 3. *Histor.* Antonius Primus contra Vitellianos usus est. Planè utendum famâ, antequam senescat, ut dicebat Cæcina apud Tacit. 2. *Histor.* Itaque exercitus extraneus in primo statim adventu præclarum quid inopinatumque perpetrare debet, & specimen luculentum fortitudinis edere dispergendo terrori. Polyb. *lib* 4. Consilium Lamachi apud Thuc. *lib.* 6. est: exercitum recens adventantem maximè esse terribilem: ideoque quamprimum ei occasionem prælii captandam esse: ne si inter moras ut solet fama & terror evanuerit, hostes animos recipiant & erigant. Thuc. *lib.* 7. *de Gilipp. & de Demosthene.* Idque maximè locum habet, si, ut solet exercitus in speciem quam pro re terribiliorem adornatus est. Nicias apud Thuc. *lib.* 6. sed ut famæ beneficio utendum, ita iniquitati aut errori famæ cedendum non est. Laudat hac in parte Fabium Maximum Poëta:

Non ponebat enim rumores ante salutem,

patiebaturque se timidum pro considerato imperitorum aut æmulorum rumoribus dici & traduci. Sanè consilium existimationis posthaberi debet consilio retinendæ summæ rerum. Commin. *c.* 65. & 68. Nam ad quem lucrum belli, ad eundem gloria redundat, inquit Commin. *c.* 94. & *c.* 73. Quartum generale monitum sit: securitatem & confidentiam esse fugiendam: quippe quæ hostem dum contemnit, negligit; dum negligit fortiorem facit. Evenit id sæpe è secundarum fluxu rerum: quomodo Athletæ qui in gymnicis certaminibus facile primas adepti sunt, mox remissâ exercitatione torpescunt. Xenoph. 1. *Memorab.* Socrates apud Xenoph. *lib.* 3. *Memorab.* Hostis iracundus & superbus quibusvis insidiis patet inquit Polyb. *lib.* 3. Levibus in bello momentis ingentes rerum conversiones fiunt. Commin. *lib.* 3. Maxi-

mè verò hostili regione versantibus huc & illuc circumspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda cervix, inquit Seneca *Epist.* 75. & apud Thuc. Archidamus *lib.* 2 Diffidentia prudens, inquit Demosthenes, maximè salutaris est; imprudens verò causa infelicitatis. Illa autem imprudens, quæ nec industriæ, nec consilio, nec apparatui bene proviso confidit. Præterea inquirendum adsiduè in hostem; sciscitandum de multitudine, viribus, situ copiarum; de natura regionis, maximèque de ingenio Ducis: ut quæ præcipuè metuit, iis percellatur, quibusque afficitur iis decipiatur. Polyb. *lib.* 3. Sextum dogma esto: Hosti extra imperii tui fines occurrendum cum exercitu vel præverten dum potius: sic enim terribilior ipsi eris, quia lacessere audes: sic belli clades, ut fugas, prędationes, vastitates in ipsius solum vertes: sic ipsius viribus bellabis partim ipsius agro commeatum præbente, partim sociis ad te deficientibus, vel calamitatibus fractâ fide, vel oblatis conditionibus benignioribus corruptâ, vel etiam ultro sibi conciliata ipsa admiratione audaciæ & majorum virium opinione. Jam quoque ipsa necessitas tuos fortiores facit, quia fuga in hostico periculosior, quàm pugna sit. Denique summæ rei consules; ut si tuus exercitus fundarur, non statim victoriam persequenti hosti urbes se dedant, antequam animos receperint repentinâ clade consternatos. Exemplis sententiisque passim historici huic decreto suffragantur. Herod. *lib.* 1. Xenoph. *Cyr. lib.* 3. Thucyd. *lib.* 4. Sed insignis Justini locus est *lib.* 22. dum Agathoclis consilium bellum in Africam trajicientis exponit: *Quo in loco*, inquit, *Syracusæ positæ sint, ostendit: quibus aliud nullum auxilium superesset, quàm ut hostibus faciant, quæ ipsi patiantur. Quippe aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ vires subministrent, foris hostem etiam suis viribus vinci; deficientibus sociis, & odio diuturni imperii externa auxilia circumspicientibus. Huc accedere, quod urbes castellaque Africæ non muris cincta, non in montibus posita sint, sed in planis campis sine ullis munimentis, jaceant: quas omnes metu excidii facilè ad belli societatem perlici posse. Magis igitur Carthaginensibus ab ipsa Africa, quàm ex Sicilia exarsurum bellum; coituraque auxilia omnium adversus unam urbem, nomine quàm opibus ampliorem; & quas non attulerit vires, inde sumpturum. Nec in repentino Pœnorum metu modicum momentum victoriæ fore; qui tantâ audaciâ hostium perculsi trepidaturi sint. Accessura & villarum incendia, castellorum urbiumque contumacium direptionem, tum ipsius Carthaginis obsidionem. Quibus omnibus non sibi tantùm in alios, sed & aliis in se sentient patêre bella. His non solum Pœnos vinci, sed & Siciliam liberari posse. Nec enim moraturos in ejus obsidione hostes, cùm suâ urgeantur. Nusquam igitur alibi facilius bellum, sed nec prædam uberiorem inveniri posse: Nam captâ Carthagine, omnem Africam Siciliamque præmium victorum fore. Gloriam certè tam honestæ militiæ tantam in omne ævum futuram, ut terminari nullo tempore oblivione possit; ut dicatur eos solos mortalium esse, qui bella quæ domi ferre non poterant, ad hostes transtulerint; victique victores insecuti sint, & obsessores urbis suæ obsederint.* Vide nost. *dissert. Polit.* 18. Porrò hoc consilium sequentibus unicè id curæ esse debet, tum ne quas retro hostiles civitates relinquant (quomodo Hannibal in Italiam penetrans Saguntum ante expugnavit. Polyb. *lib.* 3.) tum ut primo quoque tempore perpetrent aliquid, quo audaciæ famam terroremque tueantur & augeant. Verumtamen hoc ultimum moniturn addo, accuratè pensandum esse, quando trahere bellum expediat quando urgere. Quid enim si hostiles copiæ jam universæ convenerint, & magna pugnandi alacritate

critate gestiant, per moras exspiraturâ (ut solent barbari, & solo impetu valentes) aut in perfidiam discordiasque versurâ, ut solet in exercitu ex fœdere & societate gentium linguâ, moribus, indole diversarum conflato? Quid si commeatus penuriâ prematur hostis? Quid si ejus temeritatis est, tamque ferociter pugnæ appetens, ut subductâ prælii occasione, ultro se præcipitaturus sit? Vide Tacit. 2. *Hist.* *Quo alio* (inquit Seneca I. *de Ira c.* II.) *Fabius affectas imperii vires recreavit, quàm quod cunctari, & trahere, & morari scivit? Perierat imperium, quod tunc in extremo stabat, si Fabius tantùm ausus esset, quantum ira suadebat. Habuit in consilio fortunam publicam, & æstimatis viribus (ex quibus jam perire nihil sine universo poterat) dolorem ultionemque sepo suit in unam utilitatem occasionis intentus.* Pompeii quoque consilium in Pharsalia erat cunctari; sed famæ iniquitate id sibi extorqueri passus est: de quo Florus *lib.* 3. *cap.* 2. *Contractis in unum undique omnibus copiis, positisque cominùs castris, diversa erant Ducum consilia. Cæsar pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, ostentare aciem, provocare, lacessere.* Et mox addit: *Pompeius adversus hæc nectere moras, ut hostem interclusum undique inopiâ commeatuum terreret, utque ardentissimi Ducis consenesceret impetus. Milites otium, socii moram, Principes ambitum Ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prælio sumpta est Thessalia.*

CAPUT XI.

De Prælio, & acie, reliquisque belli executionibus.

HOsti in regionem irrumpenti obviam ire; eumque in finibus sistere, & facilius & melius est, quam ingressum adoriri: sic Scipio Hannibali in Italiam irruenti occurrit. Polyb. *lib.* 3. Non facilè tamen aut temere summa rei mittenda in prælii discrimen, & licentiæ fortunæ exponenda. Incredibile enim est, quantæ clades comitentur adversum prælium: Ducis auctoritas vilescit, socii deficiunt, militum spes & animus cadit, obsequium ipsum deficit, æmuli insurgunt & hosti se jungunt, cui audacia & superbia crescit. Commin. *lib.* 2. & *lib.* 3. Thuc. *lib.* 7. Sic per Cannensis pugnæ cladem tota vetus Græcia à fide Romanorum defecit. Polyb. *lib.* 3. Igitur hoste irrumpente, vicina loca munienda sunt, neque utique cum irrumpentibus de summa rei decernendum. Commin. *cap.* 64 Resistendo quàm aggrediendo felicius bellum geritur, dicebat Pericles apud Thuc. *lib.* 2. Hostium impetus eminùs sustinendus, antequam justo prælio decertetur, & id agendum ut fatigati excipiantur: quomodo Romani Insubres vicêre, apud Polyb. *lib.* 2. Planè illud quoque videndum, ne nimia cunctatio, & meticulosa prælii detrectatio hosti animos addat. Commin. *par.* 2. *cap.* 81. Thuc. 4. Itaque sic laudari Duces definivere, tum demum experiendam prælii fortunam, cum aut necessitas ad id compellit, aut occasio invitat. Quid enim si commeatus deficiat? Præstat certè virtute victoriam tentare, quàm inediâ vinci. Quid si circumvallatus exercitus? Ferro nimirum aperienda erit via. Præclusa omnis effugii ratio animosiores plerumque facit; acrioresque in pugnam, cum nulla nisi in pugna salutis fiducia. Polybius *lib.* 3. *Nullus perniciosior hostis est*, inquit Seneca 2. *Natural. cap.* 59. *quàm quem audacem angustiæ faciunt: longeque violentius semper ex necessitate, quàm ex virtute erigimur.* Occasionem quod attinet, Pulchrè & breviter Cambyses Rex apud Xenoph. I. *De Instit.* Cyrum filium instruit: Enitere, inquiens, quantum potes, ut cum tuis instructis hostes non instructos deprehendas, cum armatis inermes; cum vigilantibus dormientes; conspectos abs te ipse improvisus; atque etiam ut locorum difficultatibus impeditos ex-

cipias positus in loco commodo aut munito. Præterea magnum momentum est in alacritate militum certamen poscentium: nempe si veterani sint. Xenoph. *lib.* 1. & *lib.* 6. *Cyrip.* Nam tyrones & inexperti quàm proclives ad postulandum prælium, tum levi momento deficiunt, in opere ipso languentes. Commin. *pa.* 2. *cap.* 40. Non viribus & multitudine, inquit Xenoph. *lib.* 3. *De Cyrip.* utrique aptatur victoria: sed utri Deorum auxilio freti promptioribus acrioribusque animis invadunt, ut plurimum ab adversariis non sustinentur. Igitur antequam prælium ineatur, alloquio Ducis confirmandi milites & in spem erigendi sunt. Pręsentis rei conditio abunde rationem suggesserit: & exempla passim apud Historicos sunt, quæ latè patent, veluti apud Xenoph. *lib.* 3. Jam vos, Assyrii, inquiebat Rex, viros pręstate: quibus & de vita decernendum est, & de terra in qua nati, & de laribus in quibus educati estis, & de conjugibus, liberisque & bonis quæ possidetis. Si vincitis, istorum fructum dominiumque vobis asseritis: sin autem ceditis, ea omnia hostibus proditis. Standum itaque & pugnandum vobis est quotquot vitam ejusque delinimenta & victoriam concupiscitis. Dementiæ namque sit cęcas manibusque & armis destitutas corporis partes per fugam iis obvertere, quibus superiores esse vultis. Dementiæ sit, vitæ cupiditate fugere: cum constet non nisi vincendo salutem custodiri, fugientesque magis obnoxios esse quam pugnantes. Dementiæ quoque sit opum desiderio se subducere discrimini: cum pugna superantibus non suæ modò salvæ sint, sed hostium quoque fortunæ accedant. Sed Cyrus contra hos pugnaturus suos exhortari fastidiebat: sed suis boni ominis hanc tesseram dabat: *Jupiter auxiliaris & Dux*, quæ per totum discurrebat exercitum, dum alii aliis eam per manus traderent; quemadmodum & hic exhortantium ad sequendum stimulus: *Heus viri cari, heus viri fortes:* itemque hęc Cyri vox: Jam viri fortissimi celeriùs aliquis procedens sui specimen det, & aliis hæc significet. Sanè nunquam in prælium trudendi aversis animis, aut corporibus non refectis. Xenoph. *De Cyr. lib.* 3. Sic Annibal suis transitu alpium lassatis spatium curandi corpora dedit antequam cum Scipione confligeret: idemque Sempronii exercitum vicit, quod jejunum impransumque aggrederetur. Polyb. *lib.* 3. Quamvis autem exercitus prœliaturi lassitudo evitanda, usurpato subinde progressionis intervallo & spiramento: Commin. *lib.* 1. Xenoph. *lib.* 7. non tamen committendum, ut ad procursum hostilis exercitus immotum nostri gradum teneant: quod in Pompeio circa ultimum pręlium Cæsar reprehendit. Procursu enim & corporis motu timor & periculi imago discutitur, simul pugnandi alacritas incitatur aut certè significatur cum hostium terrore: ut Xenophon *in Cyro* docet *lib.* 3. Id quoque curandum, ne antequam convenerint copiæ quę expectantur omnes pręlium lacessas: adeo in id tempus non sunt dispergendę aut minuendę vires: Commin. *pa.* 2. *cap.* 25. & 26. Xenoph. 4. *Cyr.* Tacit. 2. *Hist.* Planè si qui suspecti, omnino removendi à prælio sunt, Commin. *cap.* 9. & quidem honesto aliquo prætextu: Sic apud Herod. *lib.* 9. Samii & Milesii à persis dimissi. Tales aliquando explorari quoque solent periculum aliquod ex composito objiciendo: quomodo Mardonius Phocensium fidem apud eundem Herodot. tentat. Loci quoque in quo committatur pręlium ratio habenda est. Nec facilè vel aggrediendi vel persequendi indigenę in ipsorum terra silvis aut paludibus impedita: id quod Germanico infeliciter contra Cattos cessit. Tacit. 2. *Annal.* Adversus longè majores copias dimicaturis occupandæ sunt angustiæ: quomodo trecenti Lacedęmonii Duce Leonidâ in Thermopilis sistere & ingenti clade afficere potuerunt exercitum Xerxis quingentorum

rum millium. Herodot. *lib.* 7. Justin. *lib.* 2. Sen. 6. *de Benef.* 31. Qui equitatu prævalet hostibus patentium camporum æquor eligere pugnę debet; qui verò peditatu saltuosa aut aliàs impedita aut interrupta loca, ut Polybius monet *lib.* 3. Idemque adfirmat *lib.* 1. in navali prælio meliorem conditionem esse tenentium mare medium, quam littoribus adnavigantium: quia hi circumveniri, illi elabi faciliùs possunt. Non pugnandum quoque cum hoste altioribus in locis constituto: nec superioribus loci commoditas hoc consilio ei concedenda, ut in ascensu fatigetur. Polyb. *lib.* 2. In Cannensi pugna ingeniosè Annibal loci opportunitatem captavit, id agendo ut Romana acies & solem & pulverem violento turbine impulsum haberet adversum. Frontin. *lib.* 2. *cap.* 2. atque ita venti adjutorio & fulgoris præstringentis oculos hostium vicit. Seneca 5. *Natur.* 16. Magnum porro momentum est in acie instruenda; de qua Socrates cum adolescente quodam apud Xenophontem: Quemadmodum, inquit, lapides lateresque, ligna & tegulæ temerè coacervatæ nullum usum exhibent; cum verò adhibetur ordo, dispositis infernè & supernè solidioribus lapidibus & testis, quæque injuriæ aëris & vetustatis resistant, in medium autem receptis lateribus & lignis, tunc utile & firmum ædificium exsurgit. Tum adolescens: vehementer ô Socrates simile quiddam dixisti. Nam & ad prælium illos primos ultimosque collocare oportet, qui fortitudine excellunt; in medio autem viles ignavosque, ut & à primis ducantur, & à supremis impellantur. Xenoph. *lib.* 6 *De Instit. Cyr.* Sed ut Socrates subjicit, non utique eodem modo ordinanda semper acies. Consilium ex vario rei statu capiendum. Fabius *lib.* 2. *ca.* 14. *Idem exercitus*, inquit Seneca *De Vita beat. c.* 4. *modò latiùs panditur, modò in angustum coarctatur; & aut in cornua sinuata media parte curvatur, aut rectâ fronte explicatur.* Illud perpetuum, eos qui primi in hostem procurrunt lectissimos & strenuissimos equitum esse oportere: Commin. *c.* 5. ptimis enim eventibus, ut Tacitus ait 3. *Annal.* metus aut fiducia gignitur. Adhæc acies sic disponenda, ne vel tota vel ex parte circumveniri ab hoste possit: in quo Regulus peccavit apud Polyb. *lib.* 1. Assyrii adversus Cyrum pugnaturi, quia multitudine prævalebant, destinaverant exercitum ejus undique circumdare: sed ipse ejus consilii per exploratorem certior factus, agmine non ita denso suum exercitum extendebat, plaustris quoque in medium receptis. Xenoph. *lib.* 6. Illud præcipuè cavendum, ne ordines vel agmina iis vel intervallis vel obicibus divellantur, ut alii illis laborantibus illicò succurrere nequeant: quâ notâ Lydorum aciem Cyrus damnabat apud Xenophontem *lib.* 7. Hoc quoque pensitandum, quam tui exercitus partem huic aut illi hostium generi opponas: prodest enim eos objicere quà fieri potest singulis qui feliciter cum illis pugnare sueti: Herodot. *lib.* 9. maximèque cavendum ne tyrones veteranis objiciantur. Polyb. *lib.* 3. Videndum quoque quæ armorum genera hostilium armorum generibus objicias. Herod. *ubi sup.* Funditorum, ferentariorum, & eorum omnium qui eminus feriunt, magnus usus est in proritando primùm, vel urgendo fugientes: cominus aut ferientium, & gladiis nitentium major in profligando & in ipso conflictu usus est. Xenoph. *lib.* 2. *De Cyrip.* Levis armaturæ milites non multùm prosunt, nisi copiosi admodum. Comin. *cap.* 5. Gravis armatura cataphractorum majus momentum habet, proviso ne ea semel lapsos premat & moretur: quo consilio apud Herodotum *lib.* 9. Lacedæmoniotum quisque septem apud se servos leviter armatos habebant, quorum adminiculis resurgerent. Porrò laudat Vegetius post aciem in subsidiis collocari lectissimos equitum peditumque; qui laborantibus statim subveniant. Qua in re videndum, ut simul incum-

bant, neu per intervallum adventantes, nec constantiam addant turbatis, & pavore fugientium auferantur, ut Tacitus ait 4. *Annal.* In his potissimùm cura, industria & providentia Ducis cernitur, *occurrere*, ut cum Seneca dicam 6 *De Benef.* 31. *ad primos rerum impetus, & inclinatis opem ferre, & fulcire ac firmare labantia.* Cæsar Dictator in hac parte tam acer erat, ut etiam fugientes inhiberet occursu suo, aquiliferumque reprehensum ex fuga manibus suis impelleret in hostem. Quod si enim statim successus non respondet, non ideo torpendum Duci: nam Gubernator in tempestate cognoscitur. Exiguis momentis in prœlio summa rei convertitur: Dux modò non langueat, aut dejiciatur animo. Magnorum Ducum est, ut Seneca ait ad Polyb. *cap.* 14 *rebus adflictis hilaritatem de industria simulare, & adversas res adumbratâ lætitiâ abscondere: ne militum animi, si fractam Ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur.* Imò arte quandoque Ducis adversa in causam alacritatis & fiduciæ flectuntur: exemplo Tulli Hostilii. Nam cùm Metius suas copias repentè aciei subduceret, & in proximo colle consideret, pro adjutore speculator pugnæ futurus, ut aut victis insultaret, aut victores fessos aggrederetur; Tullus concitato equo omnes pugnantium globos præcurrit, prædicans suo jussu secessisse Metium; eumque cùm ipse signum dedisset, invasurum Fidenatium terga. Absque eo commento fuisset, infregisset haud dubiè pugnantium animos defectio sociorum: nunc eos ultro alacritate implevit. Livius *lib.* 1. Valerius *lib.* 7 *cap* 4. Etenim quæcumque vel accessio vel decessio virium præter opinionem supervenit præliantibus, non mediocre vel alacritatis & constantiæ, vel trepidationis & fugæ momentum habet. Quod si fortuna prælio adspirat, Ducis virtus est, non vincere tantùm scire, sed victoriâ uti, instando perterritis, Thuc *lib.* 8. spatiumque omne respirandi recolligendique sese præripiendo, & castris ipsos exuendo: Herodot. *lib.* 9. Livius *lib.* 3. nec obsidio urbis inchoari debet, quæ hoc propositum remoretur. Polyb. 4. In hanc sententiam pulchrè Cyrus apud Xenophontem *lib.* 5. Tendamus, inquit, in hostem, dum ad recentia cladis suæ & victoriæ nostræ momenta stupet, dum multi vulneribus adflicti, multi ob propinquorum mortem luctu se adflictant. Quippe plerique mortalium ita affecti sunt, ut fiduciâ elati sustineri nequeant: metu autem occupati, ne seipsos quidem sustineant; tantoque stupidiore formidine agitentur, quanto plures numero sunt, dum alii in alios acceptæ cladis notis, & consternatione vultûs spargunt trepidationem: adeòque ipsa exhortatio non erigit eos sed dejicit, tanquam fugæ & calamitatis admonitio. Ex adverso autem victores fiduciam in eos qui sequuntur diffundunt. Planè modus & cautio esse debet: quam suggerit Syaxares apud Xenophontem *lib.* 4. *Cyrip.* eousque nimirum persequi hostem oportet, dum spes aliqua effugiendi ad fugam ipsum incitat: cæterùm adigendus non ad rabiem desperationis. Nam ut Vibius Gallus ait apud Senecam *lib.* 4 *cont.* 19. *Concitatissima in mortem rabies est: desperatione ultimâ in furorem animus impellitur. Quædam feræ tela ipsa commordent; & ad mortis auctorem per vulnera sua ruunt. Abscissâ missione gladiator, quem armatus fugerat, nudus insequitur. Præcipitati non quod impulit tantùm trahunt, sed quod occurrit: & naturali quodam deploratæ mentis affectu, morientibus gratissimum est commori.* Cùm Græcis, auditâ Darii Regis fugâ, placuisset pontem rescindere, quem ille Abydo veluti victor maris fecerat; ut interclusus aut deleretur cum exercitu, aut pacem petere cogeretur: Themistocles, scribente Justino *lib.* 2. timens, *ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, & iter quod aliter non pateret ferro patefacerent*, satis

tis multos hostes in Græcia remanere dictitans, cùm vincere consilio ceteros non posset, per servum admonuit Xerxem ut maturatâ fugâ transitum occuparet Pręterea hâc cautione opus, ut cum firmo equitatu insequaris fugientes, Xenoph. *lib.* 4. & ordines non turbentur: Thuc. *lib.* 2. ceterùm enim victores temerè effusi & palantes sæpè à victis cæduntur. Denique non temerè extra territorium tuum persequi hostes oportet. Herodot. *lib.* 9. Jam eò quoque pertinet Scientia utendi victoriâ; ne præmaturè dum frui eâ cupit miles, eam amittat: id quod efficit aliquando nimius contemptus victi hostis, & nimia cupiditas spoliorum, Plato *lib.* 5. *De Repub.* Xenoh 4. *Cyr.* ut *lib.* 8. Thuc. censet de Peloponensibus & Syracusanis ad Abydum victis. Sic Galli a Romanis victi apud Polyb. *lib.* 2. Sic Lyciorum urbs à Gnossiis capta, dum defensoribus vacua est districtis studio consectandi spolia. Polyb. *lib.* 4. Meritò igitur Cyrus cùm Sardes expugnasset, & Chaldæi intempestivè in ædes prædæ causâ irrupissent, eos exauctoravit: inquiens, constare rationem disciplinæ non posse, si ignavi suis pugnantibus prædam præriperent: nec placari potuit, nisi illis universa spolia cedentibus iis qui custodiverant arcem. Xenoph. *lib.* 7. Sed & quocunque modo insolentiâ victoriæ incautus facilè vincitur: quomodo Othonianos in Gallia Narbonensi vicêre Vitelliani. Tacit. 2. *Histor.* Itaque edicendum ne spolia legantur, nisi victoriâ & exploratâ prorsus & consummatâ: exemplo Græcorum post pugnam Platæensem. Herodot. *lib.* 9. Et ne deinceps contentiones & discordias excitet præda, colligenda ea per fidos est, & ad Ducem deferenda: qui justè vel pacti legem, vel cujusque industriam spectando ea distribuat: quorum enim præ ceteris enituit fortitudo, illis quædam in præmiis prærogativa esse debet, laudibus cumulata. Magna verò sociorum ratio habenda, ut non tantùm justitiam ipsis, sed æquitatem, imò liberalitatem approbemus. Sic Cyrus apud Xenoph. *lib.* 4. distributionem prædæ sociis permittebat. Quòd si minùs (inquit) nobis tribuerint id in lucro ponemus: id enim eos arctiùs nobis conciliabit dulcedine lucri inescatos. Hoc tempore, inquit, commodi nostri rationem habere, non duraturæ opes sint: verùm eo neglecto parare debemus unde opes semper adfluant. Pars quoque spoliorum in sacrum piumque usum conferenda. Sic Græci victoriâ ad Salaminam & aliàs partâ. Herodot. *lib.* 8. & 9. Fugienti autem exercitui inprimis videndum, ut sensim relato gradu, salvis signis & ordinibus cedat: Senec. 1. *De tranq.* 3. ut non tam fugere videatur quàm utilitatem, ut ille dicebat, à tergo sitam persequi. Deinde si prorsus victi fugatique sint, consultum est, ut cladem & fugæ consilium celer eos per quorum territorium progreditur, celerique fugâ famam præverrat. Sic apud Herodot. *lib.* 8. Xerxes, & *lib.* 9. Artabazus.

CAPUT XII.

De aliis Expeditionibus bellicis.

Præter prælium & aliæ sunt expeditiones bellicæ, ut Captivitas, Prædatio, Obsidio, Strategemata varia. De illa Regula est:

. . . . . Arma tenenti
Omnia dat qui justa negat . . . .

Meminisse tamen Cyri sententiæ oportet apud Xenoph. *lib.* 4. Operam dare oportet, inquiebat, non tantùm ut superiores Assyriis simus, sed & ut maneant. Regio namque incolis plena, pretiosa possessio est; at illis viduata, etiam commodis caret. Itaque captivos qui se dediderant, dimittebat ad suos, futuros clementiæ pignora, & incitamenta aliorum ad deditionem. Denuntiabat enim ipsis, perque eos ceteris, si arma deponerent & ad se deferrent fide bonâ; omnia ipsis salva atque incolumia fore: tantùm alium sortitis Principem, sed & protecto-

tectorem contra vim si quæ ipsis ingrueret. Offerebatque militiæ societatem. Adeòque anniversaria prędatio, & continua messium populatio mediterrancas urbes etiam citra obsidionem compellere aliquando ad deditionem potest. Herodor. *lib.* 1. Polyb. *lib.* 5. De hac parte ferè eadem Platonis 5. *De Rep.* tradentis hęc est sententia: Jura belli, inquit, permittunt in armatos sævire; eorum castella, portus, civitates, villas, item messes fructusque devastare, aliaque de genere eodem agere, quæ hostium debilitent vires, nostras confirment: ea verò demoliri, quæ neque ipsos enervant, neque nos corroborant, furoris est & rabiei: v. g. Templa ferro flammâque vastare, aut etiam ædificia alia, quæ nec vi nec insidiis infesta sunt. Obsidentibus utilis esse prędatio solet, si oppidani damno rerum suam ad mutandam fidem trahantur: quomodo apud Tacit. 3. *Histor.* Antonius amœnissimis ędificiis in suburbiis Cremonę ignem inferebat. Obsidionem quod attinet, non nisi provisis omnibus ad eam necessariis, situque loci cognito suscipienda est. Tacit. 3. *Histor.* Utilissimè autem tentatur in oppido quod Regni munimentum est, &, ut sic dicam, janua, vel ubi commeatus & armamentarium. Sic Romani adversùs Carthaginenses acerrimè Lilybæum oppugnabant; apud Polyb. *lib.* 1. sed non nisi morâ & tœdio & inediâ oppidanos ad deditionem compulerunt. Castra obsidentium vallo & fossâ semper circumdanda adversùs eruptionem. Commin. *cap.* 92. Xenoph. 3. *Cyrip.* Igitur vel oppugnatione, vel fatigatione, vel stratagemate pro statu rei nitendum est. Hoc ultimum plerumque celeritate viget, dum exercitus famam prævenit, & nec opinantibus imparatisque supervenit. Sic Annibal capturus Tarentum, magnâ velocitate continuatisque itineribus rapiebat agmen compositum tamen ordinibus, & & vagatione inhibitâ, insciumque consilii Ducis: & ut id adventusque ejus magis lateret, quicunque occurrebant eos capiebat, vel specie latrocinii fugabar. Polyb. *lib.* 8. Sed & tentatâ jam ac manifestâ obsidione, eadem illa occasio reparari arte potest. Sic enim Q. Metellus cùm adversùs Celriberos belli Dux Metropolim istic Contrebiam diu frustra obsedisser, itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: cùmque hâc solutę obsidionis, & omissi consilii imagine oppidanos pellexisset ad securitatem negligentiamque (quæ per diurnas vigilias fatigaris faciliùs obrepserant) repentè reflexo cursu Contrebiam inopinatam & attonitam oppressit. Frontin *lib.* 1. *cap.* 1. Pulchriore etiam stratagemate Cyrus Babylonem cepit, commeatûs & ingentis fluminis fiduciâ securam: nam effictâ specie longioris obsidionis, ingentes fossas fecit, in quas flumen diffudit, adeòque tenuavit, ut permeari posset: & captatâ occasione Festi istac urbem noctu intravit. Xenoph. *lib.* 7. Ut stratagemata silentio & tenebris noctis sępè juvantur, ita Oppugnatio non facile noctu tentanda, ut apud Tacit. 3. *Hist.* Antonius Primus disserit: *Neque enim ambigua esse quæ occurrant, noctem & ignotæ situm urbis, intus hostes, & cuncta insidiis opportuna. Non si pateant portæ, nisi explorato, nisi die intrandum. An oppugnationem inchoaturos adempto omni prospectu, quis æquus locus, quanta altitudo mœnium? Tormentisne & telis, an operibus & vineis aggredienda urbs sit?* Nam & generatim periculosum est, noctu pręlium committere, nisi exploratissimo in loco, tesseraque facili data, ac denique victis receptu proviso. Thucyd. *lib.* 7. Planè obsessis nox, & quidem tempestate ac tenebris horrida, opportunior ad eruptionem videtur; Thuc. *lib.* 3. quamvis ea non facilè tentanda: communiter enim periculosa est & si successu caret ipsam urbem in discrimen adducit; ne una cum repulsis & in portas refugientibus hostis erumpat.

Commin.

Commin. *lib.* 4. Obsessis igitur statim auxilium mitti debet quo confirmentur, quodque ab omni parte eos includi vetet. Hostem commeatu quantum fieri potest prohibeat. Atque ita obsessi fatigare ultro hostem poterunt, & morâ vincere. Incredibile enim est, quantas rerum commutationes dies & hora in obsidione adferant. Quod si in civitate quidam moræ & obsidionis pertæsi in deditionem propendent, exhortandi magis conciliandique sunt, quàm intempestivâ severitate irritandi: sic Himilco Dux leniebat Gallos in Lilybæo simul obsessos apud Polyb. *lib.* 1. Quæ ad muniendi, propugnandique & oppugnandi machinas pertinent, ut arietes, vineæ, cuniculi, ea ad Polemicen, quam Politicen spectant. Ad infringendam obsidentium pertinaciam, species ac fama abundantis commeatus variis artibus fingi solet. Quâ calliditate Romani in Capitolio à Gallis obsessi, eos unico perseverantię irritamento ex obsessorum inediâ spoliaverunt, & ad pactionem impulerunt, dum panes jacere pluribus ex locis ceperunt. Sed hæc ad Stratagemata pertinent, de quibus pauca in commune differemus.

CAPUT XIII.

De Stratagematis.

NOn minùs in bello ingenium valere, quàm vires, Stratagemata argumento sunt: quæ astu plura sæpe conficiunt, quàm manus & tela. Nec ambigendum est, quin justa sint & decora, cùm victoriam pariant minùs cruentam utrique parti, quàm per vim apertam: quamvis per hanc strati meliore ferè fide subjiciantur, quam qui Stratagematibus evertuntur: licet contrà quidam apud Xenoph. 3. *De Cyr. Inst.* differit. Sic Romanis adversus Cannensem cladem certissima circumventæ virtutis excusatio erat, memorante Maximo *lib* 6. *cap.* 4. quod decepti magis, quam victi videbantur. Annibal nimirum partem copiarum suarum in ipso prælii articulo fugere jusserat: quam cum ab exercitus corpore avulsam Romana legio insequeretur, incurrit in insidias ab hoste dispositas, iisque succubuit. Pręterea quadringentos subornaverat equites, qui simulatâ transitione petierunt colloquium Consulis, à quo jussi more transfugarum depositis armis in ultimam aciei partem secedere, districtis gladiis, quos inter tunicas & loricas abdiderant, poplites pugnantium Romanorum cæciderunt. Atque hæc in specimen retuli: totum enim hoc genus simulationis arte constat, insidiis viget, & transfugii colore sæpe illudit. Qui fallunt hostes, inquit Cambyses Rex Cyro apud Xenoph. *lib.* 1. possunt eos vel injectâ fiduciâ incautos opprimere, vel concessa insequendi facultate perturbare ordines ipsorum, vel simulatione fugæ perductos ad difficilia loca invadere. Insidiarum specimen insigne Cyrus contra Schytas belligerans edidit. Nam cum in regionem illorum penetrasset, postridie simulata fuga & trepidatione recessit, deserta in castris magna vini epularumque copia. Quare cognita Regina Tamyris ad insequendum hostes Filium adolescentem cum tertia copiarum parte misit: qui ætate improvidus, quasi ad convivium non ad prælium venisset, ingurgitare se vino epulisque barbaros patitur: Donec Cyrus per noctem incautis supervenit, & ebrietate captos opprimit. Sed Regina hostes recenti victoria exultantes pari insidiarum fraude circumvenit. Quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum refugiens, Cyrum ad angustias usque perduxit: ubi compositis in montibus insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso Rege trucidavit. Justinus *lib.* 1. Ad Transfugium quod attinet, nobile exemplum est Sopyrus: qui ex prima & nobilitate Persarum, & Amicitia Darii transiverat ad Assyrios, qui à Rege deficientes occupaverant Babiloniam. In pignus fidei ostendebant vulnera, tanquam notas cru-

delitaris Regiæ quam fugeret, sed quas ex composito sibi irrogaverat. Constituitur ergo Dux, tanquam recentiore ira acriùs præliaturus: & accepta parva manu semel atque iterum cedentibus consulto Persis, secunda prælia facit. At in hunc modum parta auctoritate, universum sibi creditum exercitum Dario prodit; urbemque ipsam in potestatem ejus redigit. Justin. *lib.* 1. Nimirum, ut Livius ait: Fraus in parvis sibi fidem præstruit, ut cum operæ pretium est, cum magna mercede fallat. Compari prorsus stratagemate & simulatione transfugii Sextus Tarquinius Regi Tarquinio patri suo Gabios subegit. Livius *lib.* 1. Dionys. *lib.* 4 Cyrus quoque Araspam quemdam apud se accusarum jubebat, quasi judicii & discriminis fugitantem transire explorandi causa ad hostem. Xenoph *lib.* 6. Hujusmodi transfugis affines sunt in adornandis stratagematibus Exploratores: imò hi munus suum prætextu transfugii commodissimè implent. Polyb. *lib.* 9. Sic Araspas à Cyro fugiebat ad Assyrios. Apud Xenoph. *lib.* 6. *Cyrip.* Optimos enim exploratores censebat Cyrus primores natalibus & ingenio viros, qui non tantum copias viresque, sed & instituta ac ordinem, consilia quoque & conatus hostium exquirant; iisque ea renuntient adversæ partis consulta, quibus hostilia molimina impediantur. Quomodo Ventidius in bello Partico, cum quemdam ex suis proditorem novisset qui quicquid constitutum esset hostibus enuntiaret, dissimulata notitia perfidiæ, consilia dicis causa cum eo participabat, ea se maximè formidare simulans, ad quæ præcipitatum hostem desiderabat; eaque optare adversarii molimina, à quibus maximè sibi metuebat. Sed & exploratores hostium deprehensi non utique capiendi aut trucidandi sunt: sed si egregiæ alacritatis militarium animorum, ingentis multitudinis, abundantis commeatus, præclari ordinis, exactæ diligentiæ tibi conscius ex, dissimulare debes, & pati ut ad suos redeant. Id quod Xerxes in Athenienfium exploratoribus observavit. Herodot. *lib.* 7. Exploratores idonei hi quoque sunt, qui extranei palam nobis nondum addicti, suorum Principum nomine hostilibus in castris versantur: quomodo Cyrus Indos misit exploratum penes Assyrios. Xenop. *lib.* 6 Cyrus in bello adversus Assyrios diligenter inquirebat si quis ex præfectis Regi ob injuriam infensus esset, eumque occultè sibi conciliabat, ut Gobryam, itemque Gadaram. Occultè inquam: Quia in bello, ut dicebat, non alia promptior occasio bene de amicis merendi, quam si hostis esse credatur: nec copiosior ratio inimicos adfligendi, quàm si amicus existimetur. Itaque ex composito Gadaræ castellum ultro oppugnabat. Xenoph. 5. *De Inst. Cyr.* Sed qui in hunc modum deficiunt, egregia & fide fovendi, & fortitudine protegendi, & beneficiis ornandi sunt, ut exemplo plures alliciantur. *ibid.* Adeoque Cyrus Agricolis quoque eorum qui defecerant cavebat, promittens à se securitatem colonis hostis quamvis longè pluribus, si is eam illis præstaret. Idque pactum coivit. *ib.*

F I N I S.

Approbatio Censoris Apostolici ac Regii.

LEgi *De Civili Regimine Libros octo*, *Authore* DIODORO TULDENO *J. U. Doctore &c.* Non solùm nihil continent fidei aut bonis moribus adversum; sed dignissimos censeo eâ Approbatione & laudibus, quas aliis ejusdem Authoris Operibus in præcedenti Censura mea Ad Pandectas tribui. Addo insuper, in hoc Opere inveniri plurima, quæ curiosè, utiliter, & ad mores bonos accommodatè, singulari eruditione tractantur. Quapropter Prælum & publicam lucem merentur. Datum Lovanii 7. Aprilis. Anno 1702.

PETRUS MARCELIS S. T. D. *& Professor, Apostolicus ac Regius Librorum Censor per Germaniam inferiorem.*